DISCVRSVS VIGESIMVS OCTAVVS

De præcipuo fine ob quem tribulationes immittuntur, qui est gloria Dei; unde magna oboritur afflictis consolatio, & insignis doctrina contra tribulationes se defendendi colligitur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

AN finis & principium idem sint num. 1. 2.
Quomodo Deus agat propter finem? num. 3. 4.
Tribulatio non videtur esse ad gloriam Dei. num. 5. 6. 7. 8.
Quomodo tribulatio gloriam Dei efferat. à num. 9. usque ad 16.
Afflicti verum sacrificium Deo offerunt. num. 17. 18. 19.
Quantò magis affligimur, tantò major gloria Dei resultat. à num. 20. usque ad 25.
Quàm zelosus Deus pro sua gloria? num. 26. 27.
Argumentis contrariis respondetur. num. 28. 29. 30.
Insignis modus se à tribulationibus liberandi. num. 31. 32.
Proprium commodum tribulationis occasio. à num. 33. usque ad finem.

An principium & finis sibi mutuo opposita?

1. Communis fert opinio nullam rem adeò longè à principio abesse, eique magis oppositam quàm finis; uti nativitas morti; tempus matutinum, vespertino; & oriens occidenti, opponitur: philosophicè quoque loquendo, terminus *à quo*, termino *ad quem*. Mea tamen opinio adeò illis contraria, ut nihil vicinius, aut strictius unitum existimem, quàm finem & principium, quod ne vobis videatur impossibile; ad probandum me accingo. Tribus modis vicinitatem, aut distantiam rei alicujus investigare possumus; manu, oculo, ut ita dicam, & perspiciliis. Primus modus ad Mathesim pertinet, secundus ad Philosophiam, tertius ad Theologiam; primus ab experientia dabitur, secundus à discursu, tertius ab auctoritate divina, per sacram Scripturam. Quantum ad modum Mathematicum potest illô finis, & principium re-

rum perfectarum, & imperfectarum mensurari; figuræ perfectæ, sunt circulares, quarum principium & finis eodem puncto conjungitur: ita ut nec conjunctius, nec vicinius esse possint. In figuris imperfectis, propriè non datur finis, si enim finitæ essent, imperfectæ non essent: de illisque dicitur, in infinitum usque protrahi posse: cùm enim à principio recedunt, numquam finem recipient. Dicendum quoque omnes res mundi, aut esse circulares, aut circulariter volui: cœlum & terra rotunda sunt, & circulariter moventur; stellæ & elementa, omniaque corruptibilia perfectos circulos formant; *Oritur Sol & occidit*, inquit Sapiens; *Et in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos revertitur*: Ecce quomodò circulariter aër movetur. *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur*: eccè quales circulos aqua format. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est; quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Ecce quomodo universa circulariter moveantur: modò veniunt, modò revertuntur, modò apparent, modò non. Si cuncta igitur circulariter moventur, omnia ratione Mathematicâ, finem principio conjunctum habent.

Vniversa circulariter moventur.

Ecclesf. 1. 5.

bid. 9.

2. Sed quid, inquit Philosophus? Idem ipse fateri cogitur; principia quippè cognoscit, materiam, formam, & privationem; quæ eadem quoque finis sunt. Materia definitur. *Primum subjectum ex quo omnia fiunt, & in quod omnia resolvuntur*. Ecce principium & finis simul congregata. Privatio sicut formæ generationem præcedit, ita quoque corruptionem ejus sequitur: in quantum præcedit est principium, in quantum sequitur est finis. De forma apertè inquit Philosophorum princeps; quòd finis & forma idem sunt. Theologus quoque clarius idem affirmat, in omnibus siquidem pro fine & principio Deum agnoscit: juxta illud Apocalypsis; *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.*

Principium & finis eadem sunt.

Apocal. 1. 8.

3. Dicet fortè quispiam ad quem finē hic discursus? Quid ad nos principium & finem esse conjuncta? Per hoc insinuare volui, vobis non videri debere extraneum, si usque modò, de principiis tribulationum egerim, quod nunc de fine ejusdem agam: faciamq; videre ad quem finem Deus, qui est primum tribulationis principium, illam immittat, aut permittat. Sed quomodo intelligitur Deum operari propter finem? An aliquâ re acquirendâ indiget? aut causam finalem habere potest? Minimè, nec ipse siquidem causam habet, nec ad aliquid extra seipsum tendit. Magna igitur diversitas inter Deum, & hominē; homo

Quomodò Deus agat propter finē?

homo omnia agit propter finem, Deus verò omnia propter seipsum. Homo seipsum ad finem quemdam dirigit, Deus non seipsum, sed alia omnia ad finem dirigit. Quis igitur finis ad quem tribulatio à Deo ordinata? ad eum quem nobilitas sua requirit, ad Deum, & majorem ejusdem gloriam. Ingens est differentia inter operationem nobilis cujusdam, aut magni domini; & operationem plebei, vel artificis, licet idem operentur. Cyrus secundus gloriabatur se manu sua plantasse & disposuisse arbores horti sui; Adrianus Imperator oblectabatur picturâ; Nero cantu, & sono citharę; Domitianus sagittando; Eropus Macedoniæ Rex lucernas fabricando; Valentinianus formando imagines cereas; Rex Demetrius machinas extruendo; Alphonsus Decimus Hispaniarum Rex motum stellarum mensurando, & Ephemerides conscribendo. An propter hoc nobilitatem amittebant? vel regiæ, aut Imperatoriæ dignitati derogabant? Nequaquam, licet enim plurimæ ex his operationibus viles essent, & plebeæ, non tamen finis vilis, & abjectus erat; non enim lucri causâ, ut artifices, sed ad otium vitandum & oblectationem capiendum id peragebant, nec pro aliis, sed pro seipsis omnia peragebant. Diogenes quadam vice reprehensus fuit, quòd partem carnis per forum deferret, quasi hoc philosopho esset indignum, sed breviter & acutè respondit porto, meipsum; quasi dicens pro aliis deferre, operariorum est; sed pro seipso nullum est dedecus.

Diversitas operandi nobilium, & plebeiorum.

Propter seipsum operari, non indecorum.

4. Deus in Scriptura sacra depingitur varia operans; modò ut Architectus; *ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* modò agricola est; *Pater meus agricola est*; modò vineam plantat: *Homo quidam plantavit vineam*; modò figulus: *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea:* modò faber murarius; *vidi Dominum super murum litum; & in manu ejus trulla cæmentarij.* Sed numquid Rex regum & Dominus dominantium? Quomodo ergò se adeò humiliat, & opera tam vilia exercet? nihil honoris aut dignitatis ex eo perdit; omnia siquidem propter semetipsum operatur, teste Sapiente: *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.* Quasi diceret: non mireris, si tanta operetur Dominus, omnia siquidem non propter alios, sed propter seipsum operatur. Sed quomodo propter seipsum operatur, an aliquô indiget Deus? Nequaquam, sed ut excellentiam suam demonstret, & gloriam exhibeat; juxta illud Prophetæ regii; *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Iob. 38.4. Ioan. 15.1. Matt. 21. 33. Ierem. 18. 6. Amos. 7.7. Apocal. 15. 16. Proverb. 16.1. Psal. 18.1.

5. Finis ergo propter quem Deus tribulationes immittit, est gloria sua, nisi ab hac generali

Cuncta ad gloriam Dei.

regula, illas excipi debere dicamus. Extraneum certè videri poteſt, & veritati minus conforme, ex tribulatione noſtra gloriam Dei reſultare; potiùs ſiquidem videtur, ex proſperitate, & felicitate noſtra ipſum honorari, & glorificari. Nónne ſiquidem gloria eſt principis, civitates illius omnibus abundare, populum in omni felicitate, & proſperitate degere? Id negari non poteſt; ideoque propheta regius civitatem Ieroſolymitanam laudans, omnes in ea hilariter vivere dicebat:

Pſal. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te,* Ægyptii Deum illorum Serapidem menſurâ grani in capite coopertum fingebant. Ad quem finem? An granorum extiterat menſor? Nequaquam, ſed ut demonſtrarent, ipſum frumenti abundantiam adduxiſſe; ideoque gloriam divinam adeptum fuiſſe. Pariter Saturnus, Jupiter, Ceres, aliique à cœca gentilitate prodiis honorati; homines nobis ſimiles fuerunt, ſed quia plurima præſtiterant hominibus beneficia, honorem divinum adepti erant. Idem ſenſerunt Romani, cùm vitam civis defendentem, coronâ civicâ donabant; quæ ex quercu arbore Jovi dedicata erat; per hoc demonſtrantes, illum Deos imitatum fuiſſe, ideoque honore divino dignum fore. Quod auctor Emblematum optimè intelligens dixit:

Grata Iovi quercus, qui nos ſervatque, fovetque:
Servanti civem, querna corona datur.

Cur corona quercia data civem ſalvanti.

6. Hanc coronam honoratiorem omnium fuiſſe affirmat Plinius; licet aliæ, aureæ fuiſſent, vel argenteæ, & multâ ſtrage inimicorum obtentæ. Semper prudentiſſima æſtimata fuit ſententia Scipionis majoris; ſe meliùs æſtimare vitam civis ſalvare, quàm millia inimicorum occidere. Huic opinioni, ſe quoque favere apud Plutarchum monſtrabat Pericles; cùm enim morti vicinus plurimi ex amicis eum conſolari venerant, credentes illum non auditurum, dolentes inter ſe conquerebantur, de tanti viri ablatione; hic virtutes ejus, & præclara facta laudabat; ille eloquentiam admirabatur; hic artem militarem extollebat; ille victorias, & trophæa plurima obtenta numerabat; alius corporis dotes extollebat, aliaque plurima laude digna referebant. Pericles his auditis alacrior ex nimio languore evadens, vocem elevando dicebat; optimum omniũ relinquitis, quod ego præ omnibus aliis glorioſius exiſtimo; nimirum me tot annis rem publicam gubernaſſe, nec ullum mei cauſâ luctum aſſumpſiſſe. Nulla ergò major in mundo gloria, quàm quæ ex benefaciendo proximis, illorumque ſalutem procurando reſultat. Ex con-

contrario ergò hujus (afflictione nimirum, & tribulatione aliorum) non gloria sed dedecus oriri debet: cùm ex contrariis causis, effectus contrarii prodire soleant.

Gloria Dei misericordia ejus est.

7. Injuria insuper servo exhibita, nónne Domino quoque adscribitur? Certè ita, imò canibus quoque respectu dominorum benefaciendum. Qualis ergò honor Dei esse poterit, servos ejus malè excipi, & injuriis affici? Nónne pro titulo glorioso
Apocal. 19. 17. sibi usurpat; *Rex regum & Dominus dominantium*? ut hic ergò verificetur, servi ejus reges, & Domini constituendi essent; nec permittere deberet illos pauperes, afflictos, & miserabiles fieri. Gloria denique Dei, adeò beneficentiæ, & misericordiæ conjuncta est, ut una pro altera sæpe
Isaiæ 6. 3. accipiatur: *Plena est omnis terra gloriâ ejus*, dixerunt Seraphim apud Isaiam; quod de misericordia ejus intelligendum, dicente
Psal. 32. 5. Davide: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Illa ergò quæ à nobis misericordia dicitur, quia miseriis, & calamitatibus nostris subvenit; à cœli civibus gloriam Dei inde resultantem contemplantibus, vocatur gloria Dei. Illo quoque nomine S. Paulus in cœlo conversari assuetus, eandem
Ad. Rom. 3. 23. appellavit, dicens: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Moyses quoque, ni fallor, Deum supplicans ut gloriam suam exhiberet, misericordiam ejus exaltare cœpit, dicens: *Dominator, Domine* Exod. 34. 6.
Deus, misericors, & clemens, patiens, & multa misericordia, & verax. Hinc Propheta David, aliique sancti Deum rogare solebant, ut ex tribulationibus propter gloriam nominis sui eos liberare dignaretur: *Propter gloriam nomi-* Psal. 78. 9.
nis tui Domine libera nos. Si ergò ex liberatione nostra de tribulationibus gloria Deo resultat; ex non liberatione diminutio gloriæ Dei sequetur. Taliter improperabant Prophetæ gentilibus dicentes: *Ubi sunt dii eorum in* Deuteron. 28. 52.
quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Timens ergo David, nè idem argumentum in Deum nostrum retorqueretur; precabatur, ut se de tribulatione liberaret dicens: *Ne quando dicant* Psal. 78. 10.
in gentibus ubi est Deus eorum, & innotescat in nationibus coram oculis nostris. Alibi quoque à lacrymis se continere non poterat, dum similia verba audiret: *fue-* Psal. 41. 4.
runt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus.

Deus puniendo se vilipendit.

8. Quid ampliùs requirendum? Deus ipse peccatores castigans, putat se vilipendi, & officium majestati suę indecens exercere. Quod acutè S. Augustinus ex illis verbis colligere videtur, quæ in castigatione Sodomę & Gomorrhæ protulit: *Descen-* Genesis 18. 21.
dam & videbo, utrum clamorem qui

ad me pervenit, opere compleverint. Quæ verba comparat illis, quæ in eodem capite dicuntur, quandò tres viri Abraham apparuerunt: vel ut Septuaginta interpretes transtulerunt: *Ecce tres viri steterunt super eum: Quando igitur*, inquit S. Augustinus; *ad Abraham responsa redduntur, non dicitur descendere Deus, sed supra ipsum adstare; nunc autem quia peccatorum causa agitur, descendere dicitur.* Eodem modo quô diceretur principem se nimiùm humiliare, & vilipendere si omnes computus etiam minutissimos examinare vellet, & exactè punire.

S. August. Serm. 70. de tempore.

Finis tribulationis gloria Dei.

9. Verissimum tamen est, præcipuum tribulationis finem, esse gloriam Dei: id apertè testatus est Salvator de cæcitate Celidonii, & infirmitate Lazari loquens: de illo dixit: *Neque hic peccavit, nec parentes ejus ut cæcus nasceretur; sed ut manifestentur opera Dei in illo*: de hoc verò, *infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Ratio hujus rei clara est, quia in omnibus suis operibus Deus nec utilitatem, nec proprium commodum respicit, sed solummodò gloriam suam; juxta illam divisionem ab Angelicis Spiritibus factam: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sicut ergò tribulatio nobis utilissima, ita Deo magna erit gloria. Principes numquàm gloriosi apparere solent, nisi quando in throno regali sedentes, omnibus se exhibent. Regina Esther licet multoties regem Assuerum vidisset, dum nihilominus in throno regali conspexit, tantâ gloriâ, & majestate plenus videbatur, ut præ reverentia & timore deficeret. De Salvatore nostro dicitur, quod veniet judicare mundum, *in Sede majestatis suæ*, ita ut majestati sit propria sedes, & thronus regalis. Sed quid creditis esse animam afflictam & desolatam? Non aliud quàm sedem, & thronum Dei; *Quæ est ista domus*, ait ipsemet, *quam ædificabitis mihi? & quis iste locus quietis meæ?* Locus quietis, tantum est ac sedes, & thronus ubi sedeo, & quiesco: & locum illum, ac Testamenti veteris Arcam respuens, subjunxit, locum suæ quietis fore animam pauperis afflicti, & humiliati: *Ad quem autem respiciam*: vel ut legunt Cassianus, & S. Gregorius Papa: *Super quem requiescet Spiritus meus? nisi ad pauperculum & contritum Spiritu.* Afflictum, & desolatum eligam ut sit thronus & requies mea. Prosperitas autem quomodo Deo tribuitur? pro scabello pedum ejus. In Exodo hujus rei insignem habemus figuram; apparitio quędam Moysi & senioribus exhibita, ibi describitur, & sub pedibus ejus opus ex sapphiris & cœlo sereno pro scabello apponitur: *Sub pedibus ejus, quasi opus lapidis sapphyri, & quasi cœlum cùm serenum est.* Sed

Ioan. 9.

Ioan. 11. 4.

Lucæ 2. 14.

Ester 15. 9.

Matt. 14. 28.

Anima afflicta thronus Dei.

Isaiæ 66. 1.

Cassian. lib. 12. institut. cap. 31.

S. Greg. 5. Moral. cap. 31.

Exodi. 24. 10.

Sed quis thonus ejus erat? Ex alibi dictis argumentari possumus, nebulam fuisse: *Thronus meus in columna nubis*: &, *Dixit Deus ut habitaret in nebula*. Ita ut sicut apud nos nubes sunt infra cœlum, apud Deum, sunt suprà cœlum; & ubi illæ pro throno inserviunt; illud officium scabelli exequitur. Scitis cur hoc ita fiat? Quia nubes symbolum sunt tribulationis; unde dixit Poëta; *Tempora si fuerint nubila*: Cœlum serenum prosperitatis symbolum; juxta precationem Saræ; *Quia post tempestatem tranquillum facis*. Nobis ergò qui prosperitate magis quàm adversitate oblectamur, cœlum meliùs supra nubes constituitur. Sed apud Deum qui potiùs tribulationes æstimat, cœlum sub pedibus est, & nubes thronum ejus regalem efficiunt.

Ecclesf. 24. 7.
I. Reg. 8. 12.
Tob. 3. 22.

Quomodo Deus gloriã ex tribulatione haurit.

10. Sed quomodo Deus gloriam ex tribulationibus nostris haurit? Variis modis, primò se omnium supremum dominum exhibens; licet enim inter Deum, & creaturas sit infinitum spatium, quædam tamen adeò superbiunt, ut ne in minimo quidem ei cedere velint, sed pari passu secum contendere putant: *Cucurrit adversum Deum, erecto collo*, de unis ex istis dicitur: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus*; dixit alter. Sed quod pro his remedium? Tribulatio. Generosus miles à vili, & abjecto homine, provocatus, aut injuriâ affectus; quid agit? ut superbiam ejus reprimat, gladium arripit, & in dorso ejus disrumpit, vel si hoc non sufficiat, ensem gutturi admovens, se victum, confiteri cogit. Talis est peccator qui contra Deum insurgere audet, ipsumque injuriâ afficere; quid agit Deus, arma ejus auferens, supra humeros ejus disrumpit. Ita testatur illud Osee Propheta: *In illa die*, inquit Deus, *visitabo sanguinem Iezrael*; sed quo modo? *Conteram arcum Israel, in valle Iezraël*: confringam arcum Israel, quô contra me rebellavit, & supra humeros ejus disrumpam. Mulier illa Deum vanâ pulchritudine offendit; & ecce Deus, arcum illum in humeris ejus disrumpit; quia longa infirmitate eam extenuare, & pulchritudinem amittere facit. Juvenis ille Deum divitiis suis offendit; & ecce Deus illas in litem adducens disperdit, & arcum illum disrumpit. Alius favore principis dominabatur subditis, illosque plurimùm vexabat; & Deus illum è gratiâ principis excidere efficit, & arcum ejus, in illum convertit.

Job 15. 27.
Exod. 5. 2.
Oseæ 1. 4.

Cur Deus non subitò puniat.

11. Dico insuper gladium gutturi admovere, quia, *Gladium suum vibravit, & arcum suum tetendit*. Si autem te non vulneret, est quia conversionem, & vitæ emendationem expectat, ut tibi sic ignoscat: *Expectat Dominus*,

Psal. 7. 13.
Isaiæ 30. 18.

minus, ut misereatur vestri. Hujus rei pulcherrimum habemus exemplum, in rege Antiocho; cupiebat hic se Deo assimulari, & divinæ potentiæ effectus sibi adscribebat. (2. Machab. 9.) Nihil est in quo Deus majorem ostendit potentiam quàm in refrenatione maris; (Psal. 88. 10.) *Tu dominaris potestati maris*, inquiebat David; & in mirabili fundatione terræ, & stabilitate centri mundi: *ubi eras quando apponebam fundamenta terræ?* (Iob 38. 4.) Hos effectus potentis brachii divini, se exequi posse æstimabat Antiochus, ita sacro textu attestante: *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudinem in statera appendere.* (2. Machab. 9. 8.) Quid Deus cum hoc efficit? Insignem immittit tribulationem; ex curru decidere, ingenti dolore affligi, ab inimicis fugari, & morbo affici curat. Quid inde secutum? Ecce humiliatus gloriam Deo tribuit, eumque superiorem & dominum suum agnoscens dicit: *Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* (Ibid. 12.) Propheta regius zelo honoris Dei repletus, superbos quosdam sufferre nõ valens, qui sese Deos jactabant; precabatur Deum, ut iis tribulationes immitteret, sicque confiteri Deum cogerentur: *Deus quis similis erit tibi? ne taceas neque compescaris Deus.* (Psal. 82. 2.) *Pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* (ibid. 14.) Ad quem finem? *ut cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus in omni terra.* (Ibid. 19.)

12. Secundus modus quô Deus honorem sibi per tribulationem acquirit, est liberando nos ab illa; *Liberatio à tribulatione gloria Dei est.* Difficilius quippe est rem aliquam reficere ut primò erat, quàm eandem de novo efficere; omnia siquidem ad interitum tendunt, & juxta Philosophos; *à privatione ad habitum non datur regressus.* Vas vitreum uno flatu perficitur: dum verò fractum fuerit, nullum adest remedium reficiendi. Temporibus Tiberii Cæsaris, adeò insignis reperiebatur artifex ut vas vitreũ in terram cadendo rumpens, denuò pristino nitori, & integritati restitueret, ingenti cum adstantium stupore, sed secretum illud cum suo auctore interiit, nec amplius inventum fuit. Majori admiratione Deus nobiscum id peragit, à tribulatione nos liberans; Insigne vas est homo: *Vas electionis*, dictum S. Paulo à Deo, (Actor. 9. 15) unica spiratione formatum; *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* (Genes. 2. 7.) Deus illum manibus continuò tenendo, efficere posset, ne rumperetur: *Iustorum animæ; in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* (Sap. 3. 1.) Sed permittit nos cadere, & confringi, ut pulchriores ad honorem, & gloriam nominis sui perficiat: *factus sum tanquam vas perditum* dicebat Psalmista, totaliter (Psal. 30. 13.)

iter confractus ſum, ad nihilum utilis, ſed nulla erit ſpes reficiendi. Non in hominibus, ſed
Ibid.16. in Deo; *Ego autem in te ſperavi Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.* Non dicit ſortem meam, in numero ſingulari, ſed in plurali numero ſortes meæ, confractionis videlicet,
1.Reg.2.6. & refectionis, quia *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit, humiliat, & ſublevat.* Lazarus vas inſigne, infirmatur, & moritur. Judæi conquerentes dicunt, non poterat hic efficere ut non moreretur? Poterat quidem, ſed melius æſtimavit permittere mori, ut majori cum honore, & admiratione illorum reſuſcitaret; ideoque dixit:
Ioan.11.4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Populus Judaicus hanc mirabilem Dei artem non intelligebat, ideoque ut illos doceret, præcepit Jeremiæ ut deſcendat in domum figuli, & videat quomodò ille conficiat vaſa, & confracta reficiat; interim dum adeſt, cadit vas unum, quod jam videbatur omnino perditum, ſed illud reſumens figulus, pulchrius quàm antè reficit, unde Deus Jeremiæ
Ierem. 18. 6. dixit: *ſicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea dicit Dominus.*

Patientia gloriam in tribulatione elicit.

13. Tertius modus quò Deus à tribulatione ſibi honorem elicit, eſt patientia ſervorum ſuorum; plurimum à mundo honoratur, cui plurimi famulantur, & obſequuntur; ſi tamen verum dicere cupimus, honor ille magis divitiis, & potentię tribuitur, quàm perſonæ. Optimè de his ajebat Seneca; *Prædam ſequitur turba iſta, non hominem*, emolumentum, & lucrum quod inde ſperant illos attrahit, non verò perſona. Clarè idem quoque patet, ſi enim Divitiæ, aut potentia deficit, ab omnibus perſona relinquitur. Non taliter veri ſervi Dei agunt, Deum quippe non propter lucrum, ſed propter ſeipſum ſequuntur. Quomodo id cognoſcitur? per tribulationem: Quantumvis enim affligantur, malè excipiantur, aut pœnis afficiantur, non tamen dominum ſuum derelinquunt. Rectè idcircò ajebat S. Ignatius Martyr dum variis afflictus calamitatibus ad mortem ducebatur: *Nunc incipio eſſe diſcipulus Chriſti, nihil eorum quæ in mundo ſunt deſiderans:* ſequebatur quippe Chriſtum abſque ullo mundano deſiderio. Clariùs idem per Iſaiam Deus dicit:
Servus meus, es tu Iſrael, quia in te gloriabor. Isaiæ 49. 3.
Gloria igitur Dei eſt, hominem aliquem vel populum ſibi ſervum habere? Hoc modo Dæmon glorioſior erit, qui plures habet ſervos quàm Deus. Verum eſt Dæmonem pluribus abundare ſervis, ſed omnes lucris intenti, impatientes ſunt, & invidi, ideoque nullam occaſionem gloriandi habet.

Cur plures dæmonem sequantur. 14. Obviabant sibi invicem quadam die, Mulier iniqua, & Philosophus, illam plurimi comitabatur, hunc verò pauci; unde mulier arrogans effecta, philosophum increpare incipiebat dicens: Nónne vides quantò plures scholam meam, quàm tuam frequentant? Non mirum inquit philosophus, quia tu illos deorsum, ego sursum adduco; dicere volens, tu illos ad voluptates & delicias incitas, quibus natura inclinata est; ego verò ad laborem, & sudorem voco. Similis quæstio inter Deum, & diabolum fuisse videtur; diabolus ad Deum accedens interrogatus fuit; *unde venis*? & ille, *circuivi terram, & perambulavi eam*; (Job 1. 7.) quasi diceret, sum mundi Dominus, omnes mihi obediunt, nec in ambulatione mea ullus mihi restitit. Non ita te extollas inquit Deus: *Numquid considerasti servum meum Iob?* Ego quoque sequaces, & servos possideo, cui nullum reperies æqualem; quin imò inquit Dæmon, aliis similis est; *Numquid Iob frustra timet Deum?* (Ibid. 9.) Nónne etiam pro pro lucro tibi inservit? experiamur parum si ita sit? Tribulatio id clarè probabit, non enim impatienter aget aut deficiet: confusus ergo Dæmon patientiâ Iob, recessit.

Iusti non spe lucri Deo inserviunt. 15. Dico insuper non tantùm absque emolumento, aut spe lucri temporalis, boni Deo inserviunt, verùm etiam cum certitudine perdendi chariora totius mundi. Dum Rex David interfici volebat Vriam, scripsit literas Joab, quibus committebat, ut civitatem aggrediendo, Vriam tali loco constitueret, & taliter regeret, ut occisus remaneret; hasque litteras ipsi Vriæ tradidit, Joab consignandas. Sed credemúsne si imaginatus fuisset tales esse litteras, ipsum eas detulisse? credo equidem Vriam seruum Davidi fidelissimum fuisse, cùm tamen de morte suâ agere intellexisset, puto eum illas noluisse deferre: sed prout David egit in regionem peregrinam confugisset. Supponamus tamen ipsum litteras regias conspexisse, sciensque præceptum mortis suæ continere, alacriter tamen Joab detulisse; quis non fidelitatem ejus admiraretur? illud est quod sancti pro amore Dei egerunt; commisit ipsis prędicare Euangelium Dei, sed quid continetur in Euangelio? quod prędicatores ejus debeant affligi, pessimè excipi, lapidari, crucifigi, & crudeliter interfici. Ita in S. Matthæo dicitur: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas*; & quid illis fiet? *Ex illis occidetis, & flagellabitis, & crucifigetis.* (Matth. 23. 34.) Hæc epistola non clausa, & sigillata, sed aperta à Deo Apostolis data fuit, quam alacriter persecutoribus suis deferentes, fidelitatem servant; quis tantam obedientiam,

Quanta fidelitas ministrorum Dei. obedientiam, & amorem erga Dominum suum non admirabitur? quanta etiam gloria divinæ majestatis erit servos habere adeò obsequentes?

16. Vnus illorum fuit S. Paulus Apostolus, cui nomen suum deferendi tribuit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum.* (Act. 9. 15.) Quid ex hoc officio consequetur? tribulationes, & miserias magnas; *Ostendam illi, quanta oporteat eum, pro nomine meo pati.* Sed Domine Deus, si vis ut nomen vestrum alacriter ferat, nónne melius erit, ut nihil de eo illi dicas, nec insinues illi tribulationes aut pœnas sustinendas? Nequaquam, inquit Dominus; *Ostendam illi:* quia adeò fidelis est servus, ut licet sciat se debere plurima pro nomine meo pati, non tamẽ ideò desinet ad omnia loca deferre. De hac fidelitate servorum suorum, tantus honor, & gloria Deo resultat, ut nulla sit res in mundo, quam magis existimet. Maximè honoratur Deus sacrificiis; sacrificium quippe est actus præcipuus religionis quô Deus cultu Latriæ honoratur, nec alteri quàm ipsi jure meritò offerri potest. Sed à quo melius ac gratius offertur Deo sacrificium, quàm ab afflicto? Notandum quippe est, non omnem oblationem Deo factam, mereri nomen sacrificii, sed illa solùm, in qua animal vivum offertur, & in honorem ejus occiditur. *Quale sacrificium Deo offerendum?*

17. Insigne dubium movet Abulensis, cur noluerit Deus sibi pisces offerri in sacrificio? pro quo duas assignat rationes. Primò, quia res offerri volebat, in nostra potestate sitas, quæ facilè haberi poterant, quales non sunt pisces, qui à nobis longè separati vivunt. Alia ratio magis proposito nostro congruit; *Quia*, dicit, *ea quæ Domino offerebantur in animalibus, viventia esse debebant; & quia pisces raro adduci poterant viventes ad Dominum, ideò non decebat de illis offerre.* (Tostatus quæst. 12. in cap. Levitici.) Sacrificium Abel cur creditis Deo acceptius fuisse, quàm Sacrificium Cain? An quia Abel primogenita gregis suæ offerebat; & Cain non offerebat primos fructus ex terra prodeuntes? Ita putat S. Chrysostomus. (Chrysost. homil. 18. in Genes.) An quia Abel fuit sollicitus, & diligens ut subitò offerret primitias, & Cain multum distulit, postquam nimirum Abel obtulerat, qui diu post illum natus fuerat? ita æstimat S. Ambrosius; (S. Ambros. in psal. 15.) An quia Abel cum sacrificio externo etiam seipsum offerebat: Cain autem vilia offerendo optima sibi retinebat, nimirum cor suum? ita affirmat Rupertus, & Cassidorus: (Rupert. lib. 4. in Genes. c. 2. Cassiodor. in psal. 65.) qui omnes benè dicunt: adjungendum solummodò, Abel pecora obtulisse, ideoque perfectum sacrificium Deo offerebat: Cain autem fructus offerendo, non perfectum exhibuit sacrificium, sed oblationem tantùm:

Licet tamen à patre suo id discere potuerat, quod vero sacrificio Deus colendus erat.

Qualia veterum sacrificia.

18. Gratius ergò Deo sacrificium erat, quàm simplex oblatio: sed opera bona illorum qui non affliguntur: quis non videt potiùs oblationi quàm sacrificio assimulari? in illa non spargebatur sanguis, nec ullus sentiebatur dolor sicut in veris sacrificiis. Dum ergò in prosperitate constitutus das eleemosynam, preces effundis, opus charitatis exerces, aut pium aliquod exercitium præstas, simplicem quidem oblationem Deo exhibes, nomen tamen sacrificii non meretur, nec ullam cum eo connexionem habet. Afflicti autem verum sacrificium Deo gratissimum offerre possunt. Dicet fortè quispiam quodnam hoc erit sacrificium? cui respondeo: veteribus tria sacrificiorum genera fuisse, teste Philone Hebręo & S. Thoma: unum pro peccato, de quo in Levitico, cap. 4. unde partem Sacerdoti tribuebant. Secundum hostia pacifica, quod in gratiarum actionem pro beneficio accepto aut pro impetratione alicujus rei offerebatur: & hoc in tres partes dividebatur: una cedebat offerenti, altera Sacerdoti, tertia comburebatur in honorem Dei. Tertium vocabatur holocaustum, quod totum in honorem Dei comburebatur, idque omnium erat dignissimum, propter finem, honorem nempe divinæ majestatis, pro quo totum comburebatur, nemine ex eo participante.

S. Thom. p. 2. q. 102. a. 3. ad 8.

Afflicti verum sacrificium Deo offerunt.

19. Talia veterum erant sacrificia, qualia jam quoque ab afflictis Deo offerri possunt. Qui corde afflictus pro delictis suis patitur; offerat Deo primum sacrificium pro peccatis dictum. Qui illum pro liberatione tribulationum suarum precatur, aut pro beneficiis acceptis gratias agit, offerat illi secundum sacrificium, victimam nempe pacificam. Qui autem voluntariè pro amore Dei patitur, & honorem ejus zelare cupit; offerat seipsum, in gratissimum holocaustum. Vniversa hæc sacrificia in scriptura sacra clarè probata sunt: Sacrificium pro peccato desideras? Ecce quid David peccata sua deflens dicat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*: quasi diceret, Sacrificium spiritus contribulati Deo oblatum, non rejicietur, in eo nempè cor contritum, & humiliatum offertur. Victimam pacificam, & sacrificium laudis Deo offerre cupis? Ecce Deus per os Prophetæ sui illud declarat: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Holocaustum expetis? Ecce à Daniele

Psal. 50. 19

Psal. 49. 13.

Daniele & sociis ejus in fornace Babylonica oblatum: *Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie.* Meritò hi servi Dei seipsos taliter offerunt, hoc siquidem modo Deo gratissimum holocaustum suiipsius in honorem, & gloriam ejus offertur; unde tales ab Ecclesia martyres vocantur, testes videlicet per ignem examinati, & in tribulationibus ad gloriam Dei approbati.

Daniel. 3. 40.

Sancti alacriter patiẽdo honorem Dei excitant.

20. Crescit insuper Dei honos, quia non solùm patienter, sed alacriter pro amore ejus patiuntur. Vt Poëtæ Helenæ pulchritudinem summis laudibus efferrent, non aliud reperire noverant medium, quàm dicere Priamum, & Trojanos crudelissimam longissimamque obsidionem, ac mortes plurimorum amore ejus sustinuisse. Tantum quoque aberat, ut de eo lamentarentur, ut videntes ejus pulchritudinem, dignam judicabant, pro qua illa, aliaque majora sustinerent. Assyrij, ut in Scriptura sacra, pulchritudinem Judith admirantes; æstimabant se labores bene impendisse, & omnibus belli periculis vitam non frustra exposuisse, ut illis mulieribus potirentur. Sed quis unquam acerbiora sustinuit supplicia, aut pœnas subiit intolerabiliores, quàm Sancti? & quis ipsis alacrior, & ferventior in iis perferendis? Quis insuper indignior æternâ gloriâ, se æstimavit quàm illi! *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, inquit Apostolus. Si Patriarchæ Jacob pulchritudine, & amore Rachelis incenso, & allecto, quatuordecim servitutis anni videbantur pauci dies: Apostolo Paulo ut vitam æternam acquireret; hujus sæculi vita calamitatibus, & afflictionibus plena, non tantùm una dies, sed momentum videbatur: *Momentaneum, & leve nostræ tribulationis: æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* S. Petrus quoque fidelibus scribens, dicebat: *Nemo vestrûm patiatur ut homicida, aut maledicus: si autem ut Christianus, glorificet Deum, in isto nomine:* quasi diceret: si ut malefactores patimini ingens vobis erit dedecus: si autem ut Christiani pro honore Dei: non vobis solùm, sed ipsi Deo, afferetis honorem & gloriam. Non exiguum amoris & bonitatis divinæ indicium, servos ejus voluntariè se omnibus pœnis exponere.

Ad Rom. 8. 18.

2. Ad Corinth. 4. 18.

1. Petr. 4. 15.

Amoris divini pretium ex martyribus colligitur.

21. Martyres, seu testes dicuntur illi, qui vitam fortiter pro amore Dei exposuerunt, & crudelissimam quandoque mortem amplexati sunt: undè summum amoris divini pretium colligere licet. Sicut enim in gemma magnum valoris, & excel-

lentiæ argumentum eſt, ſi prudens quiſpiam mercator pro illa acquirenda, ingentem pecuniæ ſummam expendat: ita martyres inſigne divino amori teſtimoniũ præbent, ſi maxima quæque ſupplicia, pro illa perferre non dubitent. De S. Joanne Baptiſta dictum fuit, ipſum in mundum
Joan. 1. 8. veniſſe; *ut teſtimonium perhiberet de lumine* Si dixiſſet rem aliquam abſconditam, & omnibus ignotam declaratum veniſſe, aut incertis quibuſdam, & dubiis, fidem præbiturum, non mihi mirum videretur; ſed maximè admirandum quòd rei adeò claræ, ut lumen eſt, teſtimonium exhibere veniat. An lumen alio quàm ſeipſo indigeat, ut cognoſcatur? An Sol per lucernam aut facem meliùs, quàm per ſeipſum cognoſci poterit? Nequaquam; rectè tamen dixit Euangeliſta, ut modum exhiberet, quô S. Joannes de Salvatore teſtimonium ferre venerat, per mortem videlicet, & humilitatem ſuam. Magna eſt differentia inter modum quo obſcura, & clara manifeſtantur: illa ſiquidem per lumen, & hæc per tenebras, meliùs apparent: ita quis volens excellentiam, & virtutem carbunculi cognoſcere, in tenebris eum exhibere curat. Sed pannum nigrum, aut obſcurum aliquod proponens, luci illud explicat. Cùm ergò Salvator noſter ſplẽdidiſſima lux eſſet, nullô aliô indigebat lumine, ſed obſcuratione; quia verò S. Joannes pietate, & ſanctitate ſua præclarè luceret; ſeipſum humiliando, & mortem pro Salvatore in obſcuro carcere ſubeundo, illum clariorem apparere fecit. Pariter in tribulatione juſtis accidit, quantò ſiquidem magis affliguntur, tantò clariùs elucent; & honor ac gloria divina ſplendidior evadit.

Res clara quomodo manifeſtatur.

22. Creſcit inſuper honor divinus, quòd per hos ſervos ſuos afflictos & calamitatibus oppreſſos, glorioſiſſimos exhibuerit triumphos. Plinius de Romano quodam refert, illum accuſatum fuiſſe, quaſi per incantationem grana unius agri ad proprium transtuliſſet: quia ager vicinus ſterilis quaſi apparebat, & ſuus fœcundus, & abundans. At ille cum ligone, aratro, aliiſque inſtrumentis, ac tota familia ante judicem ſe ſiſtens; manus, & brachia, non delicatè enutrita, ſed callibus obducta ac laboribus aſſueta exhibuit dicens; hæ ſunt incantationes quibus agros fœcundos reddo, quibus ſi vicini mei adoperentur, non minori quàm ego fœcunditate gaudebunt; eoque modo favorabilem obtinuit ſententiam. Pariter Chriſtus, campum Eccleſiæ optimis fructibus repletum habet; principes, & mundani philoſophi, ſcholas ſuas derelictas, & ſectas penè deſertas

Tribulatio ingentia operatur.

Victoria Chriſti non per veneficia.

ſertas conſpicientes, dicere ſunt auſi per incantationes, & veneficia hæc accidiſſe. Sed quis illum defendet? Tribulatio; ſi enim gentes, vanis promiſſionibus, & mundanis deliciis ad ſe alliceret; incantatione aut veneficio incautos decepiſſe videretur; ſed tribulationes, afflictiones, & perſecutiones illis prædicendo, & dictis facta correſpondendo; ſi plurimi illum ſequantur, cum crucis aratro, cum ligone lanceæ, & ferreis clavis, ceteriſque paſſionis inſtrumentis: ac tota diſcipulorum familia laboribus, ac tribulationibus aſſueta, antè Deum judicem ſe ſiſtat, has ſuas incantationes eſſe dicemus. Hoc ergò monſtratô, confuſi remanent adverſarii; & judicium fertur, non per incantationes, ſed per veram virtutem, cùm verus ſit Deus, illum cuncta operatum eſſe.

Chriſtus inermibus mundum devicit.

23. Quid denique proferam, non per hoc ſolum Eccleſiæ campum ſe fertilem reddidiſſe; verùm etiam totum mundum debellaſſe, cùm non tantùm agricultores, ſed milites, & armigeri extiterint? victoriæ ab inimicis relatæ haud dubiè ducibus gloriam tribuunt; virtus tamen, & fortitudo militum quandoque magnam partem aufert. Pirrhus ob pręclara facta, Aquila militum dictus; militibus dicere ſolebat, vos pennæ alarum eſtis, quibus in altum efferor. Quòd autem dux quidam imprudens, & iners, ſemper perdere ſolitus, nobiliſſimam obtineat victoriam, quis ignorat, hoc ei majorem adferre gloriam? Scipio Numantiam obſidens, cùm alios non haberet milites, niſi ignavos, & inimicis terga vertere ſolitos; ita illos diſponere, & excitare novit, ut iiſdem victoriam reportaverit. Cùm ergò victi à majoribus ſuis fuiſſent reprehenſi, quod ab ignavis militibus ſemper fugere & perdere ſolitis, in fugam conjecti eſſent; reſponderunt, pecora quidem eadem ſunt, ſed paſtor diverſus; quaſi dicerent, milites pecora eſſe non timenda, ſed virtus paſtoris adeò excellens, ut etiam in pecora redundet, ipſaque victricia efficiat. Tribulati & afflicti, quid aliud ſunt quàm pecora; *Dediſti nos tamquàm oves eſcarũ*, dicebat propheta regius, & gentium Apoſtolus de iiſdem loquens ait: *circuierunt in melotis, & pellibus caprinis*: his tamẽ Chriſtus totum mundum ſubjugavit; imperatores devicit, idola deſtruxit, dæmones fugavit, philoſophos confudit, & omnem poteſtatem ad nihilum redegit. Ipſi ergò omnis honor, & gloria tribuenda; ideoque dicebat; *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum*; quaſi diceret, vos eſtis pecora, & inimici ſunt lupi rapaces, non tamen diffidatis, quia: *Ego mitto vos*, ego talem virtutem tribuo,

Pſal. 43. 12.

Hebr. 11. 37.

Matth. 10. 16.

tribuo, ut securè vincetis, & gloriam reportabitis.

Ex tribulatione inimicorum major Dei gloria.

24. Ecce quanta gloria, & honor Deo ex tribulatione resultat; sed quid de tribulationibus inimicorum dicemus? De his quoque non exiguus Dei honos colligitur. Illi impatientes, vindicativi, murmuratores, & blasphematores sunt, quorum similitudine, virtus, & patientia justorum meliùs cognoscitur, & bonitas divina clariùs elucet; quod pro gente tantò ingrata, quæ ne vel minimum pro ipso sufferre cupit, tanta pertulerit. Hoc præclarè testatur Apostolus dicens: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*; dicere insuper poterat: *cùm præviderет nos in dies peccaturos*. Non tamen ingratis, & inimicis maximum se amicum exhibere omisit. Dices fortassis, si impatientes sunt inimici, adhuc tamen patientes sunt; ut fuerunt, Socrates, Phocion, Aristides, Cato; de his cum S. Cypriano dicere possem; *Tam falsa illorum patientia, quàm falsa sapientia.* Sicut enim de Aristotele dictum fuit, ipsum multa sustinuisse ut haberet cibos gustui suo convenientes; ideoque non patiens sed gulosus dicendus; pariter illi se propter honorem, & vanam gloriam patientes exhibentes, non patientis sed ambitiosi nomen merebantur. Concedamus tamen verè fuisse patientes; hinc quoque maxima Deo resurget gloria; hoc medio cognoscentes quanti refert Christianum esse, & pro amore Dei pati libenter velle. Si ita commodè expendere possemus partem metalli rudis, quàm dum moneta impressa; nullus curaret habere illud cum effigie regali; nec principes illorum Dominus cognosceretur; ideoque principes volunt, pecuniam imagine propriâ insignitam expendi, ut sciant nomen & imaginem illorum pecuniæ valorem tribuere. Vis ergò cognoscere quantum referat Christianum esse? Considera idem præclarum, patientiæ opus, non posse in cœlo expendi, nec valere adeptionem vitæ æternæ, dum nomine Christi insignitum non fuerit, cùm de hoc nomine dictum fuerit; *nec enim aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Rom. 5. 8.

Actor. 4. 12.

Dei inimici per tribulationem amici fiunt.

25. Quid dicam sæpius Dei inimicos per tribulationem reconciliari & amicos fieri? Romani civitate illorum in pace existente, Camillum Ducem generosissimum exulare coëgerunt; Româ verò à Gallis captâ, ad ipsum tamquam unicum refugiũ confugientes, Dictatorem constituerunt. Non aliter plurimi hominum cum Deo agunt; prosperitatis tempore Deum à corde & ore procul ablegant; teste

Iob:

Job 21. 14. Iob: *Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus*; adversitate autem urgente ad eum subitò recurrunt: Osee 6. 1. *In tribulatione sua manè consurgent ad me.* Nónne quotidiè multa talia videmus exempla? juvenis ille sanus & robustus, numquam conciones frequentabat, nil de Deo sentire volebat, de oratione, & sacramentorum frequentatione loquentes deridebat; infirmitate tamen depressus, & doloribus undique confixus, religiosos vocat, orationibus eorum se commendat, vota emittit, eleemosynas varias in partes distribui curat. Vnde tanta subitanea mutatio? A tribulatione. Alius tota die ludis, jocis, voluptatibus, choreis, & conversationibus vanis attendens, illud tempus perditum reputat, quod in similibus occasionibus, & vanitatibus non impendit: paulò pòst totaliter mutatus, ecclesias frequentat, Missæ sacrificio sæpius devotè interest, quotidie plurimas effundit preces, jejunat, à conversatione illicita abstinet, &c. Quid causæ fuit? Tribulatio, altercationi interfuit, quâ frater, aut propinquus ejus inopinatè occisus, vix ipse mortem evasit; vel infirmitas illi periculosa & molesta fuit. Tot modis, & occasionibus Deus gloriam ex tribulatione elicere novit; non mirum ergò si frequenter illam immittat, sed potiùs mirandum, non magis manum suam extendere, & nos tribulatione aliqua visitare. Maximas igitur illi gratias, ac honorem, & gloriam exhibere debemus, quod nostram infirmitatē, & debilitatem considerans, non plures tribulationes, immittat; illumque imitando pauperibus aliisque afflictis compati, eleemosynâ aliquâ succurrendo.

SECVNDA PARS.

26. Nescio quantam delectationem, & gustum tribulatis afferet præsens conclusio, ex tribulatione nimirum insignem Dei gloriam resultare. Si enim, dicent, ita sit, spem omnem tribulationes deserendas præscindere oportet. Quis siquidem ignorat, quantum Deus pro gloria sua sit zelosus? inter amicos omnia solent esse communia, unâ, eaque charissimâ uxore exceptâ; Deus omnia nobis donavit; *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* Propriam tamen gloriam, pro qua ut uxore sua, maximè zelosus, sibi reservare voluit: *Gloriam meam alteri non dabo* inquit: quasi diceret, divitias, sanitatem, aliaque bona, cœlum ac meipsum libenter distribuam; sed gloriam propriam nemini concedere cupio. Gentiles quoque hujus divini moris, non videbantur ignari; ideoque

Quàm zelosus Deus pro sua gloria.

Rom. 8. 32.

Isa. 42. 8.

Junonem apud illos gloriæ symbolum, Jovis consortem esse fingebant; ac superbos gigantes illâ frui volentes, insigniter fuisse à Diis castigatos. Ne ergò Deus gloriâ suâ privetur, numquam à tribulatione nos liberare cupiet: quin imò nos nunquam rogare audebimus, ut ab ea nos liberet, ne ipsi infideles videamur. Si quoque ex altera parte ab ea expediri procuraverimus, gloriæ ipsius prejudicare videbimur; inter spem ergò metumque hærendo, de nullo remedio securi, tribulationes nostras patienter sufferre oportebit.

Afflictis compati consolatio est.

27. Dico insuper nobis ipsis maximam demere consolationē, videre quippe alios afflictos, magna est afflictis consolatio. Amicus amico afflicto compatiendo, eidem quasi afflictioni se submittit, idemque pondus cum illo deferens, levius efficit. Salvator noster in passione sua summoperè dolebat, se neminem reperire, qui in tam acerbo dolore illi compateretur: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit*: Psal. 68. 21. omnibus tamen ingentem consolationem adfert, Salvatorem, & Dominum nostrum, adeò afflictum & desolatum videre. Si Deus autem de tribulatione nostra tantam sibi acquirit gloriā; non tantùm nobis non compatietur, verùm etiam de ea summoperè lætabitur. De eo S. Iob vehementer conquerebatur, dicens: *Si flagellat occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Iob 9. 23. His tamen nō obstantibus affirmare audeo, magnam nobis consolationem & spem afferre debere, quantociùs à tribulatione nos fore liberandos. Hæc conclusio certissima est, antequam tamen illam probemus, argumenta contraria gloriam divinam à tribulatione excludentia, dissolvenda sunt, & reprobanda.

Argumentis contrariis respondetur.

28. Quid ergò dicitis, gloriam divinam esse, pietate, & misericordiâ uti? Benè quidem, sed subjecta capacia sunt afflicti, & tribulati. Quid dicitis divinum esse, dona, & beneficia largiri? rectè dicitis, sed divinum quoque est castigationes & pœnas infligere; *Et honor regis judicium diligit.* Psal. 98. 4. Quid dicitis ex causis contrariis, effectus contrarios provenire? Verum est si debitæ circumstantiæ concurrant; alioquin ad eundem producendum effectum, occasiones contrariæ se mutuò juvant. Ad productionem, & mutationem fructuum, non minus ver, quàm æstas necessaria, non minùs calor, quàm frigus, pluviæ, quàm sol; ut homo quoque sanus conservetur, non minùs somnus, quā vigilia, labor, & requies, necessaria. Pari modo ad productionem pulcherrimi fructus gloriæ, non minùs adversitas, quàm prosperitas, non minùs tribulatio, quàm consolatio concurrit dicente Propheta, regio;

Psal. 100. regio; *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Hinc insuper mirabiliter gloria divina resplendet; cùm natura siquidem nullũ effectum per causam contrariã producere possit: Deus tamen ex tribulatione & afflictione, delectationem, honorem, & gaudiũ provenire facit.

Non inglorium Deo subditos ejus pati. 29. Quid dicitis, injurias, dedecora, aliasque infamias servorum Dei, in dominum quoque redundare? verum est, ex parte personæ injuriantis: unde dicebat: *Qui vos spernit, me spernit, & qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: ex parte verò injuriati, dum pro amore domini sui, voluntariè cuncta suffert, ipsi summus est honor, se habere servos adeò fideles: quantum ad injuriantem quoque totum in honorem Dei vertitur: dum illius temeritatem, graviter punit. Quid dicitis, honorem principis esse aulicos habere divites, & potentes? Verum est, sed respectivè intelligendum: sicut enim terreno principi honorificum est subditos habere temporalibus bonis abundantes: ita Deo cujus regnum non est de hoc mundo, sed spirituale, & æternum, convenit servos habere similibus bonis abundantes. Hæc autem bona tribulationi conjuncta esse solent, unde rectè dixit S. Jacobus Apostolus: *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide*? Quid dicitis gloriam, & misericordiam idem esse apud Deum? rectè dicitis, sed non videtis insignem misericordiæ effectum, tribulationes immittere? *Quoniam supervenit mansuetudo*, inquit psalmista de tribulatione hujus vitæ loquens, *& corripiemur*: supervenit Dei misericordia, & quid sequitur? castigatio, & tribulatio.

Lucæ 10. 16. Zachar. 2. 8. Iacob. 2. 5. Psal. 89. 10.

Deus servos suos non hic sed in cœlo extollit. 30. Quid dicitis, confusionẽ, & dedecus fuisse diis gentium, adoratores suos à tribulationibus non eripere? verum est, illi siquidem felicitatem & bona temporalia promittebant: Deus autem noster, bona æterna spopondit ut notat S. Augustinus. Adjungamus quoque Deum sæpius suos eripere, quando omninò videtur impossibile, ut etiam ignorantes & obcæcati gloriam suam agnoscant; & mirabilem tribulationis virtutem penetrare valeant. Quid dicitis Deum se vilem & abjectum reddere, peccatores puniẽdo? Concedamus, sed nescitis humiliationem, verum esse medium majorem acquirendi exaltationem juxta dictum Euangelicum: *Qui se humiliat exaltabitur*? Non meministis principi nil majus honorificum, quàm voluntariè se humiliare, & non semper fastum, & superbiam regiam continere? Nónne videtis Deum ex tanta in nativitate humiliatione maximã assecutum fuisse gloriam? Si autem de castigationis particularis gloria

Libr. de civit. Dei. Lucæ 14. 11.

gloria exemplum desideratis, in libris Levitici clarissimum reperietis; cùm Moyses siquidem castigationem Nadab, & Abiu, Sacerdotum retulisset, subjunxit: *Hoc est quod locutus est Dominus, sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Supra quem locum Cardinalis Cajetanus scribens, dicit: *sanctus, id est, honoratus Deus fit, eo ipso quod punit sacrilegos.*

Levit. 10, 3.

Deo gloriam tribuere, remedium tribulationis est.

31. Sed quid dicunt afflicti, hæc mala pro ipsis nuntia, quia numquam sic liberi erunt? Quin imò dico optima sunt nuntia: insignẽ quippe modum habent, quantociùs se liberandos: qualis est hic? gloriam Deo tribuere. Dum pauper fores vestras pulsat & molestat, quodnam remediũ ut ab illo libereris? Eleemosynam elargiri & dimittere. Dum Deus fores cordis nostri pulsat, & tribulatione visitat, quid aliud desiderat, quàm ut te prives illâ gloriâ quàm vanè tibi arrogabas, ipsiq; illam restituas: vis illum à tribulatione cessare? gloriam illam te indecentem illi tribue, & te in pace dimittet. Venatores unicornem insequentes, ut cornu ejus potiantur, si fortè illud in petram vel saxum impigens disrumpat, aut capite excidat, illud accipientes, insequi cessant. Nabuchodonosor rex, à Deo afflictus, & persecutus, regno expulsus, inter bestias vivere coactus; quid illi tandem evenit, quousque hæc persecutio duravit? Donec honorem debitum Deo tribueret, ita illi hoc intimante Daniele propheta; *Donec scias quod dominetur excelsus.* Daniel. 4. 22.

Philistæi à Deo percussi, ut se ab his plagis liberarent, quid efficiunt? illi mures aureos, & membra in quibus percussi fuerant, ex auro confecta offerunt. Sed cur non potiùs columbas, vel agnos? quia simulachra tribulationum offerre cupiunt, & quidem aurea, ut honorem & gloriam Dei indicent, sicque liberati manserunt.

Humiliando à tribulatione eripimur.

32. Hoc insuper modo, nos à tribulatione futura, expedire possumus; dum remedia cognoscimus quibus nos securi esse possimus. Quandò sclopetum aut bombarda exploditur, nullum securius remedium, quàm se in terram projicere. Castigationes divinæ quid sunt? Cœlestes bombardæ, *si acuero ut fulgur gladium meum*; quodnam remedium? se humiliando in terram projicere, & gloriam Deo tribuere, in Scriptura sacra hujus rei præclarum extat exemplum; Deus regi Achab impio & scelerato insignem minatur castigationem; quid efficit? Se humiliando in terram projicit, quid inde sequitur? Deus Eliæ subitò indicat dicens: *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me?* quasi diceret, non vides Elia quomodo Achab nos prævenit, quo-

Deuteron. 32. 41.

3. Reg. 21. 29.

quomodo se prostravit? Tuncque subitò Deus sententiam avertens inquit: *Quia ergò humiliatus est mei causa, non inducam malum temporibus suis.* Humilia te ergò, & in terram projice nisi velis à Deo per tribulationem omninò dejici. Cùm quis litem aut dignitatem prætensam acquirere nitebatur, nec tamen obtinuit, dicitur cecidisse causâ; sed quomodo hoc? cadẽs, nónne in loco inferiori se reperit quàm antea erat? prætendens tamen eodem loco & gradu remanet; quomodo ergò cecidit? Non ex gradu suo, sed spe, & desiderio cecidit; cogitabat se elevare, & loco eminẽtiori constituere, sed spe sua frustratus, ex illa cecidisse dicitur. Hoc de superbis & vanè gloriosis affirmat propheta David dicens: *Decidant à cogitationibus suis*; & Isaias de rege Babyloniæ: *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui dicebas in cœlum conscendam?* Si eò ascendere cupiebat, non ergò illic erat, nec inde decidere poterat: respondeo cogitatione & desiderio ibi erat, ideoq; se cecidisse dicitur: pari modo omnibus elatis & superbis magno illorum damno accidit.

(Ibid. — Psal. 5. 11. — Isa. 14. 12.)

Propriũ commodum tribulationis occasio.

33. Vniversále mundi diluviũ, quod non homines solùm, verùm etiam cuncta animantia quasi delevit, unde creditis originem traxisse? Eò quòd vix ullus hominum gloriam Dei quærebat, sed proprium commodum, honorem, & familiæ fastum. S. Augustinus ex sacra Scriptura, juxta interpretationẽ septuaginta Interpretũ id optimè colligit: ubi siquidem nos legimus; *Postquàm ingressi sunt filij Dei, ad filias hominum, illæq; genuerunt*; septuaginta verterunt; *generabant sibi*: sibi omnia attribuebant, quod S. Augustinus cõsiderans ait: *Satis ostendit, quòd prius antequàm sic caderent filij Dei, Deo generabant, non sibi, id est, non dominante libidine coeundi, sed serviente officio propagandi, non familiam fastus sui, sed civitatis Dei.* Dum ergò gloriam & honorem Dei homines quærebant, Deus illos promovit, & multiplicavit; dum verò seipsos, propria commoda, & honorem familiæ quærere vellent; Deus summè indignatus, diluvium aquarum immisit, cunctosque destruxit, adeò verum est, gloriam divinam nostræ utilitati & commodo associatam esse.

(Genes. 6. 4. — S. August. lib. 5. de civit. Dei, cap. 14.)

Propria gloria cuncta deperdit.

34. Quis verò scire potest, utrum ly *generabant sibi*, de solis mulieribus non intelligeretur, de quibus immediatè antea locutus fuerat, non autem de viris? Quasi diceret Moyses, licet patres adeò boni erant, ut filii Dei vocarentur, quia tamen matres iniquæ erant, ideò filiæ hominum dictæ; hæ verò filios sibi generabant, non intendebant videlicet gloriam Dei, sed

proprium commodum, eosque in propria impietate enutrire cupiebant, postmodum verò adeò evaserunt iniqui, ut Deum ad diluvium inducendum provocaverint. Ex hoc colligere poterimus, quàm pestifera, & nociva sit mala intentio, oculos ad gloriam divinam intuendam claudens, & proprio commodo promovendo aperiens; quandoquidem cùm multi ad unam actionem concurrunt, aliquô illorum ob propriam utilitatem se movente, perdit totum bonum quod ab aliis expectare posset. Si hanc doctrinam mysticè interpretari cupimus, clarissimè videbimus quàm sit perversum intellectui bono, malam voluntatem conjunctam esse. Credibile siquidem esse poterit, Deũ non absq; mysterio permisisse gigantes illos rebelles à bonis patribus, sed matribus iniquis procreatos esse? Nónne melius videbatur à viris, & mulieribus iniquis, quàm à solis malis mulieribus generatos fuisse? In sensu litterali forsan dicere poterimus, quod ab utrisque malis nascendo, peiores fuisse futuros, sed non majores & potentiores. Ratio autem esse poterit, eò quòd appetitui libidinoso attendentes, de viribus, & potentia multum perdant; unde debiliores, & fragiliores filios producunt: boni verò temperatè usum matrimonii admittentes vires robustiores conservant, & filios fortiores, ac saniores producunt. Qui ergò à bonis patribus, sed malis matribus nati sunt, à patribus fortitudinem, à matribus malitiam consecuti sunt: ideoque non minus corporis statura, quàm factis monstrosi & gigantes. Dicamus quoque dum boni in malitiam degenerant, peiores fieri quàm si semper mali fuissent.

35. Mysticè quoque ad operationem nostram concurrente intellectu & voluntate; ille instar patris, cùm objectum voluntati proponat, quæ nullum potest concipere desiderium, nisi ab intellectu cognitione aliquâ illustretur, & quasi semine fœcundetur; quam intra se concipiens, instar matris fovet, & nutrit, & actus bonos ac malos producit. Quando ergò simul uniuntur intellectus bonus, & recta voluntas, intellectus prudens, illuminatus, & justus, voluntas recta, & perfecta, ac timens Deum, veluti à bono patre & matre, nascuntur boni filii. Dum verò conjunguntur voluntas perversa, & intellectus iniquus, filii perversi nascuntur, sed paucarum virium & minoris malitiæ; ignorantia siquidem aut stoliditas magna ex parte malitiã illorum demit. Si autem intellectus bonus, & perversa voluntas, intellectus acutus, illuminatus, doctus, & perspicax, cum voluntate

Intellectus pater, voluntas mater actuum nostrorum.

Ex bono intellectu & mala voluntate, filii iniquissimi.

voluntate perversa, iniqua, & libidinosa conjungitur, id pessimum est, quia non tantùm filii iniqui, sed sceleratissimi & fortissimi expectandi sunt. Voluntas siquidem finem indebitum proponens, intellectus subtilitate sua, illum deducere, & effingere novit, ac media reperire, quibus attingatur, ita ut nullum sit malum quod perpetrare non audeat. Venenum præstanti vino impositum facilius mortem infert, hac quippe virtute, ad cor celeriùs transit, illudque inficit, quod aliàs facere non posset, nec tantâ vehementiâ aut malitiâ penetrare, si aquâ mixtũ foret. Pariter iniquitatis venenum intellectus subtilitate, & astutiâ mixtum, cuncta scelera faciliùs & efficaciùs perpetrare solet, quod non fieret, si rudi, aut simplici intellectui conjunctum foret.

Cur error sapientis major.

36. Hinc proverbio dici solet, *est error sapientis*; ingens videlicet, & enormis. Salvator noster in Euangelio idem exhibuit dicens: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quasi diceret, filius boni intellectus, & malæ voluntatis, iniquus erit, sed paucis pœnis obnoxius. Cæsar Augustus subditos omnes describi curavit, non ideò tamen à Deo punitus, idem fieri curavit David, sed à Deo rigidè punitus. Quæ hujus diversitatis occasio? Augustus infidelis erat, perverso intellectu præditus, non tamẽ voluntatem divinam cognoscebat, ideoque cum eo dissimulatum fuit. David verò non fidelis solùm, sed propheta erat; intellectu bono, & divinitus illuminato præditus, ideoque non illi talis error ignoscitur, sed punitur. Nos ergò scientes omnia in honorem Dei dirigenda, ab intellectu perverso excusari non poterimus; & si finem alium quàm gloriam divinam proposuerimus, quomodo sperandum nobis erit à pœnis, & tribulationibus plurimis nos fore liberandos?

Lucæ 12. 47.

Magna tribulatis consolatio pro honore Dei pati.

37. Quid tandem dicitis afflicti magnâ consolatione vos esse privatos, dum Deus vobis non compati, sed de pœnis vestris lætari exhibetur. Quin imò dico ego illud deberet esse maxima vestra consolatio: quæ siquidem major gloria nostra, & exultatio, quàm cogitare Deum tribulatione nostra summè glorificari? Ad quem finem meliorem illa dirigi, aut utilius expendi posset, quàm ad gloriam & honorem divinum? Servo fideli nulla poterit major esse consolatio, quàm videre ex operibus suis insignem Domino provenire gloriam. Dominus quoque tali servo utens, dicere solet, se securum ac quietum esse, cùm servus ejus

fidelis

fidelissimè agat, ac honorem Domini promovere studeat.

38. Quæ major afflicto consolatio esse poterit, quàm cogitare, in me honor divinus promovetur, aut destruitur; ego ut alter Atlas non cœlum materiale, sed aliud nobilius, honorem nempe divinum sustineo, & defero. Ita S. Petrus hortabatur
1. Petr. 4. 14. primos fideles dicens: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris gloriæ, & virtutis Dei, & qui est Spiritus ejus super vos requiescit.* David à Saule persecutus, quadam vice occasionem habuit illum alloquendi, dixitque: Cur ô Saul persequeris hunc miserum tuum servum? Si Deo ita placet, promptum me exhibeo ad im-
1. Reg. 26. 19. molandum; *Odoretur Dominus sacrificium*; quasi diceret, dummodo Deus bono sacrificii odore fruatur, & gloria ac honor ejus magis augeatur, ecce me promptum in holocaustum offerendum exhibeo. Nos quoque pro quo sæpius oramus, aut quid potiùs desideramus, quàm gloriam divinam? Modò in oratione Dominica toties dicimus; *Sanctificetur nomen tuum*; modò cum Davide in psalmis; *Non no-* Psal. 113. 9.
bis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam; Modò in fine singulorum psalmorum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto.* Ecce igitur medium acquirendi quod adeò desideratis, & sæpius expetitis, tribulationem, inquam, & cuncta pro gloria nominis ejus perpeti. Amplectamur illam alacriter, ad majorem Dei honorem, & gloriam, qui est sanctior, sublimior, nobilior, justior, ac condignior finis, quàm umquam habere poterimus, quem nobis omnibus Deus concedat. AMEN.

DISCVRSVS

DISCVRSVS XXIX.

Deus ex amore, & zelo animarum nostrarum tribulationem immittit, unde summopere nobis lætandum, & timor ac zelus Dei in nobis excitandus.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Amor ut ignis difficillimè absconditur. num. 1. 2. 3.

Tribulatio obscurum ænigma. num. 4. 5.

An & quomodo in Deo zelotypia. à num. 6. usque ad 11.

Quomodo zelotypia tribulationis effectus? à num. 12. usque ad 22.

Quomodo Deus adeò zelosus erga animam, & illa non ita erga Deum? num. 23. 24. 25.

Argumentis contrariis respondetur. num. 26. 27. 28. 29.

Tria documenta ad amorem, & zelum Dei in nobis procurandum. à num. 30. usque ad finem.

Amor difficillimè absconditur.

1. Ulli dubium esse potest, ut modò probamus, gloriã divinam, in tribulationibus nostris clarè elucescere; Cùm tamen majestas divina tot modis, & ratione tot attributorum gloriosa dici possit; meritò inquirendum, respectu cujus attributi gloriosior appareat; an per potentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, amorem, aut per aliud quodvis? Sed nónne in omnibus æqualiter, & mirabiliter resplendet? in quo tamen clariùs, ac mirabilius, quàm in aliis? Coactus fortè respondere, dicam, in eo quod difficilius abscondi potest; quodnam hoc est? Amor. Potest aliquis fortitudinem, sapientiam, aliasque virtutes simulare, sed amorem numquam. Si homo prudens, & sagax à satellitibus & judice conquiratur, difficilius reperiri potest, quia fugiendo, abscondendo, aut quietè latendo se celat; Si autem infans conquiratur, facillimè reperitur, nescit fugere, non novit præsens periculum, latere quietè non valet: quin imò huc illuc discurrendo, clamando, lacrymando se prodit. Quis ignorat Poëtas, & Pictores, ut naturam amoris exprimerent, illum juvenem finxisse? Vana ergò est omnis solicitudo illum abscondendi, seipsum verbis, suspiriis, lacry-

mis, gestibus, oculis, colore vultus, aliisque diversis modis prodit.

Amor ignis est. 2. Quantò insuper magis amans illum celare quærit, tantò magis patescit. Qui ignem inter paleas, aut sicca ligna abscondere vellet, magis illum patefaceret, quandoquidem nutrimentum ex illis recipiens, se undique diffunderet, & noctem ipsam illuminaret; pariter facit amor. Quid enim aliud est amor, quàm ignis? Salvator de amore divino loquens, ait: *Ignem veni mittere in terram*; quod ejus nutrimentum? Quæ combustionis materia? Cor humanum; *nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, dicebant duo amantes discipuli; & Deus ait: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*. Quando verò illum abscondere, aut servare velles ubi poneres? In corde; ibíne celari poterit? Certè non, majores acquiret vires, se palam faciet. Si mihi in hoc non credatis, audite Salomonem dicentem; *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Numquam poterit; comburendo quippe illud quo abscondebatur, se manifestum reddet. Hanc amoris naturam gentiles quoque noverunt, ideoque variis modis & figuris illam expresserunt, & Poëta quidam sub Metaphora ignis ait.

Lucæ 12. 49.
Lucæ 24. 32.
Deuteron. 6, 5.
Proverb. 6. 27.

Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo.

Flamma ignis celari non potest. 3. Dicet fortè quispiam ignem sub cineribus aut alibi sæpe abscondi; respondeo verum id esse dum est in materia densa, ut in carbonibus, aut exigua quantitate, ut in parva candela; sed ingentem ignis flammam impossibile est celare; hæc enim movetur, lucet, & vicina quæque comburens, à longè resplendet. Ignis amoris qualis est? Instar carbonum? nequaquam; hic enim est ignis indignationis, & odii, hi sunt carbones de quibus dicitur; *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis*; & alibi clariùs; *Ascendit fumus in ira ejus, ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Sed amor est ignis clarus, & flammiferus, de quo anima quædam dilecta dicebat: *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Si quidpiam foret, sub quo amor celari posset, sub minis, pœnis, & tribulationibus abscondi deberet, cùm hæc sint odii, indignationis, ac iræ indicia: hoc tamen pallio non ita cooperiri potest, quin ab aliquo cognoscatur, & advertatur.

Psal. 44. 6.
Psal. 17. 9.
Cant. 8, 6.

Tribulatio ænigma est. 4. Vt quis scribat, vel loquatur, quod nemo intelligere potest, inventa fuêre ænigmata, & modi per numeros scribendi. Sed licet hæc sint obscura, & à plerisque incognita; quandoque tamen

tamen reperiuntur adeò subtili ingenio præditi, ut illa interpretari, & aliquo sensu edicere possint. Quid creditis tribulationes, & afflictiones à Deo immissas, aliud esse, quàm ænigmata, & fictos characteres? Hoc Propheta Job testatur dicens: *Ænigmata percipite auribus vestris*; quod juxta expositionem aliquorum de tribulationibus suis inquit. Clariùs Sapiens idem affirmat dicens: *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ*. Per disciplinam indubiè tribulatio intelligitur, juxta dictum Isaiæ: *Disciplina pacis nostræ super eum*. Thesauri Sapientiæ difficiliores intellectu sunt, ideoque major requiritur scientia, thesauri quippe non omnibus publicè exhibentur; sed in secretiori loco reconduntur. Voluit ergò Sapiens dicere, quod illa quæ per tribulationem indicantur, difficillimè intelliguntur, quia in altissima sapientia sunt recondita, & ingens requiritur sapientiæ thesaurus, ut illorum habeatur cognitio. Tribulatio ergò mirabile ænigma, paucis verbis admiranda complectens mysteria, & plurima bona in exiguo præbens tempore. Ænigma est obscurum, & difficile à vulgari plebe minimè intellectum, quæ indignationis, aut odii indicium esse credit. Si tamen ita fuisset, ænigma non esset, sed signum apertum, quia clarè illud exhiberet. Non igitur tale, sed amoris, benevolentiæ, & charitatis indicium, juxta sententiam plurimorum Sapientum; ideoque ænigma vocatur ad differentiam aliorum operum divinorum, quæ clarè hunc amorem prædicant; conformiter sententiæ Prophetæ regii: *Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiuntur voces eorum*. Ut autem singuli meliùs hoc ænigma percipiant, illud hodie clariùs solvere aggrediemur, juxta commune proverbium, clavus clavo facillimè depellitur, ita unum ænigma, alio faciliùs solvitur.

Iob 13. 13.
Eccli. 1. 31.
Isa. 53. 5.
Plurima bona adfert.
Psal. 18. 4.

5. Nónne dicetis omnes hæc obscura esse ænigmata, si vobis dixero, glaciem reperiri ab igne natam; cæcitatem esse, quæ acutissimum præstat visum; amarissimum absynthium, dulcissimum mel producere? His ænigmatibus, volo ænigma tribulationis solvere. Qualis ergo glacies ab igne producta? Qualis Argus acutissimè videns, & cœcus esse non desinens? Quod amarũ absynthium, à melle natum? Non aliud quàm zelus, & zelotypia; est glacies cor refrigerans, & indurans, ab igne tamen amoris nata; Est Argus centenis præditus oculis, cuncta intuens; filius tamen est cæci patris qui sagittando vulnera infligit amoris. Est infernalis amaritudo, quia *Dura sicut infernus æmulatio*,

Zelotypia glacies ab igne amoris producta.
Cant. 8. 6.

æmulatio, à dulcissimo tamen amoris melle producta. Si vobis igitur probavero Deum ex zelo nos affligere, & punire; probatum quoque erit, tribulationem effectum amoris esse, hocque secundo ænigmate primum solutum erit.

Quomodo Deus dicatur zelosus.

6. Sed ecce aliud ænigma non minus quàm præcedens difficile, & obscurum; Deum videlicet zelosum, & zelotypum esse. Quid aliud est zelotypia, quàm suspicio? Quomodo hæc potest in Deo esse, qui omnia apertè cognoscit, dicente Apostolo: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*? (Hebr. 4. 13.) Quid insuper significat zelotypia? Est tristitia & dolor ex eo ortus, quod alius bonum à nobis amatum possideat, nosque ab eo separari videamur, ut docet Aristoteles. (Aristot. lib. 2. Rhetor.) Pluribus gentibus olim moris erat, adulterum capite plecti, quasi dicere vellent, quia tu procurasti sponsam à capite suo quod vir est, separare; meretur pariter tuum caput à corpore dividi. Sed quomodo zelotypia in Deo locum habere potest, qui immutabilis est, & infinitè beatus? Quis autem bonum ab eo amatum, auferre potest, cùm non minor sit ejus potentia, quàm voluntas? Crescit insuper ænigmatis difficultas, quòd zelotypia sit quidem indignationis occasio contra adversarios, & usurpatores objecti amati, non tamen contra personam amatam. Phinees summoperè zelo honoris divini inflammatus, quid agit? An contra Deum indignatus consurgit? Nequaquam, sed contra Zambri, & Madianitas Deum offendentes. Salvator quoque ferventi zelo domus patris sui incensus, dicebat; *Zelus domus tuæ comedit me.* (Psal. 68. 10.) Sed quid egit? Non in parietes aut ædificium templi insurrexit, sed in vendentes, & ementes, ac illud prophanantes. Pari modo si Deus nos zelosè diligat, aliquem nos offendere aut tangere non permittet; juxta quod per Prophetam dicebat; *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: (Zach. 2. 8.) Quasi diceret, eo zelo quo oculos meos custodio, vos quoque conservare volo. Sicut ergò neminem oculos meos tangere, aut lædere permittam, eò quòd sit sensus excellentior corporis, ita vos zelosè custodiam, nec aliquos vos tangere, aut malum inferre permittam.

Uxor non percutienda.

7. Si quis inveniatur qui zelotypiâ inductus uxorem percutit, homo crudelis, & ferus æstimatur, magisque nomen bestiæ, quàm hominis meretur. Id præclarè testatur S. Joannes Chrysostomus dicens: *Uxorem verberare, est extrema contumelia, non ei quæ verberatur, sed ei qui verberat*: & paulò pòst; *Ejusmodi virum, si vir est appellandus, & non bestia; instar patricidæ, & matricidæ* (S. Chrysost. hom. 26. in epist. 1. ad Corinth.)

tricidæ ego dixerim. Rationem autem hujus dicti reddens, ait, sicut enim propter uxorem debet homo relinquere patrem & matrem, nec illi inde dolere possunt, quomodo non erit extrema dementia, & species parricidii, illam percutere, & malè excipere, quæ propter me omnia dereliquit. Hoc gentiles optimè intellexerunt, sacrificantes siquidem Junoni, nuptiarum præsidi, nullam ipsi offerebant victimam, nisi felle priùs dempto, & sub terra sepulto, ut docerent inquit Eusebius; *Absque ira, & odio, & amaritudine matrimonium esse oportere.* Si omnis igitur ira & indignatio à maritis abesse debet, nullo modo uxores suas malè excipere debent. In antiquo testamento Deus maximam inflixit pœnam zelotypiæ, noluitque maritum mulierem idcircò malè excipere, sed ad Sacerdotem adducere.

Eusebius lib. 3. de præpar. Evang. cap. 1.

Quod remedium zelotypiæ?

8. Dico insuper verum remedium zelotypiæ, sunt amplexus, oscula, & amoris exhibitio: non verò verbera, indignatio, & ira. Quid enim zelotypia timet? Non se amari, & in altero affectum dilectæ suæ constitutum esse? vel quid desideraret, ipsum solum ex omni affectu amari debere? Sed nescit quod magnes amoris amor? An ignorat, quod sponsam suam malè excipiendo, timeri se faciet, & timor paulatim convertetur in odium, ex odio orietur despectus, & contemptus; cumque se videat malè excipi ob amorem alterius, si primò non rectè amasset alterum, ut majus tormentum marito adferat, jam omnem affectum suum in eo constituet? Si externas quoque occasiones zelotypiæ auferat: Nónne semper suspicari debebit, ipsam præ timore, non verò amore id agere? Ex hac quoque suspicione, nónne continuò zelotypia cruciabitur? In se certè ita accidere, demonstrabat ille qui dicebat:

Casta precor conjux maneas sanctique pudoris,
Ne sis casta metu quæso, sed mente fideli.

Austeritas, ergò & crudelitas, non est bonum zelotypiæ remedium, sed benignitas, & amor. Veteres Ægyptiorum sapientes, ut amorem mulierum exprimerent, lucernam pingebant; sicut enim ut hæc continuò luceat, semper novum oleum non verò aquam infundere oportet; pari modo qui ab uxore sua amari cupit, non indignationis frigidâ aquâ, sed benevolentiæ & amoris oleo uti debet. Hoc optimè intellexit sponsa divina in sacris canticis dicens dilecto suo: *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis:* quasi diceret, lucernæ adolescentularum continuò ardent, quia oleo amoris

Benignitas zelotypiæ remedium.

Cant. 1. 2.

ris illas semper foves, & imples. Nec zelotypia ergò tribulationum nostrarum causa esse potest, nec talis in Deo reperitur.

Deus summè zelosus. 9. Sed ignoscite mihi, non rectè hæc ænigmata percepistis; Nec falsum tantummodo est, quod conclusistis, verùm etiam oppositum totaliter probandum; nullam videlicet personam in mundo esse, magis zelosum, & zelotypum, quàm Deum nostrum, nec causam universaliorem nostrarum tribulationum, quàm zelotypiam divinam. Deus adeò zelosus, ut sibi ipsi hunc titulum quasi proprium tribuat: *Ego Deus zelotes,* (Exod. 20. 5.) hujus autem zelotypiæ efficacissimum adfert argumentum, dicens; *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Quantumvis aliquis fuerit zelotypus, si uxòrem suam non sibi fidem servare repererit, illam quidem punire potest, non tamen filios, aut filios filiorum punire solet. Deus tamen adeò est zelosus, ut non sufficiat punivisse matrem, verùm etiam, filios filiorum in tertiam, & quartam generationem usque punire solet: idque vult indicare dicendo: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* *Deus nimio amore nos custodit.* Vir zelosus, non vult uxorem suam absque necessitate domo exire, aut per fenestram aspicere; Deus autem non solùm vult sponsam dilectam conservare ne exeat; sed etiam in cubiculo clavi clausam tenere cupit. *Hortus conclusus fons signatus soror mea, sponsa.* (Cant. 4. 12.) Quasi diceret, soror, & sponsa mea, tu pulchra es & videris paradisus terrestris, unde unusquisque tuâ pulchritudine ad amorem allici posset; ideóque meliùs sub clavi custodieris, & quasi hortus undique muris cingeris; Nolo te oculos à terra elevare, quia aspectus unicus cor transfigit, nec capillos tuos monstrare velis, quia illi quoque excruciant. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* (Cant. 4. 9.) Expertus sum virtutem oculorum, & capillorum tuorum, ideoque attende bene ne alios aspicias, aut capillos demonstres, alioquin zelotypiâ me accendes, & cor transfiges. Non meministis Deum propter unicum aspectum uxorem Loth in statuam salis vertisse? Quid causæ creditis subfuisse? effectus zelotypiæ erat, non enim volebat Deus infamem illam civitatem aspectu justi decorari.

10. Parum dixi, non illi sufficit sponsam suam ordinariis muris esse conclusam; verùm etiam propugnacula & turres circumædificat; nec lapidea solùm, sed & argentea. Ita de sponsa sua in sacris Epithalamiis loquens ait: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea:* (Cant. 8. 9.)

tea: quin imò murum igneum illi adjungere cupit ut per Za-
Zach. 2. 5. chariam testatur dicens: *Ego ero illi murus ignis in circuitu.* Nec hoc contentus, vult lectum suum
Cant. 3. 7. à fortissimis viris custodiri; *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël.* O qualis zelotypia! Vir zelotypus nil mali suspicari solet, de patre, & matre sponsæ, quin imò illis fidens, pro custodia adhibere solet, multò minùs de rebus inanimatis, ut aëre, sole, luna, &c. Deus tamen adeò est zelosus, ut nulla sit persona aut aliquid in mundo, cui confidat, aut non invideat. Patri, matri, & amicis
Matth. 10. 37. invidet dicens. *Qui amat patrem, aut matrem suam plusquam me, non est me dignus.* Soli & aëri invi-
Matth. 6. 6. det, ideoque ait: *Ora patrem tuum in abscondito.* S. Propheta Job id bene cognoscens, non audebat cœlum aspicere, aut solem, & lunam fulgentem intueri, ut nullam suspicionem Deo
Iob 31. 26. ingereret; ideoque dicebat: *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè.* Arboribus quoque invidet, ideoque teste Theodoreto, Moysi in deserto apparente, noluit insigni aut fœcunda arbore ad hoc uti, sed in spinoso rubo; ne fortè populus Hebræus illam postmodum adorasset; rubus autem nullum honorem suscipere vellet, sed pungentibus spinis à se omnes abegisset; aëri insuper invidit, quia Moysen alloqui volens, in caliginem obscuram ingredi jussit. Animalibus invidet, illa siquidem ad montem accedere vetuit, dum cum Moyse loqueretur. Membris propriis denique & animæ invidet; *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua;* & *qui amat patrem, & matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. 6. 3.

Deus pro anima nostra summè zelosus.

11. Nec solùm rebus omnibus invidet, sed præcipuè animæ nostræ zelosè attendit; Plurimi homines zelosiores sunt divitiarum, honoris gratiæ principis, aut proprii commodi, quàm uxoris. De Deo nostro dici potest, illum nulli alteri rei magis attendere, quàm animæ nostræ. In mundi exordio, paradiso terrestri zelosè attendere videbatur, constituerat siquidem Cherubim ad ejus custodiam, igneam Romphæam in manu tradiderat, ut omnes intrare volentes cohiberet. Si tamen rectè consideremus, zelus animarum fuit, cùm siquidem vidisset, primos nostros parentes pluris fecisse pomum, quàm ipsum, vehementi suspicione incensus, eos ultra locum illum ingredi prohibuit. Non zelosè conservat sibi mundum & cœlum, illum siquidem homini concessit, & hoc proprio sanguine aperuit; Non carnem propriam, aut personam divinam sibi retinere desideravit, sed illam omnibus in cibum, & potum

tum ſumendam diſtribuit, hanc autem humanitati noſtræ conjunxit. *Sancti* templi ſui aliquantulum videbatur zeloſus, in ejus quippe perſona dictum fuerat; *Zelus domus tuæ comedit me*: Id autem erat, quia domus ſponſæ ſuæ erat, ubi cum illa morabatur: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ita ut nihil zelatur, quod non ſpectat ad honorem ſponſæ ſuæ.

Pſal. 68 10.

Matth. 21. 13.

Quomodo zelotypia Tribulationis effectus.

12. Negari igitur non poteſt, Deum ſummè zeloſum eſſe, ſed quomodo zelotypia effectus tribulationis dicitur? pluribus modis, quod verbis exemplo zelotypi mundani exhibere cupio. Dominus quidam, aut princeps zelotypus, timens ne ſervus quiſpiam ab uxore ſua diligatur, quis ignorat quantum illi invideat, dum enim vel minimam advertit familiaritatem, de domo ejiciens malè excipit, & quandoque occidit. De Antonino Imperatore legitur, dum Fauſtina uxor ejus ſervum ſuum gladiatorem intimè diligeret, ſapientum conſilio eum interfici curavit, ſanguinemque Imperatrici ebibendum tradidit. Cur creditis Deum à te tollere perſonam illam dilectam, aut parentem, fratrem, vel ſororem mori permittere? Ex zelo videt ſiquidem te illum plus quàm ſe diligere: vel majorem amoris tui partem illi concedere, quam totam Deo concedere deberes. Ita teſtatur S. Joannes Chryſoſtomus dum conſiderat Deum præcepiſſe Abrahamo, ut Iſaac filium ſuum occideret, dixit enim illi; *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Iſaac.* Quaſi diceret, video Abraham te plus diligere filium tuum quàm me, amoris tui probationem exhibere cupio, & auferendo filium tuum experiri quid tunc de amore meo erit, idcircò occides eum.

Geneſ. 22. 2.

Cur Abraham non occidit Iſaac, & Iephte occidit filiam ſuam?

13. Præclara hinc apparet ratio, cur non voluerit poſtmodum Deus, quòd Abraham occideret Iſaac, non tamen impedivit ne Jephte interficeret filiam ſuam? Dum enim zelotypus ſuſpicatur uxorem ſuam quempiam nimio amore diligere, minatur ſe illum occiſurum, aut aliò miſſurum; ſi videat illam hoc non curare, aut alacriter ferre, de illa ſecurus eſſe poteſt, ſuſpicionemque ſuam falſam eſſe credit, ſi verò indignetur, lacrymetur, aut contriſtetur, ſuſpicionem veram eſſe credit ipſumque aliò dimittit. Pari modo Deus, de amore Abraham erga filium ſuum zeloſus, experiri voluit, ſi ita eſſet, ideoque Iſaac occidi juſſit, quia verò videt illum promptè hoc exequi, nec ullam quærere dilationem, aut mœrorem oſtendere, de affectu ejus ſecurus amoremque ſincerum erga Deum ſuum cognoſcens ait: *Non extendas manum*

Geneſ. 22. 12.

manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam nunc cognovi quod timeas Deum. Securus sum, inquit, de amore Abraham, retineat filium suum, & vivum conservet. Jephte è contrà videns se voto astrictum, ut interficiat filiã suam, dolet, lacrymatur, & conqueritur, ipsa ac tempus executionis differt, ad duos menses ut defleat virginitatem suam. Deus hoc considerans, confirmat suspicionem suam, permittitque votum executioni mandari, ut se ab illa zelotypia liberet. Hæc non mea inventio, sed S. Ambrosii dicentis: *Quia non una forma meritorum, ideò non una forma factorum. Pater Iephte doluit, flevit filia; non doluit Abraham, nec consuluit parentis affectum, ubi audivit divinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturavit obsequium.*

S. Ambr. lib. 2. de virgin.

Deus semper chariora aufert.

14. Affectus igitur superfluus quem nos erga filios, aut alias creaturas gerimus, Deum zelosum reddit, hincque nascitur nos illis privari. Advertistíne quandoque Deum semper chariora auferre, iisque nos rebus privare, quas potiori amore diligimus? Adam duos habebat filios, unum bonum, & sanctum, Abel dictum; alterum sceleratum & nequam, Cain nempè. Quis primò moritur? Abel. Jacob duas uxores habuit, unam dilectam Rachel, aliam Liam minùs amatam, quæ primò moritur? Rachel; pariter ex duodecim filiis chariorem amittit Joseph. David Amon, & Absalon chariores filios occidi conspicit; Centurioni in Evangelio servus fidelior infirmatur, ut notat Evangelista; *Qui erat illi pretiosus.* Lucæ 7. 2.
Si quoque Antoninus Faustinæ sanguinem gladiatoris ebibendum dedit; nónne idem Deus in lege veteri fieri curavit, dum cinerem vituli aurei ab ipsis primò adorati, potui immisceri, sicque ab illis ebibi jussit? Sed quid legis veteris exempla requirimus, cùm Deus id singulis diebus nobiscum agat, dum acerbum dolorem ex perditione rei amatæ sentire cogit.

Cur Deus nos bonis privat?

15. Homo zelotypus si aliquid uxori suæ tribui conspicit, subitò malum suspicatus, illud ipsi aufert. Socrates videns Alcibiadem uxori suæ suavissimum, & delicatum misisse cibum, indignatione, & zelotypiâ repletus, in terram projecit, & pedibus conculcavit. Cur creditis Deum quandoque divitias, honorem, & sanitatem auferre? ut illum cognoscas Dominum universi, cunctaque ejus nutui obedire, ut donec placuerit illis fruaris. Horum exemplis Scriptura sacra referta est; sic Nabuchodonosori dicitur regnum ejus auferendum, ipsũ q; cum bestiis habitaturum: *Donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Daniel. 6. 29.

illud. In Osee quoque introducitur anima seducta, quæ ait: Oseæ 2. 5. *Vadam post amatores meos, qui dant mihi lanam meam, & linum meum.* Cui Deus respondet, ab illisne hæc dona recognoscis? efficiam ut non ampliùs recognoscas; *Auferam à te lanam meam & linum meum*: privabo te his bonis, & donis, tuncque cognosces me auctorem horum esse.

Deus nos bonis spoliat, ut ad se trahat.

16. Homo zelotypus, non vult dilectam suam ab altero amari, scit enim se difficulter eam ad verum sui amorem reducere posse; cùm amor personam amatam nimiùm attrahat, quia magnes amoris amor. Quid ad hoc impediendum efficit? Non vult illam vano ornatu excellere, sed incomptè procedere, omnibusque deformem apparere vellet, excepto sibi. Hippia Atheniensis, cum statuam auream in templo Apollinis Delphici collocare vellet, noluit eam à Phidia insigni sculptori fieri; ne fortè inquiens, figura materiam excelleret, homines magis artificem quàm donatricem laudassent. Pari modo Deus nos bonis terrenis spoliatos, & à fortuna, mũdo, & servis derelictos videns, zelo amoris sui summoperè lætatur, confidit enim tali modo nos ab eorum amore, ad amorem auctoris fore alliciendos. S. Paulus vitam primorum sanctorum describens, dicebat, illos fuisse, egentes, angustiatos, afflictos, rationem autem hujus miseriæ assignat dicendo tales fuisse; *quibus dignus non erat mundus.* Ad Hebr. 11. 38. Quasi diceret, tantâ miseriâ & afflictione opprimebantur; non quia talia bona non merebantur; sed quia mundus dignus non erat illos recipere. Ne ergò bona temporalia, & mundana diligerent, & vicissim ab eis diligerentur, conveniebat illos omnibus rebus, & bonis à mundo æstimatis privatos existere.

Qualiter Germani legitimos filios probabant?

17. Homo zelotypus amorem sponsæ suæ probare cupiens, quid non efficit, qualia non excogitat media, & stratagemata, quibus argumentis, & quæstionibus eam non exagitat? De Germaniæ populis Celticis nuncupatis, gravissimi referunt auctores, illos ut uxorum fidelitatem probarent, filiorum vitam mille periculis exponere non metuisse; in scuto siquidem vix natos Rheno flumini exponentes, si aquis immergerentur, legitimos non esse judicabant; si verò ad ripam incolumes appulebant, ut veros filios legitimo thoro natos amplectebantur matresque eorum fideles fuisse judicabant. Nec minùs zelosos se populi Pisilli dicti exhibebant, filios siquidem recenter natos serpentum morsibus exponentes, eadem virtute, quâ serpentibus illæsi resistebant,

bant, filios quoque legitimos pollere credebant; adulterinos verò morsibus illorum enecari sinebant. Non aliter Deus nobiscum agit, cujus filii sunt opera bona à sponsa sua, anima fideli, producta; ut legitimos autem ab illegitimis discernat, à serpentibus venenosis peccatoribus nempe, & undis persecutionis affligi, & turbari sinit; si in vita permanserint; si videlicet ob persecutiones, & tribulationes bene operari non desinant; signum est evidens, Deum gratiâ suâ auctorem bonorum operum fuisse, nec illa alio titulo aut respectu quàm ad honorem Dei perfecta. Optimè hoc intellexit prudens, & doctus Gamaliel, qui cùm Judæi de operibus Apostolorum quid agendum inquirerent, sapienter respondit illa tali modo probanda esse; *Discedite* inquit, *ab hominibus illis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur, si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* Quasi diceret, si filius Dei legitimus est, licet contra illum furentes insurgant undæ, aut venenosis appetatur serpentum morsibus, perire non poterit; si verò legitimus non est, sed partus humani cerebri, subitò à persecutionis undis absorbetur, aut tempus illum serpentis instar corrodet, & consumet. S. Paulus idipsum declarabat dicens: *Flagellat omnem filium quem recipit*; antequàm Deus aliquem pro vero filio suscipiat, tribulatione, & flagellis, ut lapide lydio probare solet.

Deus per tribulationem probat legitimos filios.

Act. 5. 38.

Hebr. 12. 6.

18. Si omnes conditiones & inventiones amantis zelotypi enarrare vellem, vix umquam finirem; sed hac ultimâ discursum nostrum concludamus; nimirum se quandoque indignatum exhibens, à dilecta discedit, ut videat si solida, & firma in amore permaneat; si malleorum ictibus, ut verus Adamas fortiter resistat, aut ficti instar Adamantis disrumpatur. Pari modo Deus quandoque agit; discedit ab anima, illamque afflictam, desolatam, & aridam relinquens, persequi & malè excipi permittit, imò ipse illam affligendo percutit, ut fidelitatem ejus, & constantiam probet. Ita in sacris Canticis sponsam dilectam excepisse legimus; cùm enim de nocte surrexisset, ut dilectæ suæ aperiret, illamque recessisse videret, multas tribulationes quærendo perpessus est. Pariter Tobiæ seniori accidit, cui Angelus apparens dixit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Hac denique viâ omnes sancti processerunt; idem siquidem est dicere, Deus non punit aliquem, ac dicere nullam ipsius curam gerit. Hoc egregiè per Prophetam suum indicare volebat dicens: *Auferatur*

Deus quandoque se abscondit ut probet.

Tobiæ 12. 13.

Ezech, 16. 42. *ratur zelus meus à te*; Non amplius curabo quid agis, per vias tuas abire te sinam, quocumque volueris, quibuslibet adulteris conjungi te permittam. Nec illos solùm derelinquit, verùm etiam à se longè abjicit, ut per Prophetam Jeremiam dicebat, dum aliqui ridendo quærerent; *Quod est onus Domini?* ad quod illum respondere curabat: *vos estis onus, projiciam quippè vos dicit Dominus*; quasi diceret, quid vobis cum minis & indignatione divina; tanto favore indigni estis, cùm vos à me projecerim; cùm enim pondus tribulationis à me vobis immissum, abjeceritis, nec pondus peccatorum vestrorum suscipere volo, ideoque illud à me longè projeci. Castigari ergò & à Deo percuti magni amoris indicium.

Jerem. 23. 33.

Ibid.

Castigatio amoris divini indicium.

19. Ut autem castigationem divinam amoris indicium esse probē, insolitus Muscoviæ modus denotandus; nullum siquidem iis majoris amoris indicium, quo servos, filios, & uxorem amare probant, quàm verberibus illos sæpius excipere. De hoc graves referunt auctores, quòd cùm extraneus quidam mulierem Muscoviticam in uxorem duxisset, lamentabatur illa, se à marito non diligi; cui cùm maritus quadam vice dixisset, cur de me conquereris quòd te non diligam, quid vis faciam? An in aliquo tibi servire negligo? Nequaquam, inquit uxor; verum tamen est, me à te non rectè diligi; unde hoc colligere potes, inquiebat ille: quia me verberibus numquam excepisti; verbera igitur amoris indicia reputas replicabat ipse? Non ampliùs hoc mihi exprobare poteris; tali siquidem modo amorem meum tibi exhibebo, ut nimiùm quandoque esse conquueraris. Fuste igitur arrepta, illam toto corpore adeò crudeliter excepit, ut exanimem, & mortuæ instar dereliquerit; At illa nullo modo propterea indignata, aut irata, sed majorem illi amorem, & obedientiam exhibuit. Pari modo fideles & veros Dei servos agere dicite; Evidentissimum amoris signum tribulationes, & afflictiones æstimant; ideoque conqueruntur si Deus nullas immittat. Ita Jeremias Deo dicebat: *Noli Domine in patientia tua suscipere me*: & Habacuc idem à Domino exigebat; *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*; S. Augustinus quoque, & S. Virgo Teresa expostulabant à Domino dicentes; *Domine hîc ure, hîc seca*: *Aut pati aut mori.* Sic S. quidem Eremita desiderio patiendi inflammatus, dolebat se à Deo exauditum non fuisse, ut anno integro infirmaretur.

Jerem. 15. 15.

Habac. 3. 16.

Vt fumus pulchriores sic tribulatio meliores sequitur.

20. De zelotypia igitur verificandum videtur, quod de fumo

mo dici solet; Accidit quandoque hieme, ut igni assidentibus fumus oboriatur, & à vento, aut alia occasione, magis in unam, quàm in alteram partem deferatur, quod communi adagio solere fieri dicitur, quia fumus pulchriores appetit; Non quòd fumus talem formet discursum, sed ad indicandum, pulchriores superbiores esse; vel quòd candidi coloris, aut speciosioris formæ, magis offuscari timent, vel quia de fumo conquerentes illos magis persequatur quasi pulchritudini invidens, vel cùm fumus sit indiciũ ignis, dici potest pulchriores attrahere fumum, quia igne amoris flagrant: Quomodocumque sit, tale est proverbium. Idem nobis de zelotypia dicendum videtur, sicut enim à splendente, & ardente igne, fumus niger, & obscurus nascitur; Ita à delectabili amoris igne, obscurus, & despicabilis zelotypiæ affectus prodit. Sicut ille lacrymari efficit, sic ille cùm sit tribulationis occasio, ex oculis alterius lacrymas excitat. Cùm ergò animam plangentem conspicis, quid aliud cogitare potes, quàm versus illam zelotypiæ fumum directum, ideoque à Deo dilectam, & pulchram esse credere poteris. Insignis erat populus Israëliticus, & à Deo plurimùm dilectus, teste Balaam dicente; *Quàm pulchra sunt tentoria tua Israël?* Ideò à Deo sæpius afflictus, & tribulatus; sed fumus divinæ zelotypiæ illum lacrymas effundere curabat: unde Moyses prædicebat illis dicens: *Dominus non ignoscat ei, sed nunc quàm maximè furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum*; hîc apparet quomodo pro eodem accipiat zelum, & fumum, tribulationem ordinariè insequentem, ideoque illis sic eventurum prædixit.

Num. 24. 5. | Deuter. 29. 20.

21. Hinc clarè apparebit, cur Deus Isaiæ Prophetæ, in sublimi, & magnifico throno apparens, templum fumo repletum fuerit, & populo Hebræo plurimas tribulationes minatus fuerit? Quid enim gloriæ, cum fumo? Cubiculum infumatum, nobilis dedignaretur inhabitare; quomodo ergò Deus gloriam suam à Seraphinis illustratam exhibens, domus repleta est fumo? Si indignationes, quoque & tribulationes minatur, cur non potiùs Cherubinis quæ symbolum sapientiæ sunt, aut Thronis, & Dominationibus, quæ majestatem, & imperium indicant, associatus venit: his quippè omnibus tribulatio, & castigatio meliùs applicari potest, quàm Seraphinis, qui amoris sunt symbolum.

Isa. 6. 1. *Cur gloria Domini cum fumo apparet?*

22. Quantum ad fumum, scio S. Jeronymũ respondere: quod *Postquam terra repleta est, gloria Domini Sabaoth, Iudæorum templum repletum est ignorantiæ tenebris.*

Fumus zelotypiæ symbolum

bris. Sed quid dico hæc cum Seraphinis, & amore divino? Dicamus ergò fumum zelotypiæ symbolum, sicque omnis difficultas solvetur. Zelotypia quippè ab amore nascitur, ideo fumus rectè Seraphinis associatus. Zelotypiam sequitur castigatio personæ dilectæ, quia ejus occasio est; & fumus Seraphinis amore divino inflammatis, rectè conjungitur. Zelotypus amans, se majori amore super omnes dignum æstimat; Ecce dominus noster, pulchrior, & gloriosior præ aliis omnibus apparet, & meritò à Seraphinis, & omnibus sanctis diligendus. Si ergò delinquis, & sanus ac felix es, omniaque tua prosperè procedunt, nec ullas patiaris molestias; Cave, ingemisce, & time ne Deus manum suam, & zelum à te retraxerit; ne fortè iram, & indignationem in futuro sæculo contra te effundendam reservet, quam hîc bonis operibus, & eleemosinis redimere potes.

SECUNDA PARS.

Cur anima dilecta non zelosè Deum amat?

23. Occasione hujus materiæ, Deum summè esse zelosum, insigne mihi occurrit dubium; Cur nimirum Deus adeò sit zelosus, ut non velit animam dilectam alium diligere, aut bono oculo aspicere; illa verò à simili zelo tam longè abest, ut non tantùm velit Deum plures habere sponsas, & animas dilectas; verùm etiam illas procuret, & ad eum adducere satagit. Hoc dubium in sacris Epithalamiis apertissimè exhibetur, ubi sponsi, & sponsæ amores enumerantur. Deus se summè zelosum exhibet dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum, super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Cant. 8. 6. Sponsa verò se longè ab amoris zelo abesse fingit dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Cant. 1. 3. Ex zelo quærit sponsus dilectam suam, conclusam esse, ne egredi possit; *Hortus conclusus soror mea sponsa, fons signatus*; Cant. 4. 12. Ut autem dilectus ejus ab omnibus ametur, omnes filias sponsa invitat, ut egrediantur, & illum aspiciant: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coravit eum mater sua*. Cant. 3. 11. Sed quid sibi hoc vult? An hic amor sponsæ versus dilectam suam non adeò fervens, ut nullo zelo incensus omnes admittere velit? Se tamen præ amore languere dicit: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo*, Cant. 5. 8. cur ergò non zelosè eum diligit? Si verò zelo inflammetur, quomodo vult habere æmulos?

Est amor amicitiæ & concupiscentiæ.

24. Ut huic dubio respondeamus, advertendum est duas esse species zelotypiæ, prout duæ sunt

sunt species amoris. Amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ, primus respicit bonum amantis, alius bonum proprium; v.g. Pater amat filium, sed quomodo? Amore amicitiæ, quia illum sanum, honoratum, & excellentem præ omnibus desiderat: gulosus amat cibum, sed quomodo? amore concupiscentiæ ut fruatur, comedat, & gustet. Tales sunt duæ species zelotypiæ: pater dicitur zelosè amare filium, ne aliquis ipsi malum inferat; sed gulosus zelosè appetit cibum, ne quispiam illum eripiat. Anima sancta ambobus modis amat Deum amore amicitiæ, quia eum ab omnibus laudari desiderat; amore concupiscentiæ, quia castissimis ejus amplexibus frui cupit. Zelus amorem amicitiæ sequens, est summus in illa, unde animam suam transfigi sentit, dum Deum suum despectũ considerat, juxta dictum psalmistæ: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus.* Tali zelo inflammatus fuit S. Propheta Elias, dicens: *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercitum.*

Psal. 41. 4.

3. Reg. 19. 10.

In Deo non est amor concupiscentiæ.

25. Quantum ad aliam zelotypiæ speciem non est hæc in anima versus Deum, adeò siquidem est immensus, & excellens, ut licèt à multis adametur, unaquæque tamen non minùs illo fruitur, quàm si sola fuisset; sicut enim lautissimæ assidens mensæ, non invidet aliis, nec illos adversarios æstimat, eò quòd eodem fruantur cibo, sed potiùs de communi societate lætatur, cùm ciborum abundantia omnibus plenè sufficiat. Si tamen unicus cibus apponeretur famelico, non pateretur alios secum comedere, cùm ipsi soli insufficiens sit quantum magis aliis pluribus. Pari modo cùm in Deo tanta reperiatur abundantia bonorum, quæ infinitis animabus sufficeret, non mirum si nulla in eis reperiatur zelotypia, aut invidia. Gentiles parum Diis suis tribuentes, ne illos immensos aut infinitos ut verè non erant reputantes; zelosi nimiùm ab iis derelinqui timebant. Romani nomen Dei sui protectoris indicare nolebant; timentes ne fortè ab aliis gentibus potiori honore cultus, illos derelinqueret. Eadem fortè de causa Athenienses aram erexerant *Ignoto Deo*. Tyrii Herculem cum Apolline ligatum tenebant, ne fugeret ab eis; Lacedæmonii, Martem ferreis compedibus vinctum conservabant, ne se movere, aut ab iis fugere posset. Credebant stolidi, & insipientes se fore ab eo adjuvandos qui seipsum adjuvare non posset, seque victoriam ab inimicis per hoc idolum consecuturos quod mancipii instar vinctum, & catenis constrictum tenebant.

Amor Dei infinitus, ideo nulla zelotypia.

tenebant. Immensam ergò virtutem, & infinitum Dei amorem cognoscentes, nullam occasionem zelotypiæ habere possumus; Deus autem meritò amorem nostrum zelosè attendit, quia cor nostrum adeò est angustum, ut duobus amoribus sufficere non possit; multò minùs pluribus, juxta dictum Evangelici Prophetæ: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; & pallium breve utrumque cooperire non potest.* Nec mirum Deum amoris comitem admittere non velle, sed solùm in possessione illius persistere; hincque tribulationis nostræ præcipua occasio.

Isaiæ 28. 20.

Argumentis contrariis respondetur.

26. Nec erit difficile rationibus contrariis respondere; quid enim dicebatur, Deum nil latere, ideoque nullam zelotypiæ suspicionem admittere posse? rectè dicitis de illa quæ ex suspicione nascitur, non verò de illa quæ ex certa scientia; si enim suspicio zelotypiam generet, quantò magis certa scientia? Si quoque zelotypia cum certa scientia esse non possit; quomodo Sapiens diceret: *Auris zeli audit omnia*? Dico insuper licèt Deus certò omnia cognoscat, non præsentia solùm, verùm etiam futura; sæpius tamen nobiscũ agit, ac si nesciret, ita enim cognoscit quis salvandus, aut damnandus, non tamen his quandoque bonas admonitiones, & inspirationes, & gratiæ sufficientis auxilium tribuere desinit, ut salvare se possint. Illos autem in pericula damnationis incidere, tentationibus agitari, & dum peccant gratiâ suâ privari, & inimicos constitui permittit. Pari modo licèt omnia cognoscat, quæ anima perficiet, ut sponsus tamen zelosus, & fervens amans diligenter singula attendit, & observat.

Sap. 1. 10.

In Deo est zelotypia absque imperfectione.

27 Quid dicebatur zelotypiam mœstitiam quandam esse, quæ in Deo summè beato locum habere non potest? Verum est in nobis ita esse, sed non in Deo, in quo omnia sine imperfectionibus reperiuntur; sicut ira, odium, misericordia, in nobis propter imperfectionem nostram, non sine perturbatione, & dolore reperitur; in Deo autem hæc omnia absque ullis imperfectionibus, aut dolore reperiuntur. Quid ergò in Deo zelotypia erit? Non dolor, aut tristitia, sed simplex displicentia, quòd anima ab illo amata, aliis amorem suum impendat. Quid dicebatur, Deum esse omnipotentem, ipsumque volendo objectum amatum præoccupare posse? Verum est; sicut tamen ne libertatem quam nobis contulit, impediat, permittit ut peccemus, & postmodum castigat; ita nos alios extra ipsum amare sinit, & postea vindictam sumit.

ſumit. Quid dicebatur, zelotypum adverſarios impetere, non verò perſonam amatam? Verum eſt dum hæc inculpabilis eſt, ſi verò culpabilis, contrà illam primò inſurgit.

Deus rectè punire novit, non autem homines.

28. Quid dicebatur uxores à maritis non eſſe percutiendas? Reſpondeo circa hoc multa occurrerent dicenda, nec maritis ſeveris, rationes, & auctoritates deeſſe poſſent, ſed ut fragili muliebri ſexui faveam, abſolutè concedere volo non eſſe percutiendas. Sed nónne videtis magnam eſſe diverſitatem, inter virum & mulierem, inter Deum & animam? Vir ſocius eſt mulieris, non Judex, aut dominus; Deus autem non tantùm ſponſus, ſed Dominus, & Judex. Vir inſuper indiſcretus, & furioſus eſt, quòd ſi virgam in manu ejus relinquamus, neſciet ſervare modum; Deus autem eſt diſcretiſſimus, & miſericors, numquam debitos excedens terminos, nec ipſos attingens. Adjungendum quoque, marito uxorem caſtigare licere, ob Dei offenſam, ut in Deuteronomio prçcipitur: *Si tibi voluerit perſuadere uxor quæ eſt in ſinu tuo dicens, eamus, & ſerviamus Diis alienis; ne acquieſcas ei, neque parcat ei oculus tuus*; Si ergò propter zelum honoris Dei, maritus proprię uxori parcere non debet; quantò minus admirandum, ſi Deus illi non ignoſcat? Variis denique modis poteſt maritus caſtigare uxorem ſuam, abſque eo quòd percutiat; ideoque à negata poteſtate percutiendi, non bene infertur illicitum eſſe illam caſtigare.

Deuter. 13. 6.

Tribulatio imperfectiones demit.

29. Quid dicitis mulierem lucernam eſſe, quæ oleo amicitiæ & benignitatis, non aquâ rigoris, & indignationis alenda eſt? Verum eſt; ſed ignoratis lucernam non oleo ſolùm indigere ut clarè luceat, ſed emunctorio, aut forcipibus, ut à ſordibus purgetur? Pari modo non negamus amplexus, & benevolentias à maritis uxoribus exhibendas; nec dicimus Deum animabus dilectis non bene velle; quin imò affirmamus illum in his omnes amatores excedere. Adjungimus tamen, nõ convenire ut uxores in plena libertate relinquantur, ſed appetitus quãdoque reſecandi; ſicque aſſerimus Deum tribulationis forcipe quandoque uti.

De zelo divino maximè gaudendum.

30. Ex antedictis documenta nobis utilia haurire poterimus; primò ingentem exultationis, & lætitiæ affectum, eò quòd habeamus Deum adeò zelosè nobis attendentem. Sed quempiam me arguentem audire videor, quid dicis in hoc exultandum, cùm maximè ſit dolendum; nullus ſiquidem majori pœnâ afficitur, quàm qui zelotypo continuò obedire tenetur. Dicat hanc afflictionem infelix

f illa

illa adolescentula, quæ nec oculos erigere, nec pedes movere, nec os aperire audet; non frontem hilarem, nec mœrentem, non ornatum superfluum, aut decentem assumere, quin subitò ab indiscreto aut zeloso marito sinistram in partem interpretetur, ita ut in maxima semper afflictione, & continuâ anxietate versetur. His tamen non obstantibus iterum repeto, nobis summoperè lætandum, felicésque nos reputandos, Deum adeò zelosè nobis attendere. Cùm enim nulla sit zelotypia sine amore, tantum est bonum à Deo amari, ut nullum possit esse malum adeò magnum, quod tanto amori prævaleat. Ulteriùs quoque procedendo dicere audeo, zelum divinum nobis unicè optandum. Pulchra est differentia, inter humanam & divinam zelotypiam; illa meritò ventus, & hæc ignis appellari

Num, 5, 14. potest. De illa dicitur: *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum*; Spiritus, & ventus idem sunt, hæc

Psal. 78. 5. verò ignis est teste Davide; *Accendetur velut ignis zelus tuus.*

Differentia inter zelotypiam humanam, & divinam.

31. Dicet fortè quispiam quid hoc refert? Plurimum referre jam exhibebo, primò quia ventus refrigerat, ignis calefacit, zelotypus amando frigidus fit, & tandem amorem in odium vertit, & ignem in glaciem, ideoque zelotypia frigida ut glacies dicitur. Deus autem licet maximè zelosus, non tamen amare desinit, imò ferventior in amore evadit. Ventorum nec originem nec terminum cognoscere possumus; quia nescis unde veniant, aut quò vadant; ignis autem originem & terminum cognoscere possumus, ab humana quippe industria accenditur, & postmodum cœlum ascendit. Pari modo zelotypiæ humanæ quis originem indagare potest? Infelix mulier mariti zelotypiâ excruciata, occasionem istius quærit, nec fortè invenit; quodque remedium istius esse cogitat, quandoque majus est incentivum; unde terminum ejus, & finem ignorat. Divinæ autem zelotypiæ originem & terminum cognoscimus, originem ex peccatis trahit, ante peccatum namque Deus hominem absolutum, liberum, & dominum universi creaverat, in statu felicissimo illum constituerat, cùm non timeret illum aliis rebus creatis adhæsurum; post peccatum verò zelosè nos custodit, & charioribus quandoque privat, ne affectu nimio illis adhæreamus. In nostra insuper potestate non est cohibere ventum, sed ignem facillimè extinguere possumus, vel materiam subtrahendo, vel aquam infundendo. Pariter origo & finis zelotypiæ humanæ, nobis incognitus, & licet fidelis mulier undique occasiones auferre quærat, in vanum

Quæ origo zelotypiæ divinæ?

ſæpe laborat; Divinæ autem zelotypiæ facillimè remedium adhibere licet; Deus ſiquidem perfectiſſimè cor noſtrum cognoſcens, dum illi totum tribuerimus, non ampliùs zelosè nos conſervabit.

Zelotypia divina à Spiritu S. humana à diabolo.

31. Parùm huc uſque dixi differentiam talem eſſe inter humanam & divinam zelotypiam, qualis inter ventum, & ignem; ſed dicendum potiùs eſſet, talem eſſe, qualis eſt inter diabolum, & Spiritum ſanctum, qui totus ignis, & amor eſt. Humanam zelotypiam diabolicam inventionem eſſe, nulli dubium eſſe poteſt, ut ſcriptura ſacra
Num.5.14. his verbis teſtatur: *Si ſpiritus zelotypiæ concitaverit virum*: Sicut enim dicendo *Spiritus fornicationis*, diabolus intelligitur qui ad fornicationem inſtigat; ita dicendo *Spiritus zelotypiæ*, idem eſt ac dicere ſpiritus qui zelotypiam excitat. Textus inſuper Hebræus huic opinioni favet, ubi ſiquidem nos legimus; *concitaverit*, Hebræi legunt; *tranſierit ſuper virum*; quod de ſimplici affectu in corde humano producto dici non poteſt; ſed de re externa intelligendum, qualis eſt diabolus, ita ut idem ſit dicere zelotypus ac obſeſſus, id clariſſimè teſtatur S. Joannes Chryſoſt. de marito zelotypo loquens: *Cùm verò eo furore corripitur, nihilo melius efficitur quàm qui à Dæmonibus agitantur, aut mente capiuntur, adeò incontinenter effertur, exultat, & ſtomachatur in omnibus.* In rege Saule hoc de facto apparuit, qui abſque ulla cauſa malè de Davide ſuſpicatus, ipſique invidus eò quòd regni invaſionem prætendere arbitraretur, ſubitò à ſpiritu maligno correptus fuit; *Spiritus do-* 1. Reg. 16.
mini malus arripiebat Saul. Quid 23.
mirum ergò ſi unuſquiſque zelotypum fugiat? E contrà autem cùm zelotypia divina ſit Spiritus ſanctus, totus amoroſus, benevolus, ſuavis, & conſolator, quis eum continuò ſecum habere non deſiderabit?

Quomodo zelus Dei habendus.

33. Secundum documentum eſt, quòd ex eo diſcamus, zelum Dei nos habere debere; ſed numquid diximus animam dilectam non zelare amorem divinum? Verum eſt, ſed attendite, non enim contradictoria loquar. Duobis modis volo vos zelum Dei habere, primo modo zelum amicorum, ut nimirum procuremus honorem, & amorem Dei in omnibus, maximumque ſentiamus dolorem in contraria ſucceſſione. De ſummo Sacerdote Heli legimus quod in domo ſua ſedens, & anxio animo belli eventum inter Iſraëlitas, & Philiſtæos expectans; nuntium acceperat peſſimum, quòd populus Iſraeliticus, non ſolùm terga verterat, verùm etiam plurimi eorum interfecti fuerant; inter quos duo

filii Heli, & Arca Dei capta erat. Notat autem Scriptura sacra Heli his novis auditis nullo modo se commovisse, sed Arcam Dei captam audiens, *Cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est*; filiorum suorum mortem, & stragem populi patienter tulit; sed Arcæ captivitatem, & injuriam Dei, sufferre non valens præ dolore interiit. Pariter nos omnes in injuriis propriis ferendis patientes esse debemus; dum verò injuriam Deo factam, & adversitatem Ecclesiarum audimus, patientiâ derelictâ, sancto zelo, & irâ succendi debemus.

1. Reg. 4. 18.

34. Tali modo in Apocalypsi laudatur Ephesiorum Episcopus, cui Deus dicit; *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos*: Sed quomodo hæc duo simul esse possunt, patientia, & non posse sufferre malos? Quis actus patientiæ, nisi tolerantia? quis autem impatiens dicitur, nisi qui nil sufferre potest? Dices fortè non dici absolutè Episcopum illum sufferre nil potuisse, sed non potuisse sufferre malos; bene quidem, sed in hoc rectè consistit patientia, ut malos sufferamus, boni siquidem nullam nobis inferunt injuriam, nec persequuntur, quin imò liberales, mites, & humiles sunt; ita ut patientię virtus in tolerantia malorum, non verò bonorum consistat; juxta dictum principis Apostolorum: *Servi subditi estote dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis, hæc est enim gratia*. Qualiter ergò verba Apocalypsis convenire dicemus? facillimè id fiet, si dicamus Episcopum à bona patientia, & sancta impatientia laudari; de patientia in propriis injuriis, & impatientia in Dei offensa sufferenda.

Apoc. 2. 2. *In Dei offensione impatientes esse debemus.*

1. Petr. 2. 18.

35. Hanc impatientiam ad praxim reduxit S. Petrus dum à Simone Mago sollicitatus ad venditionem Spiritus sancti; in qua petitione non solùm Deus, verùm etiam Apostolus offensus fuit, quasi talis esset, qui pecuniâ se corrumpi sineret; sicut injuriam facit judicii qui pro sententia sive justa, sive injusta obtinenda, pretium offert. Advertendum tamen est, quàm diversimodè se S. Petrus gerat, in simili casu, quàm alii judices agere soleant, illi torvo vultu se ad offerentes convertunt, dicentes pudeat vos mihi hæc offerre, insignem promeriti estis castigationem. S. Petrus autem non conqueritur Simonem Magum de illo adeò iniquam concepisse opinionem, non dolet propter propriam offensam; sed totum hoc agit ad Dei offensam vindicandam, ideoque dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri*. Ita ut in propriis injuriis

Act. 8. 20.

injuriijs patientissimus, in Dei autem injuriis impatiens fuit.

36. Secundam quoque zelotypiæ speciem versus Deum nostrum, ut sponsus erga sponsam gerit, habere debemus; non quòd nolimus alios Deum nostrum amare, hoc enim esset contra dicta præcedentia, sed quòd nolimus alios magis quàm nos eum diligere. Tali zelotypiâ inflammatæ erant sanctæ illæ virgines Theresa de Jesu, & Maria Magdalena de Pazzi, dum adeò in amore divino ferventes summum amoris gradum se concupiscere indicabant. Hæc est sancta æmulatio ad quam Apostolus suos exhortabatur dicens: *Æmulamini charismata meliora*, volebat illos ad bravium currentibus assimulari, qui semper præcurrere gestiunt, ut velociores aliis præmium auferant.

1. Corinth. 12. 31.

Sanctus timor Dei acquirendus.

37. Tertium documentum sit sanctus, & amabilis timor, nullus si quidem magis vindicativus, quàm zelotypus; Id Sapiens clarè his verbis testatur; *Zelus viri non parcet in die vindictæ.* Talis est Deus noster qui de seipso testatur dicens: *Ego Deus zelotes visitans peccata parentum, in quartam, & quintam generationem*; & S. Job de eo dicit: *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Nos ergò ut fideles sponsæ non timore pœnæ, sed ne Deo nostro displiceamus, cui minimum quid malè actũ maximã concitat afflictionẽ, ab omni opere iniquo abstinere debemus. O qualis cogitatio continuò cordi nostro inhærere, & nos instar fortissimi fræni ab omnibus illicitis appetitibus retrahere oporteret. Id præclarè testatur insignis vitæ spiritualis magister dicens: *In veritate didici, nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo reperiaris, non altum sapere, sed timere. Cùm adest gratia time, ne non dignè opereris ex ea, quid si recesserit? tum multò magis timendum? planè multò magis, quia ubi deficit gratia, deficis tu. Iam si gratia repropitiata redierit, multò amplius tunc timendum, ne fortè contingat recidivum pati.* Si omnia quæ S. Bernardus ibi notatu digna refert, enarrare vellemus, digna certè essent litteris aureis scribi, & continuò à personis propriæ salutis cupidis in pectore gestari. Utilissimus ergò hic sanctus, & humilis timor est, ad quem obtinendum, optimum est remedium, recordari nos Deum zelosum, & animæ nostræ sponsum habere, qui singula opera zelosè scrutatur.

Prov. 6. 34.

Exod. 20, 5.

Job 9. 28.

S. Bernard. serm. 54. in Cant.

38. Antiquitus annulo quævis sigillare solebant, juxta illud Darii regis, qui annulo suo, & optimatum suorum sigillaverat lapidem ori putei impositum ubi

Daniel. 6. 17.

Cor nostrum sigillandum.

ubi Daniel custodiebatur; & portam templi ne quis intraret. Hinc fortè consuetudo olim inolevit, annulum digito annulari imponere, quia cordi hic correspōdet, in signum quasi quod sponsus sigillaret cor sponsæ suę, ita ut nullum alium in corde suo admittere deberet. Ad hoc intentum sponsus in Canticis alludere videtur, dicens sponsæ suæ: *Pone me ut signaculum super brachium tuum, ut signaculum super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: quod videlicet non solùm sim signum in brachio tuo, per annulum digito impositum, verùm etiam in corde, ita ut Dæmon, nec alius terrenus affectus, audeat illud aperire, & intrare. Quando rei alicujus recordari cupis, signum aliquod, vel nodum in strophiolo, vel cingulo ponis; illud quoque vellem te efficere ut Dei tui recordareris; & poneres illum ut signaculum super cor tuum, & brachium tuum. Nec solùm hoc signum tibi, verùm etiam aliis inservire deberet. Dum epistolas imagine magni cujusdam principis sigillatas vides, nullus eas aperire audet, tale debet esse cor.

Cant. 8. 6.

Mos militum uxorem ducendi.

39. Insignis olim militibus mos erat, ut dum civitatem quandam diripiendam consecuti fuerant, si filiam aliquam ipsis placentem conspexerant, ut illam sibi asciscerent, sufficiebat capiti ejus cassidem cum pluma imponere, ut singuli eam videntes, alteri destinatam scirent, sicque nullus illam attingere auderet: hæc Plutarchus in vita Arati, insignem subjungens casum, quod filia taliter ornata, tantum terrorem inimicorum exercitui impulerit, ut occasionem totius illorum ruinæ præbuerit. Si ergò milites eo tempore quo prædæ intenti, diaboli potiùs infernales quàm homines videbantur, talem reverebantur filiam, ut nullus eam attingere præsumeret; quantò magis diaboli reverebuntur animam cui signum amoris, & possessionis impresserit Deus? Hinc sponsa in Cant. *Terribilis ut castrorum acies* apparebat; quia signum divini amoris in illa relucebat; *Ordinavit in me charitatem*, vel ut Septuaginta verterunt, *vexillum ejus super me charitas*; Illud pariter S. Agnes de Christo dicebat: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.*

Cant. 6. 3.

Cant. 2. 4.

Patientia amorem probat.

40. Sed quo argumento anima demonstrare poterit, nullum alium amantem se admisisse? Tribulationes patienter ferendo. Dum in lege veteri zelotypus uxoris suæ fidem tentare volebat, ipsam ad Sacerdotem adducendo potum amarissimum, & maledictum offerebat, quo hausto si non turbabatur, aut crepabat, innocentia

ejus

ejus manifesta erat; si verò culpabilis inveniebatur, ventrem inflammabat, & omnia viscera conturbando, latera disrumpebat, unde honorem, & vitam simul amittebat. Talis rectè est probatio, quam Deus nobis exhibet; aqua amara exhibita, est calix tribulationis, quem si bibendo constans, & intrepidus perseveras, non de Deo conquераris, nec de proximo obmurmures, non verba injuriosa proferas, signum est te fidelem, & dilectam Dei sponsam esse; Si autem ab ira & indignatione devictus, impatientiâ quietem conscientiæ perdas, si crepare te sentis, præ desiderio capiendæ vindictæ, quàm malum hoc signum, & argumentum clarum, te amorem tuum extra Deum collocasse & in rebus creatis te quietem quæsivisse. Hanc aquam ebibendam Deus Abrahamo dedit, dum illi dixit: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer illum super unum montium quem monstravero tibi*: Gen. 22. 2. quia verò constans, & patiens fuit, se divinæ voluntati resignans, dixit illi Deus; *Nunc cognovi quod timeas dominum.* Ibid. 12. Hæc aqua Prophetæ Job tradita fuit, quia verò illam sine nocumento deglutivit, & patienter sustinuit, à Deo servus fidelis, & constans declaratus fuit. Cùm ergo te afflictum sentis, dicas quoque hanc esse aquam amaram quam Deus tibi offert, ut probet fidelitatem tuam? Bibe ergò illam alacriter, ut cognoscant omnes te Deum amare; ita enim testatur Salvator se libenter mortem recipere; *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrẽ, & sicut mandatum dedit Pater sic facio*; Ioan. 14. 31. atque ita ut sponsæ fideli tibi gloriam suam communicabit.

DISCVR-

DISCVRSVS XXX.

In tribulatione amor Dei mirabiliter elucet, illam siquidem illibenter mittit ad confusionem peccatorum, qui de Dei offensione, & malo proximi lætantur.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

An tribulatio ex amore vel odio. nu. 1. 2.

Deus nos libenter punire videtur. à num. 3. *usque ad* 7.

Illibenter tamen, & coactè punit. à num. 8. *usque ad* 14.

Occasiones non castigandi quærit. à num. 15. *usque ad* 21.

Minatur, præmonet, & dolet. à nu. 22. *usque ad* 27.

Argumentis contrariis respondetur. num. 28. 29. 30. 31.

Tribulatio ex peccatis provenit, ideò proximo compatiendum. à num. 32. *usque ad finem.*

Odium tribulationis causa.

1. Cupido aureo suo arcu amoris sagittas evibrans; pungentia quandoque tribulationis tela emittere solet; quod ultra omnes probationes clarissimè edixit æterna sapientia; *Quem enim diligit Dominus castigat.* (Hebr.12.6.) Sed quis pariter negare potest, eadem quandoque à crudeli, odii, & indignationis brachio evibrata non esse? Si de hominibus sermo fiat, unde rapinæ, & injuriæ natæ nisi ab odio; *Qui oderunt nos diripiebant sibi?* (Psal.43.11.) unde homicidia nisi ab odio; *Qui odit fratrem suum homicida est?* (1. Ioan. 3. 15.) unde bella, & lites quæ mare tribulationis secum advehunt, nónne ab odio? *Odium suscitat rixas?* (Prov. 10. 12.) Quin imò nónne Deus ipse quandoque præ ira aliquem affligit? Id testatur Propheta David dicens: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* (Psal. 37. 8.) Nónne insuper divini odii tribulationes sunt effectus? Si ita non fuisset, non dixisset per Prophetam suum; *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui*; (Malach. 1. 2.) quæ siquidem est ratio odii Esau, & dilectionis Jacob, an quia afflixit Jacob, non verò Esau? Imò contrarium accidit, dicit enim de Esau loquens; *Posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti, quod si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt, hæc dicit dominus exercituum, isti ædificabunt,* (Ibid. 3.)

cabunt, & ego destruā. Si tribulatio ergò non minus ab odio quàm ab amore provenire potest, quomodo illam ex amore potiùs quàm ex odio prodire dicemus? Nobilis Eques sumptuosè ornatus, ad ludum campestrem procedens, in casside, aut scuto emblema aliquod seu signum portat, denotans motivum, seu rationem cur talem conflictum susceperit, idem quoque colore vestis denotare solet.

Tribulatio ludus equestris.

2. Sed quid tribulationem esse creditis? est conflictus, seu ludus campestris, quem Deus tecum inire cupit; audite S. Prophetam Job id clarè dicentem; *Tribulatio, & angustia vallabit eum; sicut regem qui præparatur ad prælium*, in Hebræo melius exprimitur, *ad hastiludium*: quasi diceret; tribulatio, est invitatio quam Deus exhibet ad ludum equestrem. Sed quali emblemate insignitus ad campum procedit? Igne, & fumo; *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit*; igne quia symbolum amoris, fumo quia symbolum zelotypiæ; quod autem dictum hujus emblematis? *Non in perpetuum*; ita testatur Propheta regius dicens: *Non in perpetuum irascetur*, vestis autem vario colore tincta, est ipsamet zelotypia; *Opertus est quasi pallio zeli.* Ut zelosus ergò & zelotypus ad hunc ludum campestrem, sive equestrem procedit Deus noster, & per consequens ex solo amore, ut præcedenti discursu diximus. Sed ecce non exiguum hîc consurgit dubium, diabolum quoque ostendere se animam nostram zelo amoris prosequi; nec tamen illam diligit. Zelotypum in eo se exhibet, quòd sicut zelotypus à dilecta separatus, nullam invenit requiem, ita diabolus extra hominem nullam invenit requiem, dicente Salvatore; *Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inveniens.* Si zelotypus diligenti curâ sponsam suam custodit, & diabolus hominem diligentissimè custodit, de eo siquidem dicitur: *cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea quæ possidet.* Si zelotypus vellet dilectam suam nec oculos habere ad videndum, nec aures ad audiendum, nec linguam ad loquendum; & diabolus adeò cæcum, mutum, & surdum reddit hominem quem possidet, ut nihil boni agere possit; prout in Evangelio legimus de Dæmoniaco muto cæco, & surdo. Quid ergò dicemus, diabolum animas nostras diligere? quinimò maximus est illarum inimicus. Sed quomodo adeò zelosè illas custodit? eo modo quo dicebam gulosum cibum avidissimè appetere, ut devoret. Ex dictis igitur, non videtur omninò clarum Deum zelo

Job 15. 24.
Psal. 17. 9.
Psal. 102. 9.
Isa. 59. 17.
Luc. 11. 24.
Luc. 11. 21.

Dæmon zelosè animas prosequitur.

zelo amoris animas nostras affligere; ideoque aliam vobis certioremque rationem exhibere cupio. Dum quis alium ex odio persequitur, & affligit, id voluntariè & cum delectatione perficit: Deus autem coactè, & ex necessitate illibenter quantò minus potest affligit, ut vobis hoc discursu demonstrabo.

An Deus necessariò nos affligat? 3. Dicet fortè quispiam, quomodo Deus necessariò nos affligit, quis illum cogit? quis illi legem statuere potest? Nónne supremus mūdi Dominus est & Monarcha? An non potest agere quod libet, aut alicui rationem reddere tenetur? *Quis dicere ei potest, cur ita facis?* Magna est diversitas inter judicem ordinarium, & principem supremum; Judex nullam gratiam exhibere potest, sed secundùm allegata, & probata judicare tenetur. Princeps autem supremus reos absolvere, & libertati restituere potest, & nemini rationem reddere tenetur. Deus princeps supremus est; *Rex regum & dominus dominantium*: unde neminem punire tenetur, sed potest quempiam absolvere, & liberum dimittere; ideoque optimè dicebat Isaias: *Exaltabitur Deus parcens vobis, quia Deus judicii dominus.* Videbatur debuisse dicere, quia Deus, aut pater misericordiæ est, cùm parcere & ignoscere sit effectus misericordiæ, & officium patris; sed dicere quod parcat, quia Deus judicii, & justitiæ, nullo modo videtur congruere. Optimè tamen dixit; alii siquidem judices, non sunt domini justitiæ, sed ministri, unde nisi puniant delinquentes, iniquè agunt, & ipsimet castigari merentur. Si Deus ignoscat, ad majorem ipsius honorem & gloriam cedit, unde rectè dicebat Isaias: *Exaltabitur Deus parcens vobis.* Sed quo titulo, qua de causa? quia pater misericordiæ? Non inquit; sed *quia Deus judicii dominus.* Peccata nostra adeò sunt abominanda, & tantam merentur punitionem, ut nullâ tergiversatione excusari possint, unde si Deus illis ignoscat, non nostris meritis aut alicui rationi, sed immediatè Deo ut supremo domino, & principi universi adscribendum erit; ideoque absque ulla ratione, aut merito nostro, pro suo libitu punire, & absolvere potest: dum ergò punit, dici non potest ipsum hoc agere, quia aliter non potest, sed quia ita ipsi placet, aut velit.

Iob 9. 12.

Apoc. 19. 17.

Isa. 30. 18.

Deus justitiæ Dominus.

ubi supra.

Cur Deus paulatim nos castiget. 4. Dico insuper, non solùm ipsum velle, sed maximam inde delectationem haurire. Qui illibenter aliquid agit, subitò absolvere cupit, sicut infirmus potionem amaram ebibere debens, vellet unico haustu illam absolvere: è contrà verò delectabilem potionem ebibens, vellet illam diu durare, unde

quidam

quidam gulosus optabat collum gruis ut diu inhæreret sapor ciborum. Pro gustu quoque majori acquirendo inventæ sunt pateræ, è quibus paulatim vinum bibitur, ut majori delectatione perfruantur. Si Deus igitur nos libenter puniret, & vindictam sumere vellet, unicâ vice in tantum affligeret ut vitam auferret: Experientiâ tamen patet contrarium; quandoque enim menses, & annos imò totam vitam in castigatione impendit. Hoc S. Propheta Job

Job 9, 23. rectè percipiens dicebat; *Occidat semel, & non de pœnis innocentum*

Apoc. 15. *rideat.* S. Joannes in Apocalypsi modum illum bibendi cum castigatione divina expressit, dicens se vidisse septem Angelos, habentes septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei, è quibus paulatim ira Dei sicut vinum ebibitur, & in os stillat.

Tribulatio gratum Deo spectaculum. 5. Potest quoque delectatio Dei nos puniendi ex eo colligi, quòd voluerit esse præsens & inspector tribulationum nostrarum, quasi publicam, & gratissimam comœdiam spectasset. Hoc illum Angelis dixisse te-

Isa. 18, 2. statur Isaias dicens: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, & conculcatam*: Non quiescatis Angeli mei donec videritis pulcherrimum illud spectaculum, quomodo gentem illam destruxerim, & afflixerim. Sed tu Domine Deus quid ages?

Quiescam, & considerabo in loco Ibid. 4.
meo; vide ergò utrum non delectetur in tribulatione nostra. Quin imò sicut in notabili actione alicujus tragœdię, spectatores se in pedibus erigere solent, ut meliùs intueantur; sic in passione S. Stephani, Christus erectus stabat, ut de sublimi cœlorum concertationem S. Stephani meliùs intueretur, quomodo ergò non dicetur illum in afflictione nostra lætari? Nónne sæpè videmus matrem infirmi filii non posse videre quòd illi vena aperiatur, quia tenero affectu concitata, viscera ejus commoventur? Nónne scimus quoque olim morem fuisse ut judices sententiam mortis in aliquem ferentes, velo cooperti erant, ne præsentiâ rei commoverentur? Nónne de multis amicis legimus dum simul morte plecterentur unum voluisse alium præcedere, ne alterius supplicium intuendo, pœna ei major accresceret, quàm si mortem ipsam sustinuisset? Nónne in historiis reperimus Romanos olim gladiatorum ludos introduxisse, ut alter alterum occidendo, & vulnerando, pugnis & crudeli occisioni assuescerent? Dum ergò videmus Deum tribulationem nostram inspicere, quid aliud cogitare possumus, quàm quod plurimum illâ delectetur?

6. Qui re aliqua multùm de-

Deus cælum & terram movet ne tribulatione careamus.

lectatur, illam undique quærit donec inveniat, Deus noster adeò tribulatione lætatur, ut semper & ubique illam immittere cupiat. Patriarchæ Joseph in somnis solem, lunam, & stellas ipsum adorantes exhibuit: sed nónne magna erat confusio solem, lunam, & stellas simul esse, & hominem mortalem adorare; quæ poterat major esse indecentia? ad quem ergò finem Deus hoc Josepho monstravit? ne ulla tribulatio cessaret; hoc siquidem somnium fratres ejus ad invidiam provocavit, ut illum venderent Ægyptiis. Ut quoque alter Joseph cùm sponsa sua Maria non fuisset ab omni tribulatione liber, nónne voluit, ut totus mundus describeretur? & eo tempore quo virgo paritura esset, & maximè requie indigeret; *Tunc exiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis*, ita ut unusquisque patriam suam repeteret, & tota regio in confusione esset; ad quem finem? ut Joseph, & Maria occasionem patiendi haberent. Lucæ 2. 1.

Nullum videtur Deus admittere terminum in puniendo.

7. Sed ad minùs fortè manu constrictâ, & parvo numero tribulationes immittit? Quin immò ultra modum magnas. Dum dicere volumus sine mensura aliquem bibere, dicimus se ingurgitare; dum verò quempiam nimis gulosè comedere videmus, dicimus illum devorare. Deus noster adeò sibi complacet in tribulatione nostra, & sparsione sanguinis, ut non sit contentus sagittas suas sanguine inficere, & gladium suum carnes ferire, verùm etiam inebriare velit; ita siquidem per Prophetam suum testatur; *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* De illo quoque Propheta regius ait: *Excitatus tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino*; quasi vir qui à vino extra seipsum raptus. Nec subitò ejus indignatio cessat, ut fervor vini in ebriis, vel ut ignis in paleas, & stramina sæviens, sed numquam cessat; *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Quid dicemus ergò si Deus libenter homines affligit, signum est illum ex odio & indignatione id efficere? verum esset, nisi argumenta efficacia in contrarium essent, & amor divinus erga nos nimis immensus foret. Deuter. 32. 42. Psal. 77. 65 Deuteron. 32. 22.

Tribulatio ut medicina volita.

8. Ipsum ergò illibenter nos punire, & tribulationes nostras non per se diligere, probari imprimis potest, ex differentia illa quam inter finem & media assignant Philosophi; finem videlicet propter se diligi, medium verò non propter se, sed propter finem, & adeò intensè, ac remissè quàm fini convenit. Ita infirmus sanitatem ut finem diligit, ideoque per se, & summo amore;

amore; Medicina autem amatur ut medium necessarium ad sanitatem consequendam, & consequẽter non propter se, sed propter illam; quin imò illam abhorret, & fugit, & quantò minus potest, ac ad salutem sufficit. Tribulatio igitur quomodo à Deo volita, ut finis? Ne-
Sap. 1. 13. quaquam, quia *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum*; sed ut medium, & medicina necessaria ad mala nostra curanda. Diabolus è contra tribulationes nostras non ut medium, sed ut finem amat, non enim vellet nos fructum aliquem inde percipere, sed gaudet nos afflictos videre, ideoque de illo sub metaphora Assur, & tribulationis Isaias lo-
Isa. 10. 3. quens ait: *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis?* Tribulationem visitationem vocat, Deus enim illam immittens, ut medicum se gerit visitántem infirmum, ipsique medicinam porrigentem cùm
Isa. 10. 5. paulò pòst dicat: *Væ Assur virga furoris mei*; minister visitationis meæ; quare? An malum est Dei ministrum esse, & divinam voluntatem exequi? Nequaquam, sed malum est non conformari se ejus intentioni, ideoque se-
Ibid. 7. quitur; *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.* Deus saluti gentium providere cupiebat, ipse verò non aliud quàm interitum, & ruinam illarum intendebat: quod cùm Deo non placeret, promeritam castigationem illi infligere statuit. Propheta regius de gratiis, & beneficiis divinis loquens, illa pluviam voluntariam appellabat; *Pluviam* Psal. 67. 10.
voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; sed ad quem finem adjunxit *voluntariam*? An pluviam involuntariam quandoque mittit? omninò, illam videlicet de qua Psalmista ait: *Pluet super* Psal. 10. 7.
peccatores laqueos.

9. Dico insuper tam multum abest ut Deus sibi complaceat in tribulatione nostra, ut quasi ipsi displiceat peccata nostra cognoscere, ne postmodum punire debeat. De Nerone mirabile quid scribitur, quod primis quinque annis dum Senecam docentem audiret, adeò fuerit benignus, & humanus, quantò postea crudelis, & impius: inter alia autem signa pietatis, & benignitatis suæ illud fuit, quòd cùm semel deberet subscribere sententiæ condemnationis, suspirans dicebat: *Vtinam nescirem litteras.* Ex hac occasione Seneca duos libros de inclementia intitulatos scripsit, in quibus inter alia sententiam illam laudat dicens: *O dignam vocem quam audirent omnes gentes, quæ Romanum Imperium incolunt.* Pariter dicere auderem Deum nostrum velle nescire

Displicet Deo nostra castigatio.

nescire peccata nostra, ne occasionem puniendi haberet; ad cujus rei veritatem comprobandam meminisse debemus Salvatorem dixisse: *De die autem illo nemo scit nisi solus pater.* In hoc loco explicando magnam sentiunt Theologi difficultatem, ita ut sit instar Scillæ & Charybdis: inter alias tamen expositiones communior est illa S. Epiphanii, quod nimirum nesciat illum diem, quia abhorret, nec vellet scire; prout fatuis virginibus in die judicii dicet: *Nescio vos*; nolo videlicet vos agnoscere, pro meis non agnosco. Quando Deus voluit Sodomitas, aliasque finitimas regiones punire, dixit: *Descendam & videbo*: nónne Domine de sublimi cœlorum conspicis? fingis te non videre, & ostendis te non cognoscere, ne cogaris punire, quando autem aliis mediis à nobis obtinere potes quod desideras, non percutis virgâ tribulationis, quia antequam nobiscum venatoris officium exerceas, piscatorem agis.

Matth. 24. 36.

Gen. 18. 21.

Deus primò piscator, postea venator.

10. Dicet fortè quispiam, qualis diversitas horum officiorum? Nónne ambo ad idem tendunt, ut nimirum animalia accipiant, & comedant? verum est, sed diversa sunt media. Piscatores dulci & convenienti cibo pisces allicere conantur, modò hamum, modò retia occultè mittentes, & summoperè caveant, ne exterreant: venatores, contrario modo agere solent, cum armis, & canibus ad campum procedunt; clamoribus, & rumoribus cuncta implentes, ut pavidi lepores, aliæque feræ cavernis exeuntes, à canibus infestentur, & prædæ fiant. Quomodo creditis Deum nostrum animas nostras deprædare? salutis nostræ adeò est zelosus, ut utroque modo uti velit, sed quo primò? Modo piscatoris, majorem siquidem sentit inclinationem, promissis, & beneficiis hominem attrahere, quàm aliis rigorosis actibus, rete suæ sanctissimæ carnis vulneribus perforatæ utitur, dulci esca sacri corporis & sanguinis allicit, & hamo divinitatis attrahit; uti per Oseam prophetam suum testatur dicens: *Ecce ego lactabo eam.* Videns autem hæc nihil prodesse, venatorum more illos aggreditur, minis, castigationibus, & tribulationibus reducere tentat. *Cantavimus vobis*, dicebat Salvator Hebræis; *& non saltastis, lamentavimus, & non plorastis.* Primò *cantavimus*, cantibus vos allicere conatus sum, qui cùm non prodessent, ad lamenta conversus sum; non proficientibus nempe promissionibus, minis, & terroribus egi, nullum fructum facientes beneficia, castigatione, & severitate usus sum. Clariùs tamen in Jeremia idem expressit: *Mittam eis piscatores, & piscabuntur*

Oseæ 2. 14.

Coactus tribulationem immittit.

Luc. 7. 32.

Ierem. 16. 16.

piscabuntur eos, & post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos. Dedi tibi sanitatem, & corpus robustum, ac pulchrum, ut illud servitio meo impenderes, & eo abusus es ad vanitatem, ideò misit tibi Deus infirmitatem, ut vi te attraheret. Creavit primos parentes nostros in omni felicitate, immortales in paradiso terrestri, ut illi servientes gratias exhiberent perpetuas; cùm autem piscatio illa non rectè successisset, ad venationem rediit, & à paradiso ejectos, inter spinas, & vepres metu mortis agitatos ad se reducere procurat. Ex sola ergò necessitate alio non suppetente remedio Deus tribulatione utitur, ideoque quantò minus potest.

Deus beneficiis & tribulatione nos probat.

11. Pulcherrima est differentia, inter invitantem ad prandium, & medicum; ille cibos abundantes, ac superfluos præparat, ita ut plures supersint quàm comedantur; hic verò in pondere, & mensurâ omnia præparat, & quantò parciùs potest. Deus quandoque instar medici, quandoque invitantis more nobiscum agit, dum de beneficiis, & misericordiâ agit: invitat nos ad mensam suam, idcircò quandoque dicit; *Misericordiæ ejus non est numerus*; &, *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: & sicut Isaias testatur: *faciet Dominus convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Dum verò de tribulatione & punitione agit, instar diligentis medici se gerit, cum pondere, & mensura. *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura*; ad Ezechielem quoque dicit: *Assume tibi stateram ponderis*: Vt ponderet capillos suos qui dispergendi erant, in signum quod populo Hebræo accidere deberet: alibi quoque inquit: *Numerabo vos in gladio*, ita ut nullum subsit periculum quod tribulationes immissæ sint in majori numero, quàm supportari possint; & quantò erunt molestiores, tantò magis necessitati nostræ subvenient.

Psal. 35. 9. — Isa. 25. 6. — Psal. 79. 6. — Ezech. 5. 1. — Isa. 65. 12.

Deus percutit, ut perficiat.

12. Videmus quandoque fabrum murarium malleo disrumpere murum à se fabricatum, non ideò tamen argumentari possumus ipsum velle totaliter destruere, sed quod velit excellentius quid efficere ut pulchrior evadat, aut fenestra in eo fiat vel porta. Sed unde id poterimus cognoscere? Ex eo nimirum quòd mensuram deliniet, & signaverit quousque percutere debeat. Pari modo Deus noster agit, quandoque cum malleo in manu se exhibet, & percutit quasi destruere vellet; tali modo vidit illum Jeremias Propheta, & subitò dicebat: *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*; Certè inquit Dominus vult destruere murum Sion; sed quid

Thren. 2. 8.

quid dicis Jeremia? Nónne vides illum primo ſumpſiſſe menſuram? omninò, quia *Tetendit funiculum*, quod non feciſſet ſi totaliter deſtruere voluiſſet. An feneſtram igitur formare vellet, per quam cœli lumen deſcendat; vel armarium quoddam, in quo cæleſtes theſauros recondat; aut portam per quam pro libitu intrare poſſit. Monſtravit quoque poſtea ſe idem intelligere unde dicebat: *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti*; advertit quoque feneſtram in eo fabricatam, ideoque dixit: *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus*: armarium quoque in eo factum conſpexit ubi multa bona repoſita erant, ideoque dixit: *Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*. Portam inſuper apertam vidit ubi Dominus expectabatur; *Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum*. Non taliter inimici infernales agunt, non enim ſufficit illis partem muri deſtruere, ſed totum evertere conantur; *Exinanite, exinanite*, inquiunt, *uſque ad fundamentum in ea*.

Ibid. Thren. 3. 22. Thren. 3. 1. Thren. 3. 27. Thren. 3. 24. Pſal. 136. 7.

Differentia inter eum qui ex amore aut odio percutit.

13. Notanda inſuper eſt differentia inter eum qui ex odio, & ex amore percutit; ille non ſolùm totis viribus furioſè deſtruit, verùm etiam loca debiliora & damno inferendo aptiora quærit; qui verò ex amore percutit, quærit lædere ea in parte ubi minus damnum inferre poteſt, ac minor ſentitur dolor; ita medicus vel chirurgus ſi incidere quidpiam vel aperire debeat, adeò dexterè, ac dulciter id peragit, ut vix ſentiatur, ſi ſanguinem è venis haurire debeat ſemel ex uno brachio, & ſemel ex altero haurit. Inimicus autem vi inſurgens, non ſolùm debiliorem muri partem, verùm etiam totum deſtruere parat, ut diſrumpat, & ad terram deſtruat. Attendite igitur mirabilem, & inſolitam hominis erga Deum impietatem, & Dei verſus hominem benignitatem & amorem; dum homo Deum offendere cupit, inſtar crudeliſſimi inimici ſe gerit, atque illi parti quam offendere putat plagam plagæ adjungit; unde per Prophetam lamentatur dicens: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Pſal. 68. 27.

Deus nos benignè caſtigat.

14. Cur creditis Hebræos dominum inter duos latrones crucifixiſſe? quia advertebant illum fuiſſe patientiſſimum in omnibus tormentis, ſed dolebat ſe ut latronem captum, & vinctum fuiſſe, ideoque dum dicentem audiſſent; *Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me*; cogitantes illum ſummoperè hac de re contriſtari, dicebant, doles te ut latronem captum, & tamquam latronum principem in medio duorum te crucifigemus. Tantum tamen abeſt, Matth. 26. 55.

abeſt, ut Deus par pari reddat; ut etiam hominem caſtigare coactus, locum, & tempus quærat, in quo ſine particulari offenſione percutere poſſit, ſeque inſequentes abſque ſpeciali punitione effugere tentat. Id clarè in Iſaia teſtatur dicens: *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem?* Quomodo vos potero lædere qui aliud non cogitatis, quàm plagam plagæ nomini meo addere: quaſi diceret, ſicuti vos non ceſſatis peccare, ſic rationi conſonum eſt, ut ego quoque non ceſſem vos percutere, ſed in qua parte vos percutiam? In capite, quia duræ cervicis eſtis, non faciam inquit, quia *Omne caput languidum,* ideoque illud percutiendo nimis malè exciperem. In corde ergò vulnus infligam, quia illud omne malum adverſum me machinatur? non inquit, quia *omne cor mœrens,* & malè affectum, ideoque illud percutiendo nimiùm lęderem. Crura ergò diſrumpam, ne in malum ultra procedant, aut partem aliquam corporis offendam quia totum malo expoſitum, nec ullum in eo eſt membrum quod caſtigari non meretur? Non faciam inquit, quia *à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Quid hoc refert utrum totum ſit malè affectum, quin imò idcircò caſtigandum eſt; ut majorem ſentiat dolorem; ſed ſincerus divini cordis amor id ſufferre minimè poteſt.

Iſa. 1. 5.

Locum quærit in quo percutiat.

Ibid.

Ibid.

Ibid. 6.

15. Parum dixi, etenim non ſolùm quærit Deus percutere eo loco quo parum dolet; verùm etiam occaſionem quærit non puniendi, & omnis minima ſufficit. Nemo à bono opere ceſſare debet, propter oblocutiones, aut prava aliorum judicia: Hujus rei in Evangelio plurima habemus Salvatoris exempla; licet enim ſciret Phariſæos de miraculis aliiſque bonis operibus malè ſentire, illaque reprehendere, dum potiſſimùm ſabbatho curaret infirmos; non tamen idcircò cunctos ſanare, & curare deſinebat, quin imò ultrò eos quærebat. De caſtigatione autem agens, videbatur hæc ratio ſufficiens ut illam omitteret; taliter Moyſes ſæpiſſimè remiſſionem populo ſuo obtinebat; in memoriam revocans Ægyptios alioſque oblocuturos, dicturos ſe illos occidiſſe ne introduceret in terram promiſſionis; *Vt audiant Ægyptii de quorum medio eduxiſti populum iſtum, & habitatores terræ hujus, & dicant, non poterat introducere populum in terram pro qua juraverat, idcircò occidit eos in ſolitudine.*

Deus occaſiones non caſtigandi quærit.

Num. 14. 13.

16. Deus inſuper mediatores quærit qui ſe inter ipſum, & populum conſtituant, ac flagellum de manu ejus auferant; inſtar benigni patris, qui à filio ad in-

Deus mediatores quærit ne puniat.

dignationem provocatus, dum illum punire cogitat, ab amicis se cohiberi sinit, qui si id agere negligerent, signo aliquo illis indicat; ut amore illorum ignoscere videatur. Tale signum Deus Moysi dedit dicens: *Dimitte me, ut irascatur furor meus:* necdum Moyses loqui inceperat, sed Deus quasi dicere volebat, cur Moyses non me retines ut non affligam populum istum; dum verò neminem mediatorem reperit lamentando ait: *Quæsivi de eis virum qui interponeret sepem*, quem non reperiens, præ dolore quasi exanimis cecidit, teste Isaiâ Prophetâ: *Et vidit quia non est vir, & apporiatus est, quia non est qui occurrat*; qui videlicet intercedat, ut traduxerunt, Pagninus & septuaginta Interpretes. Neminem ergò Deus intercessorem, aut deprecatorem conspiciens, *Apporiatus est*, quasi exanimis factus est; dum quoque viventes non reperit, mortuos inquirit dicens, ut propter amorem David aut Abraham vel aliorum populo suo ignoscat.

Exod. 32. 10.

Ezech. 22. 30.

Isa. 59. 16.

Ex peccatis occasionem non puniendi quærit.

17. Quid ampliùs dicere poterimus, ex peccatis ipsis quasi ex viperis pharmaca, & præservativa conficit, ut occasiones peccatorum auferat, ita Noë dicebat: *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.* Dum verò immisit diluvium, non fuit commotus videndo cor humanum ad malum inclinatum, unde dicit scriptura; *Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum.* Quomodo ergò nunc ex consideratione ejusdem malitiæ ad compassionem commotus est? Quia ex veneno peccatorum amor divinus Theriacam confecerat, considerando malitiam illam non ut peccatum, sed ut miseriam, non ut effectum humanæ voluntatis, sed ut pravæ naturæ motum.

Gen. 8. 21.

Gen. 6. 5.

18. Numquam denique nos castigaret, si coactus non esset, eo modo quo aliqui debitores solvere creditoribus nolunt, nisi vi adigantur; sicut enim bonus debitor re aliquâ emptâ, subitò pecuniam tribuit, aut si terminum solutionis posuit, eo finito satisfacit, sic malus debitor numquam solvit, nisi plurimis solicitationibus, exactionibus, executionibus sit adactus. Deus noster duas habet debitorum species, una est præmiorum bene operantibus, alia est pœnarum malè operantibus; hæc tamen inter illas est differentia, quod versus bonos se optimè gerit, & diligentissimè solutionem, & præmium defert; versus malos autem se negligentis instar & mali ut ita dicam debitoris

toris habet, nec solùm minus solvit quàm debet, quia punit citrà condignum, verùm etiam tardiùs, & multis peccatorum sceleribus provocatus. Hanc differentiam Deus Caino intimabat dicens: *Nónne si bene egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum tuum aderit.* Si bene feceris subitò solvetur tibi; si autem malè, non dicit subitò solutionem recipies, sed peccatum in foribus aderit. Sed quid sibi vult *peccatum in foribus aderit?* Olim tribunalia in portis civitatum erant; ad quod David alludendo dixit: *Non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta*, quasi diceret: Non erit confusus coram Judice; dicendo igitur peccatum in porta aderit, idem est ac dicere quod te coram Judice subitò accusabit, & instabit ut te condemnet.

Gen. c. 7.

Psal. 126. 5.

Deus patiens redditor.

Gen. 6. 3.

19. Dum Deus diluvium immittere cuperet, dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine.* S. Jeronymus legit, *Non litigabit spiritus meus in homine*; quasi diceret, indies cuncti homines lites mihi intentant, ut castigationes debitas persolvam, quod licèt illibenter exequar, ne tamen continuis litibus & solicitationibus molester, ipsis solvere cogor. Sapiens naturam divinam optimè cognoscens præmonet peccatorem dicendo: *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triste, altissimus enim est patiens redditor.* Sed quid sibi vult *patiens redditor?* Apud nos creditor patiens esse debet, non autem debitor; Ita quoq; hoc intellexit servus ille debitor domini sui, dum dixit: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Quomodo ergò hîc dicitur, Deus est patiens redditor? possem dicere in hac solutione patientiam ex parte debitoris esse, non autem creditoris; sed propositam similitudinem sequendo, debitor ille patiens dicendus, qui licèt multis citationibus, & exactionibus coactus vix tandem solvit. Talis debitor Deus est, licèt enim plurimis peccatis cogatur ad puniendum, difficulter tamen accedit.

Eccli. 5. 4.

Matth. 18. 26.

20. Sponsa in Canticis de sponso suo dicebat: *Crura illius columnæ marmoreæ*: quod meritò dicere poterat, cùm adeò difficulter ad puniendum reducatur, ut videatur marmoreus esse. Nec mihi objicias alibi sponsam dicere servis leviorem esse; *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles*: utrumque enim verum esse potest, hoc dum nobis succurrit, & auxilium præstat, illud dum castigat. Pedes habet levissimos auxilium ferendo, ideoque pater filii prodigi, subitò ac filium suum conspexit dicit sacer textus quòd *Accurrens cecidit super collum ejus*: De filio autem dicitur, *Surgens venit*

Cant. 5. 15.

Deus tardus, & velox.

Cant. 2. 8.

Luc. 15. 20.

venit ad patrem; & in corde suo pariter dixerat: *Ibo ad patrem meum*; Patri autem non sufficiebat simpliciter ire, sed currendo non se continere valens, cecidit super collum ejus; ita ut non fuerit filius adeò fame stimulatus, quàm pater pietate, & amore; & multò minùs sollicitus fuit filius in auxilio patris quærendo, quàm pater in necessitate filii opem ferendo. In punitione tamen adeò est tardus, ut potiùs videatur statua manu gladium tenens, & minitans, quàm Deus puniens, & castigans.

Ibid. 18.

21. Ita testatur David dicens: *Nisi conversi fueritis gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum*. Caveas tibi, inquit, jam enim arma sua paravit in prælium, & vindictam; si ita sit dispositus, quid illum retinet, cur non exequitur intentum? nemo certè nisi propria ejus pietas, & amor, non solùm quippe tardus in gladio arripiendo, verùm etiam gladio evaginato & elevato, illum dimittere, & ferire vix audet. S. Theodoretus supra hæc verba scribens ait: *Hæc verba non vindictæ, sed comminationis sunt. Vibravit enim, inquit, non concutiet, & tetendit arcum, non emisit sagittam*. Dum judices ultimam citationem reo intimarunt, illo se abscondente, aut non comparente sententiam ferunt. Deus verò toties ultimam intimat citationem, & judicium, nec tamen fert sententiam, sed diutiùs peccatorem ad pœnitentiam expectat: Sic diluvium universale mundo inferre volens, multas præmisit citationes; prima fuit Noë nativitas, cui teste S. Chrysostomo impositum fuit nomen, quod diluvium futurum figurabat, ipsumque videre, & nominare erat continua admonitio futuri eventus. *Quingentis annis*, inquit S. Joan. Chrysost: *vixerat justus ille clamans, & testificans suo nomine, futurum per universum orbem diluvium ob nimias hominum malitias*. Postmodum verò Deus peremptoriam citationem intulit dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*: quando verò exequetur sententiam? *Eruntque dies illius centum viginti annorum*: daboque illis aliquot dilationis dies, nimirum centum viginti annos: sed centum viginti anni possuntne dici dies aliquot? omnino, adeò siquidem libenter Deus castigationem differt, ut centum anni ipsi videantur pauci dies. Sicut ergò colligimus ingentem fuisse amorem Jacob versus Rachelem, cùm septem servitutis anni *videbantur ipsi pauci dies præ amoris magnitudine*: ita magnum dicemus fuisse Dei amorem versus hominem, cui centum anni videbantur pauci dies?

Psal. 7. 13. *Deus vix punire novit.*

S. Chrysost. hom. 22. in Gen.

Gen. 6. 3.

Ibid.

Gen. 29. 20.

22. Ex eodem misericordiæ fonte

Minatur Deus ut castiget. fonte naſcuntur cōminationes, prædictiones, & caſtigationes, ut nos emendemus, fugiamus, & mala relinquamus. Non agit Salvator ſicut milites, qui ut civitatem inimicam aggrediantur, & intercipiant, de nocte veniunt occultè, tectis armis; quin imò arma ſua palam gerit, ut ab omnibus conſpiciantur, vult illa reſplendere, & poliri, teſte Ezechiele Propheta dicen-
Ezech. 21. 9. te: *Gladius, gladius exacutus eſt, & limatus*; ſed ad quem finem ita diſpoſitus, ut feriat, & meliùs penetret? Non tantùm, ſed ut
Ibid. meliùs videatur; *Vt ſplendeat limatus eſt.* Cherubin ad paradiſi cuſtodiam deputatus, non ſolùm gladium fulgentem manu geſtare volebat, verùm etiam ignitum, ut clarior à longè fulgeret. Hanc quoque Deus gratiam peccatoribus exhibere ſolet, ut dum cōminationes divinas oculis videre nequeant, eas auribus percipiant. Ita volens Pharaoni, & jumentis ejus ingentem inferre cladem, præmo-
Exod. 9. 19. nuit eum dicēs: *Congrega jumenta tua, & omnia quæ habes in agro, homines enim & jumenta, & univerſa quæ inventa fuerint foris, nec congregata in agris, cecideritque ſuper ea grando morientur.* Ad quem verò finem Deus hanc tempeſtatem grandinis immittebat, niſi ut jumenta & homines puniret, ac bona Ægypti diſperderet? Si ad hunc igitur finem, cur præmonere voluit, ut ſibi caveant, ne effectus ſequatur? Quia cùm juſtitia caſtigationes immittere vellet, amor nihilominus omni modo impedire cupiebat.

23. Ingenioſus Poëta volens amantem indignatum exhibere, finxit illum ſagittam contra inimicum emittentem, ſed deſiderium convolabat, ne læderetur; oculus, & manus indignans ſagittam emittebat, ſed cor optabat ne jungeretur. Ita Deus ut juſtus grandinem immittere volebat, ut amans autem nullum cupiebat inferre damnum; ideoque Pharaoni & Ægyptiis intimabat, ut fugerent. Nec hoc contentus etiam Moyſi præceperat, ut manus in cœlum extenderet, ut ſignum aliquod haberent. Cùm inſuper in terram dimittit, vult ut tonitrua & fulgura præcedant; ita ait ſacer textus; *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & diſcurrentia fulgura ſuper terram.* Sed cur tonitrua, & fulgura adjuncta, quæ cōminata non erant? Non hæc caſtigationem augebant, sed admonebant, ut fugerent, ſeque à tempeſtate eriperent. Ita præclarè notat Origenes: *Vide temperamentum divinæ correptionis, non cum ſilentio verberat, ſed dat voces, & doctrinam cœlitùs mittit, per quam poſſit culpam ſuam mundus caſtigatus agnoſcere.*

Præmonet caſtigationes emittendas. | Exod. 9. 23. | Orig. Homil. 4.

24. Adjungendum quoque

 non

Non præmonendo amorem exhibet. non prædicendo tonitrua, & fulgura effectus, amoris fuit; si enim Moyses dixisset advenient tonitrua, & postmodum grando, faciliter Ægyptii ita inter se disseruissent, quandoquidem primò audienda sunt tonitrua, his auditis fugiemus, sed aliis rebus occupati, fortè nullum habuissent tempus. Solam ergò prædixit grandinem, ut ab illa ut castigatione subitanea, omnes se eriperent; voluit tamen tonitrua, & fulgura præcedere, ut ad minus tunc unusquisque sibi provideat. Salvator noster idem nobis in mortis expectatione prædixit, illam nimirum adventuram, dum minus cogitamus; *Quâ horâ non putatis, filius hominis venturus est.* (Lucæ. 12. 40.) His tamen non obstantibus, multa ordinariè præmittit indicia, infirmitates, languores, & sensuum defectus, ut tunc saltem de rebus nostris cogitemus, & facta nostra ac peccata contritione deleamus, & animas ad bene moriendum disponamus. Optimè denique dixit prudentissima Judith: *Non enim quasi homo sic Deus comminabitur*: (Iudith 8. 15.) quàm sententiam Origenes rectè explicabat dicens: *Non ita Deus terret ut homo, homo enim pro jactantia, Deus verò pro emendatione exterret.* (Orig. Homil. 16. in Num.)

Deus puniendo dolet. 25. Quid dicam de dolore & afflictione quam in punitione nostra sentit? Quandoque evenit, ut princeps justitiâ adactus sententiam contra amicum ferre cogatur; sicque vultu irato severitatem exequitur, nec ad commiserationem se flecti sinit, si quis tamen cor penetrare posset, quanto dolore repletum videret? Ita Deus licet quandoque se indignatum exhibeat dum castigat, interiùs tamen summo dolore repletur. Dum diluvium universale immittere vellet, quàm severum se exhibuit: *Finis* inquit, *universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra*: (Gen. 6. 13.) sed intrinsecus quomodo se habuit, hoc optimè notat scriptura dicens: *Tactus dolore cordis intrinsecus*, (Ibid. 6.) In cordis interiore qualem dolorem præ amore sentiebat, quod hominem dilectum, & ad imaginem suam creatum perdere debebat. Dices, ingens, & excessivus dolor, corde retineri non potest; verum est, ita evenit Deo dum civitatem Jerosolymitanam conspiciens, & ob oculos universas miserias, & calamitates quas passura esset volveret, ampliùs se continere non poterat, sed lacrymas effundere coactus fuit: unde dicitur, *Videns civitatem flevit super eam*; (Lucæ 19. 41.) non seipsum deflebat, quod in illa mori deberet, sed illam deflebat, quia ruinæ proxima erat. Sicut enim ait auctor operis imperfecti in Matthæum: *Non sic dolet quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter*

ter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit salvare. S. Augustinus quoque adjungit eum majorem sentire dolorem in commiseratione afflictorum, quàm ipsimet in propria passione sentiunt. *Quasi plus eum cruciat compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sua.*

S. August. de spirit. & anim.

Deus in lætitia exorandus.

26. Dolor autem quem in tali casu sentit, adeò est vehemens, ut tunc temporis vix aliquem libenter auscultet, vel si preces recipiat, nil boni impetratur. Aulici insigne hujus rei nobis documentum prębent, ut nimirum in gratia impetranda expectandum sit, donec princeps sit jucundi & liberalis animi, tunc siquidem videtur nil negare posse; dum verò afflictus, non est alloquendus, nec aliquid exigendum, ne loco beneficii, indignationem contrahant. Amico cuidam Tiberii Cæsaris accidit, ut ab eo vocatus, illi obviam fieret, dum indignatione repletus conspiratores quosdam tormentis subjiceret, quare eodem furore correptus amicum suum tormentis afficere, iisque animam exhalare coëgit. Deum nostrum misericordiâ, & benignitate semper excellere, negare non possumus, prudentiores tamen in gratiis petendis libentiùs expectant, dum læto & hilari est animo. Sed quando hoc erit? dum nos quoque in suo servitio, & beneficiis recolendis grati, ac hilares fuerimus; ita per Isaiam testatur dicens: *Exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo,* quæ causa hujus lætitiæ? quia populus quoque hilaris erat, cùm antea dixisset; *Gaudebitis, & exultabitis usque in sempiternum.* E contrà verò dum nos affligit tristitiâ & dolore repletus, nil boni præstare potest, nec tempus est gratias exquirendi: sic idem testatur Isaias dicens: *Propter hoc super adolescentulos ejus non lætabitur Dominus*: quasi diceret, non utetur misericordiâ cum illis, quia hæc lætitia domini est, tuncque non erit tempus quidquam exigendi: Et pupillorum ejus ac viduarum non miserebitur. S. Propheta David experientiâ doctus modum nobis suggerit quando à Deo aliquid exigendum, dicitque: *Orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno; verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Oportet, inquit, tempus opportunum pręstolari, sed quale hoc erit? Omne illud tempus, quo tribulationes immittet, cùm enim tunc nobiscum affligatur, non est tempus alloquendi vel gratias exigendi.

Isa. 65. 19.

Isa. 9. 17.

Psal. 31. 6.

Deus nostris malis summè affligitur.

27. Dico insuper non solùm Deus nostris malis compatitur, verùm etiam easdem pœnas pati videtur. Plutarchus, & Atheneus de aulicis Philippi regis referunt,

ferunt, quod illo aliquo defectu laborante, fingebant se eodem malo affici: Cùm enim ex vulnere pedis parum claudicaret, illi quoque eodem actu corporis se conformabant; monstrantes se tantum ejus malo affici, ut affectus corporis idem exhiberet. Fictiones tamen & meræ adulationes erant; licet quoque verum fuisset, non magni faciendum, aulicos adeò sentire afflictionem sui principis. Quis verò de bonitate, & benignitate Salvatoris nostri non stupebit, qui se dolores & afflictiones nostras sufferre demonstrat, nec fictè, aut falsò illud exhibet cùm sit prima veritas, nec per adulationem, cùm nullo indigeat, utpote qui sit auctor, & creator omnium; sed ut internum suum affectum, & commiserationem exhiberet; ita siquidem illud testatur Isaias
Isa. 53. 4. Propheta dicens: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* quasi non esset impassibilis, & corde sentiret dolores, quos servi ejus in corpore sentiunt. Quando populus Israël in Ægypto à Pharaone operibus, & verberibus opprimebatur; Deus quoque in medio spinarum ardentium se exhibebat; quasi diceret spinæ tribulationis populum meum affligentes, me quoque affligunt, ideoque me inter spinas ardentes constitutum vides. Clarius de eo habemus exemplum quando Joseph in carcere positus, Deus quoque cum illo carceri inclusus fuit, ut affirmat Sapiens: *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non reliquit eum.* Dum Saulus primos fideles persequeretur Sap. 10. 14.
apparuit illi dicens: *Saule, Saule cur me persequeris?* Dum quoque eleemosinam pauperibus ejus negatis, dicit vos illi negare. Si ergò videamus Deum adeò nobis compati, cur non ipsi quoque compatiemur, si quod pauperibus negatur ipsi negatur, quis non pauperibus concedet quod exigunt? Facite ergo bonam pauperibus eleemosinam, ut Deus vobiscum sit. Actor. 9. 4.

SECUNDA PARS.

Argumentis contrariis respondetur.

28. Ex dictis certè conclusum videtur Deum ex multo amore, & quasi coactus nos affligere; sed donec fortissimi illi contrariæ partis defensores adhuc prævalent dici non potest hanc conclusionem ex omni parte stabilitam. Primus qui in hanc arenam pugnaturus descenderat, armis divinæ potentiæ, & domini sui instructus erat. Hac siquidem fortissimâ ratione oppugnabat dicens: Si Deus absolutus dominus, quis illum cogere potest, si infinitè potens, quis illum adigere potest dum minimè vult? Huic fortissimæ oppugnationi, justitiam

tiam & honorem divinum opponimus, quæ simul benè conveniunt, cùm *Honor Regis judicium diligit.* Argumentis adversariorum hoc modo respondemus, quod licet Deus absolutâ potentiâ posset aliquem à castigatione liberum relinquere, suæ tamen justitiæ magis convenit, quod delinquentes puniat, cùm Deus quoque illâ laude & gloriâ carere non debeat, quâ multi principes excelluerunt, illos nimirum adeò rigurosè justitiam exercuisse, ut proprios etiam filios delinquentes, severè punierint. Inter alia exempla notabile est illud, quod de Caronda Rege narratur, cujus filio cùm juxta legem ambo oculi eruendi essent, unum filio & alterum sibi erui jussit. Quid mirum ergò si Deus nolit peccata dilectorum suorum impunita relinquere, cùm tamen pœnas auferre posset? Salvatorem nostrum legimus, dum muros civitatis Jerusalem aspiceret, futurasque miserias oculis mentis perlustraret, amarè flevisse. Sed ô Domine si malū civitatis istius adeò te premit, cur illam non defendis? Cur illam ab ultima ruina non præservas? cùm totum à divina voluntate tua dependeat? quia, inquit, justitia quoque jus suum obtinere debet propter horrenda in ea commissa scelera.

29. Hinc Deus noster Rhinoceroti assimulari solet, teste Scripturâ sacrâ, *Cornua Rhinocerotis cornua illius*; sed quid per cornua illa intelligitur? An arma quibus Deus nos punit? bene quidem, possumus namque dicere sicut cornu Rhinocerotis præsentissimum est remedium, & antidotum contra venena; ita contra venena peccatorum, optimum est remedium tribulatio; vel sicut in medio frontis circa oculos hoc cornu situm est, ut eo vulnerando non incautè, aut inscienter vulneret, ut agit Taurus, qui cornua circa aures gerit; ita Deus insigni providentiâ, bene advertendo quid vires nostræ ferre possunt, castigationes immittit, ideoq; in forma virgæ vigilantis Jeremiæ exhibitæ fuerunt. Hoc quidem dicere possemus; sed magis mihi dicere lubet, per cornua illa, attributa divina quæ illum gloriosum, & admirabilem reddunt, intelligenda: Cornua siquidem apud Hebræos symbolum gloriæ erant, juxta dictum Davidicum; *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Sed ecce insigne hîc exurgit dubium, cur unicornis, seu Rhinoceros (idem quippe animal est apud plerosque) unicum habeat cornu, & hîc in plurali dicatur *Cornua Rhinocerotis*? Mirabilis hic dicendi modus videtur; sed ecce pulcherrimum adest mysterium; attributa divina per hæc cornua intelligenda,

Deus ut justitiam servet punit. Deut. 37. 17.

Psal. 111. 9.

Cur dicitur cornua Rhinocerotis.

da, quæ multa sunt, & unum solum, in quantum multa, dicuntur *Cornua*, in quantum unum *Rhinocerotis*. Multa sunt quantum ad esse illorum formale, & quantum ad definitionem; sed unicum sunt, quantum ad identitatem inter illa. Multa sunt, quia nulla est virtus seu attributum, quod in Deo non resplendeat; unum sunt, quia in Deo identificantur, & quasi unum resplendent. Licet ergò in Deo sit justitia, misericordia, amor, & zelus, quæ inter se videntur contraria, unum tamen non contradicit alteri, nec se mutuò impediunt, quamvis enim sit maximè misericors, & clemens, non tamen desinit exercere justitiam, & juxta meritum cujusque punire.

Deus de patientia nostra lætatur. 30. Quid dicitis ipsum in tribulationibus nostris gaudere, & exultare? Non de tribulatione, sed de patientia, fortitudine, resignatione nostræ voluntatis, aliisque virtutibus lætatur. Idem quoque se sentire monstrabat Apostolus, scribens Corinthiis: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*: Si quoque tribulationes (2. Cor. 7. 9.) nostras hilariter inspicit, id propter majorem nostrum honorem & gloriam efficit. Juvene studioso conclusiones suas optimè defendente, magister silet, ipsumque dicere permittit, quo silentio magis illum laudat, quàm si longo verborum discursu uteretur; ostendit siquidem illum adeò bene sua defendere, ut non sit opus alio adjutorio; finitâ ergo disputatione, cuncti illum laudantes applaudunt dicentes quàm mirabiliter, & apposité respondit, magistrum potiùs quàm discipulum egit. Hoc præclarè judicasse videtur Habacuc Propheta dicens: *Quare taces devorante impio meliorem se?* Non ait, cur non (Habac. 1. 13.) defendis justum, aut cur non adfers illi opem; sed quare taces, ostendens hanc quasi disputationem fuisse, in qua verbis pugnatur. Responsio ad hanc interrogationem, naturâ suâ sequitur, ut defendens scientiam suam, & valorem meliùs exhibeat, totumque in majorem Dei honorem, & gloriam redundet, qui tales scit efficere discipulos, ut licet ipsis de Crucis cathedra nulla verba proferat, seipsos tamen optimè defendere norunt. Si quoque cœlum & terra contra te insurgunt ut te affligant, non ideo est quòd per se facere non possit, sed quia illibenter hoc exequitur, ideoque alteri hoc committit.

Deus non castigat nisi sint peccata. 31. Quid dicitis Deo placere arma sua sanguine inficere; *inebriabo sagittas meas sanguine?* Verum est, sed nescitis ebrietatem (Deuter. 32. 42.) sæpius à debilitate bibentis, quàm ex abundantia aut virtute potus provenire. Deus noster

talis

talis est conditionis, ut unica castigationis guttula, illum inebriet; hoc ita testatur Isaias Propheta dicens: *Inebriabo te lacrymâ meâ*; quasi diceret, unicâ lachrymâ pro me sparsâ tantum mihi excitas dolorem, & compunctionem, ut dicere possis, te me inebriasse, non mirum ergò si idem de armis ejus asseratur. Dicamus quoque melius, dum aliquis ad prandium invitatur, in domo amici, si antequam eò vadat alteri occurrat amico, qui illum secum comedere, & bibere efficit, certum est illum in alia domo non tantum comedere, aut bibere posse, quàm antea comedisset. Dum nos ergò peccamus, aliud non facimus, quàm arma divina contra nos incitare; sed quid efficit Deus? primò gladium suum in cælis inebriat, & postea illum in terram mittit ut sanguine humano se inebriet: Ita illud testatur per Isaiam Prophetam dicens: *Inebriatus est in cœlo gladius meus ecce super Idumæam descendet*: Se primò in cœlis ex sacratissimis vulneribus Salvatoris inebriat, & postmodum in terram descendit, cogita si plurimum sanguinis humani bibere possit. Quid dicitis indignationem divinam esse ignem inextinguibilem? Respondeo totum hoc à nobis dependere, sicut enim ignis numquam extinguitur, si semper ligna adjungas, sed si illa auferas, subitò evanescit; pari modo si Deum semper offendas, & peccatis peccata addas, quid mirum quod non extinguatur ignis indignationis divinæ? auferas peccata, & subitò cessabit indignatio.

Isa. 16. 9.

Isa. 34. 5.

32. Hoc punctum pro primo documento hujus discursus accipere poterimus, ut nimirum si à tribulatione liberi esse voluerimus, cessemus à peccatis. Dum Angelus ex præcepto divino castigaret populum Israël, quem David numerari jusserat, & per aliquot horas peste multa millia interfecisset, Deus misericordiâ commotus, ait: *Angelo percutienti populum; sufficit nunc contine manum tuam*, quasi Deo malum intulisset, non verò populo. Pari modo tibi peccatori dicam, *contine manum tuam*, cessa nunc tandem Deum offendere, nimiùm peccatis tuis Deum provocasti; à juventute siquidem usque in præsens, peccata peccatis multiplicasti; cesset jam manus tua. Nónne Dei erga te misericordiam, & tuam erga eum impietatem consideras? ipse ex necessitate coactus te affligit, tu verò quomodo cogeris illum offendere? Non opus est ut cum Saule dicas; *necessitate compulsus*, quia cum Samuele responderem, stultè egisti; nulla siquidem necessitas ad Deum offendendum te cogere potest. Ille quantò minùs potest te affligit,

Ubi peccata non sunt, nec tribulatio est.

2. Reg. 24. 16.

1. Reg. 13. 13.

git, tu quantò magis potest illum offendis; ille cum dolore illibenter te punit, tu verò cum gustu, & lætitia peccas. Egregiè Sapiens de talibus loquitur dicens: *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quasi diceret mensura gaudii illorum, non est gustus, lucrum, aut honor, sed malitia; ita ut exigua perpetrantes mala, parum lætentur, summa verò scelera committentes, illorum est summa lætitia; ideoque lætantur quidem malè agendo, sed *exultant in rebus pessimis*, jubilant, & festivis applaudunt gaudiis, dum maximè peccant.

Prov. 2, 14.

Peccator hilariter peccat.

33. Gens quædam adeò fuit barbara, referente Zenodato, ut parentibus senectute confectis, filii adeò crudeliter vitam eorum adimerent, ut hoc illis agentibus, risu, & jucundo applausu sibi invicem congratularentur. Pejus tamen illi agunt, qui adeò crudeliter offendunt suum patrem, creatorem, & Deum, ut si omninò à se & à mundo tollere possent, ridendo id libenter efficerent; quia *lætantur cùm malefecerint*. Sed risus Sardonicus est, ut in persona peccatoris dixit S. Gregorius Nazianzenus his versibus:

ubi supra.

Id facio quod mens mea damnat, & odit,
Oblectorque malis, mortemque in pectore fixam.
Rideo Sardonico risu.

34. Optimè certè hic risus Sardonicus peccatori convenit; etenim Sardonicus dici potest, vel ab illo barbaro Sardorum more, jamque vidimus quàm similes illi sint peccatores; vel ab herba quadam venenosa, in eadem insula nata quæ comedentem ridendo mori cogit; idque peccatori rectè convenit, cùm ipse peccatorum venena, illi mortem causantia, alacriter sumat: hoc præclarè testatur Eucherius Lugdunensis dicens: *Similes illis qui fortè sumentes exitiales herbarum succos, cum risu perire dicuntur.* Rident ergò peccatores Deum offendentes, in eoque adeò sunt firmati, ut non priùs finem risui, & peccatis, quàm vitæ imponant; quia teste Sapiente; *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Servit illis iniquitas loco panis & vini, eo se nutriunt, & impinguantur. Cumque famem malè operandi expleverint, novas iniquitates sitiunt illisque hilariter immorando vitam finiunt.

Peccator ridendo perit.

Prov. 4, 17.

35. Mirabilis fuit panis à Deo populo Hebræo in deserto missus, qui cibus Angelicus erat, unde præ admiratione dicebant: *Manhu, quid est hoc?* Diabolus quoque qui ut simia opera divina in omnibus imitatur, cibum aliquem diabolicum non Angelicum invenit, quibus servos suos enutriat, voluptates

Qualis peccatori cibus.

Exod. 16, 15.

nempe

nempe carnales, aliaque peccata. Manna populo Israelitico, cibus, & potus erat, quia radiis solaribus liquefactum potus erat, & igne induratum cibum ministrabat. Peccatum servis diabolicis cibum, & potum subministrat; quandoquidem, *comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Manna omnium ciborum sapores continebat, & peccatum omnem mundi delectationem peccatori adfert, ideoque Septuaginta interpretes verterunt illud, *Comedunt escas impietatis*, ut omnia ciborum genera comprehendant, cùm scriptura sacra sub nomine panis, omnes cibos intelligat. Si ergò non subitò te Deus à tribulatione liberet, cogita quoties bonis inspirationibus ejus restiteris, & in peccatis obduratus fuisti.

Prov. 4. 17.

36. Aliud quod exhaurire possemus documentum est, nos nimirum proximis compati debere, hoc enim adeò est necessarium, Deoque gratum, ut si in aliquo à divina voluntate quandoque recedendum esset, in hoc certè licitum esse videretur. A simili hoc probare possemus; Paterfamilias quandoque filio seniori imperat, ut juniorem percutiat, si hoc alacriter, & ferociter senior faciat, dolet pater de nimia indignatione; si verò illibenter, & dolenter, ex obedientia leviter percutiat, gaudet interiùs, illumque in corde laudat, ut obediens, & fratrem amans. Ita Deus dum cupit per te proximum punire, si videat te promptum, & alacrem in hoc exequendo, displicet illi, te adeò exiguo amore fratrem tuum prosequi; utque discas illi compati, easdem tribulationes tibi immittet, ut experiaris quid sit afflictio. Si autem videat te illibenter cum dolore hoc officium exequi, ipsique compatiaris, & quantum potes tribulationes ejus alleviare coneris, gaudet, & occasione datâ, te quoque in tribulatione alleviabit. Conquerebatur Deus cum Nabuchodonosore eum nullam misericordiam populo suo exhibere: *Dedi eos in manu tua, & non fecisti cum eis misericordias*, inquit per Isaiam Prophetã. Sed nónne volebas eos castigari, cur ergò conquereris, illum non executum fuisse, quod volebas? Voluissem quidem, ait Deus, illos fuisse punitos, sed cum pietate, & misericordia, non verò cum rigore, & crudelitate.

Proximis compatiendum.

37. Dico insuper, si zelo, aut honore Dei commotus id faceres, non tamen illi immoderatus rigor placeret. Id clarè patuit, in Elia Propheta, qui nimio zelo commotus à Deo impetravit, ne per tres sequentes annos plueret, unde cùm Elias numquam ad pietatem aut commiserationem flecteretur, into-

Non placet Deo castigatio rigida.

lerabilis famis & rerum omnium penuria exorta est. Vultis tamen cognoscere hunc nimium rigorem Deo maximè displicuisse, audite S. Joannem Chrysostomum insigni & aureâ homiliâ idipsum declarantem, in qua hæc inter cætera verba profert: *Prophetam unà cum populo punit, ut dum etiam ipse in famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ in relaxando sententiæ suæ juramento addiscat.* Tanti patris ergò vestigiis inhærendo, aliqua nobis utilia hinc colligere licebit.

S. Chrysost. Homil. 1. defens. El. tom. 1.

Elias aliis immisericors pati cogitur.

38. In primis cur Elias ad misericordiam commotus non fuit, videns populi sui miseriam, reliquit civitates, fugit in desertum, voluit quidem Deus illi prouidere cibum & potum, sed Angelum non misit, ut aliàs fecerat, sed corvum; quasi diceret vide cui assimulari possis, nigro Corvo videlicet; sicut enim ille relinquit pullos famelicos, ita tu quoque populum famelicum deseris: attamen pullis suis immisericors, tecum misericordiâ uti cupit, ac famelicũ cibo satiare, discas ergo & tu misericordiam populo exhibere. *Erubesce, & vel corvorum exemplo, Iudæis esto clementior.* Inquit S. Joannes Chrysostomus. Sed quid Corvus Eliæ detulit? panem & carnem, cibum ergo non potum tulit; sed cur in magna hac siccitate potum non defers Prophetæ tuo, ut postea per Angelum fecisti? Torrentem, inquit, vicinum habet, ex illo bibat; sed aqua torrentis mala turbida, & exigua est, nil refert, inquit Deus, alios siti exagitat, addiscat quoque sitim pati. Sed torrens subitò exsiccatus erit, nónne tunc illi potum deferri curabis? nónne corvi simul adferent? Minimè, inquit, sed si aquam desideret, in civitate quærat; sicque coactus fuit Sarephtam petere, ut ibi ministerio viduæ unius pasceretur. Sed cur Deus hæc ita facit? ut miserias, & afflictiones aliorum videns, compati discat, & misereri proximo suo, cui aquam subtrahendo nimiùm affligit. Non vult aliis aquam largiri, nec ipsi quoque præstare volo, non vult me rogare, ut ignoscam populo meo, & misericorditer agam, & cogam illum mulierem alienigenam rogare, ut illi succurrat. Nullâ populi necessitate, ad commiserationem inflectitur, & ego necessitate viduæ unius illum vivere cogam, efficiamque ut me rogare compellatur pro resuscitatione filii defuncti; ut filii quoque mei præ fame, & siti defuncti commiseratur.

Quia aliis aquam subtraxit, aqua ipsi deficit.

39. S. ergò Chrysostomus in homilia sua progrediens, introducit Eliã Domino ita dicentẽ; *Non est mors ista eventus, tuum opus est, tuæ technæ quibus me in misericordiæ necessitatem adigis, ut si dicere voluero, Domine miserere filio viduæ* Ibid.

viduæ mortuo, tu quoque ex adverso respondeas, miserere filio meo Israël. Advertens denique Deus, inquit S. Joannes Chrysostomus, rigurosum modum procedendi Eliæ; illum à conversatione hominum auferre decrevit, ne immisericordiâ totũ genus humanum occideret, ideóque illum taliter alloquitur: *Quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, ascende quasi in cœlum, ego autem in terra quasi peregrinus ero; nam si diu ibi maneres in terris, propediem humanum genus, quod à te continuò plectitur, aboleretur.* Quid amplius de bonitate, & misericordia divina dicĩ posset? Si quoque nos vult proximo compati, dum pro peccatis suis punitur, & quando ipse nobis præcipit ut illum pro peccatis affligamus; quali utetur commiseratione cum innocentibus, & cum illis quibus præcipit misericordiam exhibere? Quantam ergò velitis vobis à Deo misericordiam exhibere, tantam vos proximis præstate, & feliciter cuncta procedent. AMEN.

Cur Elias raptus in paradisum.

ubi suprà.

DISCVR.

DISCVRSVS XXXI.

Deus in tribulatione se adeò benignum ostendit, ut nobiscum uniri, & nuptias celebrare velit: ideoque illæ nobis charissimæ & tribulatio gratissima esse debet.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Arcus cælestis signum pacis. nu. 1. 2.

Tribulatio nuptiarum divinarum nuntius. num. 3.

Tribulatio tristitiam, nuptiæ lætitiam habent. à num. 4. usque ad 7.

Deus ex amore nobiscum uniri cupit. à num. 8. usque ad 13.

Tribulatio nos ad Deum attrahit. à num. 14. usque ad 20.

Tribulatio nos Deo intimè conjungit. à num. 21. usque ad 29.

Nuptiæ cum tribulatione rectè conveniunt. num. 30. 31. 32.

Ad Deum in tribulatione fugiendum, ne ab ipso derelinquamur, sed intimè conjungamur. à num. 33. usque ad finem.

Magna Dei bonitas post diluvium.

1. Umma bonitas, & admiranda benignitas Dei nostri exstitit post diluvium; quando Patriarcham Noë cum universa familia, mœstos, ac timore perterritos conspiciens, illos dulciter consolari, & divinis promissis confortare dignatus est, dicens: *Nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* (Gen. 9. 11.) Nec hoc contentus, sed ubi princeps terrenus qui mentiri potest, dedecus æstimat pignus assertionis tribuere: ipse tamen (cujus verbum terrâ, & cœlo firmius, nec minus æternitate immutabilius) pignus, & securitatem promissionis suæ exhibere voluit, Iridem cælestem; insignem Taumantis, id est, admirationis filium juxtà Poëtas; sed juxta Philosophos, patrem solem, matrem verò roridam nubem agnoscens. Cui nascenti fascias, & cunam terra; cœlum autem lucis nutrimentum confert; quæ cœlum terramque simul versicoloribus suis brachiis complecti videtur.

Quomodo arcus signum pacis.

2. Meliùs tamen divinam sequentes auctoritatem dicamus, arcum hunc mirabilem versus cœlum tendi, & pro corda terram,

ram,pro ſagitta radium ſolarem habere juxtà dictum divinum; Gen. 9. 13. *Arcum meum ponã in nubibus cœli:* pulcherrimũ tamẽ inde exurgit dubium, arcus nónne inſtrumentum belli ? & arcus cæleſtis nónne ſignum pluviæ? quomodo ergò poteſt eſſe ſignum pacis ? Nubes inſuper nónne rore gravidæ ? quomodo ergò arcus in nubibus, eſt ſignum non futuri diluvii, quod aliud non eſt quàm pluvia ? Dico inſuper nónne arcus quid fictum, & non reale ? colores ejus in aëre apparentes, non veri, & ſolidi, ſed ficti ſunt: ſubitò apparentes, & evaneſcentes ? quomodo ergò promiſſionis firmæ, & ſtabilis poſſunt eſſe pignus ? poſſem dicere inſigne eſſe pacis indicium, quia verſus cœlum extenſus, & non verſus terram, ita ut ſi ſagittam ex eo jaculari velis, nõ terra, ſed cœlum lædetur. Quaſi dicere vellet Deus, ſicut impoſſibile eſt, ut à terra cælum lædatur, ita aquis diluvii non ampliùs à cœlo terra lædetur. Addere quoque poſſem, non omnes arcus, aut ſagittas inſtrumenta bellica eſſe; cùm ſæpius amor, quàm mors cum ſagitta, & arcu pingatur. Suſpendere inſuper arma ad parietes domus, vel templi, ſignum eſt pacis; ideoque Deus defatigatus quaſi ſagittis nubes conficere, arcum ſuum in illis ſuſpendit. Meliùs tamen dicere poſſem arcum hunc fune carere, ne ex illo jaculari poſſit.

3. His tamen objectionibus adverſarios ipſos confundere cupio. Quid dicitis ergò arcum bellicum eſſe inſtrumentum coloribus fictum ? fictus igitur eſt arcus, & fictum belli inſtrumentum; ideoque nullum opportunius pacis & amoris ſignum reperiri poterat. Extraneus quidam civitatem regiam ingreſſus, videnſque in area publica nobiles, & equites, ludo equeſtri, & lanceis ſimul concurrere, & ad ſonum tubarum inter ſe mutuo confligere; quid de illis cogitare poterit ? Seditionem in civitate ortam? Nequaquam, ſed illos feſta, & nuptias, aut publicam ſolemnitatem cum lætitia colere. Sed quomodo hoc, nónne videt illos ſimul confligere ? Nónne omnes armati prodeunt ? nónne ſe mutuo lædere, aut ex equo dejicere cupiunt ? quæ ergò ſunt feſtivitatis, & nuptiarum ſigna? plurima adſunt, quia prælia ficta, ſigna veræ pacis ſunt; conflictus jocoſi, & ludi bellici regalium nuptiarum ſunt ſigna. Quid dicebatis igitur de arcu cæleſti ? diverſo colore fictum eſſe ? certè ita, dicam ergò eum veri amoris, & perfectæ pacis ſignum eſſe. Ob eandem quoque rationem, quid creditis tribulationem eſſe ? eſt conflictus, & prælium, quod Deus nobiſcum

Fictum bellum, ſignum pacis.

 init ?

Tribulatio nuptiarum nuntius. init? Sed quid, ánne verum aut fictum? est fictum, ludus videlicet equestris, & conflictus festivalis. Ita testatur hoc S. Propheta Job dicens: *Tribulatio & angustia vallabit eum, sicut regem, qui præparatur ad prælium*: ubi alii legunt, *ad hastiludium*: Sicut milites in conflictu mutuò se exercentes. Propheta Jeremias harum tribulationum expertissimus, hoc rectè intellexit dicens: *Si abjecit, & miserebitur*, quasi diceret, si ex equo dejecerit, non tamen occidet, sed sublevabit: *Secundùm multitudinem misericordiarum suarum*; Ita ut signum amoris, & nuptiarum sit tribulatio. Antea quoque vidimus quod zelotypiæ sit partus, & Deus illibenter puniat, ideo filia amoris dici potest, modò vobis exhibere cupio, tribulationem nuntium esse à Deo missum, ut nobiscum uniatur, & nuptias celebret; quod esse non potest nisi effectus veri amoris. Ideoque, *Secundùm multitudinem misericordiarum suarum* nobiscum aget; advocabit omnes aulicos suos, qui sunt misericordiæ ejus, ut in nuptiis, & festivitate adsint: sed unde hoc cognoscere poteris, Jeremias id clarè ait; *Non enim humiliavit ex corde suo*, non ex odio ut lędat, sed ex joco dejecit ut recreet. Cùm autem nostri miserebitur, sincerè, & ex toto corde illud aget; *Secundùm multitudinem misericordiarum suarum*. O qualis excellentia, & felicitas afflictorum, ad nuptias divinas vocari; quis tamen hoc credere posset?

Iob 15.24. Thren. 3. 32. Psal. 50.3. Thren. 3. 33.

4. Qui nuptias asserit, lætitiam, & jubilum dicit; nam cœlum ipsum quod semper in gaudio, & exultatione versatur, in die nuptiarum reduplicat festivitatem suam, attestante S. Joanne in Apocalypsi, qui Angelos cantantes audivit; *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni.* Sed ante illud tempus, nónne exultabant? omninò, hodiè tamen gaudia reduplicanda, cùm sit nuptiarum dies. Tribulatio nónne dolorem, mœstitiam, & luctum adfert? Quomodo ergò hæc simul esse poterunt? *Melius est ire in domum luctus, quàm in domum convivii*, dixit Salomon, negari non potest, quin ire ad nuptias, sit delectabile, & bonum, cùm à Deo institutum sit: melius tamen est, ire ad domum luctus; sed cur hæc duo inter se opponere? Nisi quia maximè contrariantur, nec simul esse possint? Afflictus est in luctu & planctu, quomodo ergò dici potest, quod nuptias celebret, & potissimum cum Deo?

Nuptiæ lætitiam, tribulatio tristitiam habet. Apoc. 19.7. Eccles. 7.3.

5. Quid insuper nuptiæ significant, nisi conjunctionem delectabilem, & amabilem? quomodo autem hæc inter Deum, & afflictos reperienda? Similitudo & paritas, amoris, & unionis

Tribulatio signum nuptiarum esse non potest.

unionis solet esse occasio, teste Aristotele & Seneca, ac potissimùm Spiritu sancto dicente:
Eccli. 11. 20. *Omne animal diligit sibi simile, omnis caro ad similem sibi conjungitur, & omnis homo simili sibi sociabitur.* Ratio autem est, quia unusquisque amat seipsum, qui autem mihi omnino similis, videtur alter ego. Similia faciliùs sibi invicem conjunguntur; sicut enim contraria se invicem non patiuntur in eodem subjecto, ita similia facillimè se invicem amplectuntur. Dissimilitudo ergò exigui amoris erit occasio, cùm ex contrariis causis contrarii nascantur effectus. Hoc argumēto quoque S. Paulus usus est dicens:
2. Corint. 6. 14. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?* Deus quoque nullam rem uniri cupit, in qua ulla species contrarietatis.
Deut. 22. 11. In lege veteri Deus præceperat, ne vestibus ex serico, & lanâ contextis uterentur, ne sub eodem jugo bos, & asinus jungerentur, ne diversis seminibus agrum implerent; ostendere volens, nec in rationalibus, nec in irrationalibus se commixtionem contrariorum admittere nolle. Quis tamen non videt contrarietatem magnam, inter Deum, & afflictum?
1. ad Tim. 6. 15. Deus summè beatus; *Quem Deus ostendit beatus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:* ait Apostolus: Afflictus, miser
Iob 14. 1. & infelix est; *Repletur multis miseriis.* Deus ab omni plaga, & tribulatione longè abest: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; afflictus continuò flagellatur; *Fui flagellatus tota die.* Deus totus lux est; *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ:* afflictus semper in tenebris versatur; *In tenebris stravi lectulum meum*; quomodo ergò simul uniri poterunt.

Psal. 90. 10.
Psal. 72. 14.
1. Ioan. 1. 5.
Iob 17. 13.

Cur Christus noluerit fel bibere?

6. S. Hilarius considerans hunc scripturæ locum: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*; Matth. 27. 34.
Summoperè admiratur ipsum noluisse hoc accipere, cùm in tantis tormentis maximè sitiret, nec ullum supplicium oblatum recusasset? Crescit insuper hæc admiratio quod S. Petro passionem ejus impedire volenti alacriter respondisset; *Calicem quem dedit mihi pater non bibam illum?* Ioan. 18. 11.
Per calicem autem totam passionem suam intellexit. Negari tamen non potest, bibitioni fellis cum vino mixti calicis nomen propriè attribui. Hîc pulcherrimè S. Hilarius considerat, illum hoc egisse, quia admixtionem rerum contrariarum se non admittere ostendere volebat; vinum quippè lætitiæ symbolum, & fellis summæ amaritudinis, peccati nimirum, symbolum erat: *Non*, inquit S. Hilarius, *æternæ gloriæ incorruptioni, peccatorum amaritudo admiscenda erat.* Quomodo ergò nos dicemus, pretiosissimo im-

mensæ gloriæ vino, tribulationis amaritudinem commisceri? pauper & dives non rectè conveniunt; *Quæ pars diviti ad pauperem*, inquit Sapiens? (Eccli. 13. 22.) Cùm Philosopho cuidam dictum fuisset duos, pauperem nimirum & divitem, summos esse amicos; respondit hoc esse non posse, quia dives alioquin pauperi opes suas communicaret. Quis verò Deo ditior, qui est *Rex regum*, *& Dominus dominantium*? (1. ad Tim. 6. 15.) Quis afflicto pauperior, cùm dicere posset; *Inops, & pauper sum ego*? (Psal. 85. 1.) Quomodo igitur hos dicemus amicos adeò strictè unitos, ut sponsus, & sponsa? illi vocantur consortes, ejusdem videlicet sortis; sed Deus beatissimus, & afflictus miserrimus, quomodo ejusdem sortis erunt?

Tribulatio Deum effugere facit.

7. Quid autem dico tribulatum cum Deo nuptias celebrare; quin imò longissimè à se diffugere efficiet; nullum siquidem efficacius remedium à Deo recedendi, quàm tribulatio. Naturalistæ varia excogitarunt remedia, ut animalia in fugam convertere possent; umbra fraxini serpentes fugat, fumus apes avolare cogit; ignis leonem abigit; strepitus tympanorum, & rotarum lupum fugat, ut homines autem fugere compellamus, quodnam remedium? tribulationem aliquam exhibere; *Erit tribulatio magna*, dicebat Salvator, (Matth. 24. 21.) sed quid sequetur? *Qui in Judæa sunt fugiant ad montes*: nec (Ibid. 16.) illam videre oportet, sed sufficit aliquo signo ostendere: *Dedisti metuentibus te significationem*; (Psal. 59. 6.) aliquod exhibuisti tribulationis signum; ad quem finem; *ut fugiant à facie arcus*. Sicut ergò auceps prædam avium facere cupiens, retia abscondit, ne illa advertant, aliter, *frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, (Prov. 1. 17.) subitò quippe illo viso avolarent: pariter Deo cum tribulatione appropinquante, cuncti fugient. Non ergò unionis & nuptiarum cum Deo causa esse poterit, sed è contrà disunionis, & inimicitiæ.

Deus nimio amore erga nos fertur.

8. Si tamen ita fuisset, ubi quæso esset divina sapientia? An dicemus Deum finem aliquem desiderando, contrariis uti mediis, nec opportuna, & congrua reperire posse? Certissimum est, Deum velle nobiscum permanere, ideoque dixit; *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*; (Prov. 8. 31.) cur creditis se petram appellari voluisse, *petra autem erat Christus*? (1. Corinth. 10. 4.) Nónne quandoque vidistis quanto impetu, & velocitate saxum ingens ad centrum descendat? Quis illud cogit? Quis persequitur? Non aliud, quàm naturalis inclinatio quam ad centrum, & locum naturalem habet. Numquid tamen locus altior nobilior est, nónne cœlo vicinior? Nónne melius solaribus radiis, & in-

fluentiis cœlestibus frui posset? omninò, verum tamen est, tantam esse inclinationem ejus ad centrum, ut omnem alium locum derelinquat, & centrum petat. Pariter asserere possemus, Deum nobiscum egisse; è cœlo in terram descendit, quis illum coëgit? Quis lucidissimam beatorum mansionem, pro humili & abjecta miseriarum valle commutare fecit? Non aliud, quàm inclinationem & pondus quo instar petræ ad hæc inferiora ferebatur. Sed quodnam illud pondus? Amor juxta dictum S.
S. Aug. 13. conf. c. 9. Patris Augustini; *Amor meus, pondus meum, eò feror, quocumque feror.* S. Paulus de incarnatione loquens, illam amori tribuit;
Ephes. 2. 4. *propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos Deus*; Nimium hunc amorem, & pondus appellat, quasi illum sustinere non valens, coactus fuisset illi succumbere; unde nullam extra hominem videtur invenire re-
Isa. 66. 2. quiem; *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu.* Cùm Deus universum orbem condidisset, nullam habuit requiem, nisi die septimo cùm hominem creasset, unde
Gen. 2. 2. dicit Scriptura; *Requievit Deus die septimo ab universo opere quod patrarat.* Homo tamen qui hanc felicitatem cognoscere deberet, & pro ingenti accipere beneficio Deo uniri posse, continuò ab illo fugit; imitando primum suum parentem de quo dictum;
Abscondit se Adam à facie Domini; Gen. 3. 8.
Sed quid agit Deus? tribulatione, & afflictione illum sequitur; credendum ergò est, illud esse unicum medium, ut secum uniamur.

9 Scitis ergò quomodo Deus fugere videtur? Sicut ministri justitiæ, illi quandoque quempiam persequentes, post tergum clamant, siste gradum, expecta nos; at ille magis fugere incipit, si autem insequi non possint, à tergo ferire nituntur, ne ulteriùs effugiat. Pari modo Deus cum homine agit, apprehendere illum vellet absque læsione, clamat, ut gradum figat; *Quiescite agere perversè*; nequit intelligere, Isaiæ 1. 19. sed sagittam tribulationis emittendo, illum licet invitum sistere cogit, & apprehendit. Vultis illud cognoscere? Qualiter aliquem vulneratum scies inter fugiendum? ex loco in quo vulnus accepit, si in pectore aut aliqua parte anteriore, signum est illum non fugisse, sed constantem mansisse, inimicos oppugnasse, & persecutum fuisse, ideoque hæc vulnera honoris appellantur; si verò in dorso, aut aliqua parte posteriore, signum est illum fugisse, illaque vulnera dedecoris sunt. De milite quodam Spartano refertur, quod dum facie in terra jacens, ab inimico comprimeretur, jamque gladio elevato illum

Deus fugientes insequitur.

occidere vellet; adversarium allocutus dixit, verte me & occide, ne post mortem dedecori mihi sit vulnera in tergo gerere.

Diversitas inter vulnera Dei & hominum.

10. Insignem hîc notate differentiam, dum Deus ab homine læditur, ubi creditis illum vulnera accipere, in parte anteriori, ita ipsemet testatur dicens: Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*; alibi quoque Angeli dicunt; Zach. 13. 9. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum.* Nec mirum illum vulnera anteriora recipere, cùm numquam fugiat, sed occurrat homini ut illum amplectatur. Homo verò quâ in parte à Deo læditur, in parte posteriore, teste Jeremiâ Prophetâ; Thren. 3. 12. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam*; sed ubi vulneratus? In renibus; *Misit in renibus filias pharetræ suæ*; quod signum est illum fugisse. Idem clariùs attestatur Propheta David: Psal. 77. 66. *Percussit inimicos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*: Sed cur hæc vulnera tanti dedecoris? quia vulnera sunt fugientium; quia ergò fugis, & Deus cupit te assequi, & amplecti, te vulnerat, ne ulteriùs fugere queas. Hoc verum esse, præclarè testatur David dicens: Psal. 37. 3. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*; ad quem finem? *Et confirmasti super me manum tuam*; manu tuâ me ita apprehendisti, ne effugere possim.

Deus nobiscum uniri cupit.

11. Hucusque de conjunctione amabili, & nuptiali nihil probatum est, ad intentum nostrum; quod exemplo perdicis clariùs vobis exhibebo. Perdix ferventi amore succensus, sæpius consorti suæ conjungi desiderat; quandoque tamen accidit ut ovis insidentem reperiens voluntatem suam, complere non possit; quid ergò efficit? non propagationem pullorum curans, ova conterit, & disrumpit, ut libidini indulgeat. Ita, inquã, Deus efficit, summè quippe avidus nobiscum se conjungendi, juxta dictum illud; *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*, nos undique inquirit, & invitat; nos è contrà obstinati, & surdi, inspirationibus ejus intendere nolumus. Sed qua de causa? Ova quædam fovemus; cupio, inquit, unus, hoc negotium absolvere; liti isti attendere oportet; ad hoc intentum meum pervenire desidero; filios meos enutrire volo. Sed quid Deus per hæc efficit? Rumpit ova illa, intentionem tuam dissolvit, filios emori curat, ut liberiùs illi inservias. Hoc egregiè testatur per prophetam suum dicens: *Ipsi ædificabunt, & ego destruam*; intentionem nempe conceptam, quâ frustratus, ipsi liberiùs inservire possis, & revertendo cum anima illa pœnitente dicere: *Revertar ad virum meum priorem.* In lege veteri Deus præceperat, ne volucrem ovis

Prov. 8. 31.

Deus intentionem nostram disrumpit.

Malach. 1. 4.

Oseæ 2. 7.

ovis incubantem repertam arriperent; sed ova tantùm auferre possent, matrem verò liberam dimitterent. Mirum tamen videri posset, supremum mundi Monarcham, minima hæc respicere voluisse, & ita hæc æstimasse, ut promissiones adjungeret, dicens: *Vt bene sit tibi, & longo vivas tempore.* Tanti ergò referebat Deo non accipere matrem, ut promissionem longæ vitæ, & felicitatis adjungeret? Summoperè certè admirandum; voluit fortassis nos docere tantam illi curam esse de minimis, quàm de maximis, ut nos quoque in illum sperare discamus.

Deut. 22. 7.

Deus pietatem edocuit.

12. Voluit credo, nos pietatem, & commiserationem edocere; ne afflicto afflictionem addamus, nec omnia unâ vice diripienda cogitemus. Ita testatur illud Tertullianus dicens: *Vt in pecudibus, & bestiis præmeditata humanitas, in hominum refrigerium erudiretur.* Voluit quoque reverentiam, & honorem erga parentes nobis inculcare; cùm eandem hîc promissionem adjungat, quam præcepto decalogi de honore parentum adjunxit. Potuit quoque avium inopiam respexisse, non auferendo siquidem vitam matri, alios pullos educare potuisset: sed matrem, & pullos auferendo, fructum, & arborem abstulisset, ne in posterum aliquid percipere potuissent. Sed magis proposito nostro congruit, Deum se adeò benignum matri cui ova, aut filii ablati erant, demonstrasse, ut inde colligeremus, ipsum noluisse illud committere, quod tantopere aliis præcipiebat. Hinc maxima oboritur afflictis consolatio, quòd dum Deus illis ova abstulit, spe scilicet defraudavit, & filios mori permisit; pignus habeant salutis æternæ, se subitò ad cœlum volaturos; alioquin contra præceptum suum ageret, occidendi matrem cum filiis. David de Moyse, Aarone, & Samuele Dei amicis loquens, clariùs idem explicat, dicens: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus; Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Deus vindicasti de omnibus inventionibus, & cogitationibus eorum, abstulisti ova voluntatis, & cupiditatis eorum quibus proponebant mirabilia se acturos; sed numquid matres cum ovis abstulit? Nequaquam, sed *Tu propitius fuisti eis*, pietatem, & misericordiam exhibuisti eis.

Tertul. lib. 2. contra Marc. cap. 77.

Psal. 98. 6.

Cur aqua in montibus reperta?

13. Ad hoc propositum confirmandum, ex rebus inanimatis similitudinem insignem colligere possumus. Aqua naturâ suâ gravis, semperque deorsum tendens, quandoque in altissimis montium jugis hæret; unde Philosophi quidam hoc attendentes;

tes, dixerunt illam ibi generatam fuisse. Hoc tamen esse non posse, ostendit Sapiens dicens: *Omnia flumina intrant in mare; Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Tum etiam quia non continuò & semper scaturiret, uti pluvia non cadit continuò, quæ tamen ex generatione aquæ dependet. Alteri, asserunt, mare, terram, & montes excessisse, ideoque de illis aqua scaturiens, non ascendebat, sed descendebat. Hoc tamen falsum esse inde probatur, quod si mare terram excederet, universam submergeret, cum aqua semper descendat. Improbabilius asserit Plinius, pondus terræ aquam in sublime ejicere; alii quoque cum ipso asserunt idem vi ventorum aquam in sublime compellentium fieri. Ego tamen id fieri æstimo, ad impediendum vacuum, ut videmus in fontibus, aliisque artificialibus instrumentis. Terra quoque porosa, in sublime aquam trahit; quomodocumque id fiat, ad propositum nostrum maximè conducit. Quis nescit naturam nostram instar aquæ, ad inferiora semper descendere; juxta dictum sapientis mulieris Thecuitis; *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur?* Quomodo ergò ascendere, & mente in Deum ferri poterit? eo modo quo aqua elevatur; aqua pondere, vento, vacuo, & virtute attrahente elevatur, & ascendit in altum; sed quis nescit totum hoc de tribulatione dici posse? Illa est ingens pondus, dicente Propheta Job: *Pondus ejus ferre non potui*; est ventus de quo Ezechiel: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone*: est vacuum teste patiente Job: *Et ego habui menses vacuos*: est virtus mirabiliter attrahens, de quo Salvator: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: quid mirum ergò si suprà montes, & cœlos ascendat, ut Deum suum reperiat, prout David faciebat: *In die tribulationis Deum exquisivi?*

Eccles. 1. 7.

Plin. lib. 2. cap. 5.

Sicut aqua attrahitur, sic tribulatio nos elevat.

2. Reg. 14. 14.

Iob 31. 22.

Ezech. 1. 4.

Iob 7. 3.

Ioan. 12. 32.

Psal. 76. 3.

14. Ampliùs dico per tribulationem Deum efficere, ut illum diligentiùs quæras. Mos est debitorum, fugere creditores suos, si à longè illos conspiciant, aliò declinant; creditores autem diu expectantes, litem illis intentant, ante judicem citant, & tali modo ad solutionem compellunt. Pariter peccator Dei debitor agit; *Debebat ei decem millia talenta*; Deus te exspectat, aut benignè interrogat, fugis, nec ipsi loqui dedignaris, non vis illi amorem reddere, quem debes, hæc enim est solutio quam reddere teneris pro tantis beneficiis acceptis. Quid agit Deus, litem tibi movet, te per justitiæ ministrum citat; sed quis ille minister? Tribulatio. Malachias Propheta intentum nostrum

Deus tribulatione nos attrahit.

Matt. 18. 24

strum

Malach. 1. 2. ſtrum rectè comprobat: *Dilexi vos*, ecce ego ſum creditor amoris, inquit Deus; *In quo dilexiſti nos?* dicunt homines, negando Deo debitum, fugiendo, & ſolvere nolendo. Quid hîc agit Deus? miniſtros ſuos mittit; *Mittam in vos egeſtatem*; quid enim aliud eſt egeſtas, teſte Sapiente, niſi miniſter juſtitiæ: *Veniet tibi quaſi viator egeſtas*; non dicit quaſi vadens, aut viam pergens, ſic enim parvo tempore apud te maneret, ſed *quaſi viator*; Miniſtri juſtitiæ olim viatores nuncupabantur, qui nimirum citationes deferebant; veniet ergò paupertas, & citabit te ante tribunal divinum, ut ei rationem reddas. Quando Deus diluvium mundo immittere volebat, dixit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum*: S. Jeronymus ex Hebræo legit: *Non litigabit ſpiritus meus*; Volo, inquit Deus, hanc litem finire, cùm enim diu litigando nil obtinere potuerim, viâ facti procedam, & executioni mandabo, quod diu intendi. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes*; Textus Hebræus legit; *Exigat mors ſuper illos.* Qui ſententiam executorialem obtinuit, continuò ad exactionem procedit, niſi alter rationem allegat cur non poſſit ſolvere: ita teſtatur Propheta Oſee; *In tribulatione ſua mane conſurgent ad me*: Nota illud *manè*, quod eſt diligenter, & feſtinanter.

Tribulatio miniſter juſtitiæ Dei.

Prov. 6. 11.

Gen. 6. 3.

Pſal. 54 16.

Oſeæ 6. 1.

15. Magna eſt differentia, inter eum qui aliquem ex affectu quærit, vel qui tantùm coactè, & illibenter. Hic omni minimâ occaſione impeditur, & mille excuſationes allegat ne inquirere debeat, modò dicendo neſcio ubi ſit, modò domum habitationis ignorat, modò extra civitatem eſſe fingit. Qui verò libenter ex affectu eum alloqui cupit, ſubitò invenire valet, nec ullas afferens excuſationes, diligenter inquirit, donec inveniat. Pariter peccatori accidit, dum in proſperitate cuncta ei feliciter ſuccedunt, vix de Deo quærendo cogitat, mille ſubitò excuſationes reperit, nunc inquit, non bene valeo, nunc impeditur aliis negotiis, nunc in aliud tempus differt. In afflictione autem omnia impedimenta ſeponens Deum ſubitò invenire novit; non illi hoc vel illud obeſt, nullam prætexit moleſtiam, ſed continuò ad Deum recurrere novit. In cæleſti ſponſa idem clariſſimè patebit; ſemper ſe cupidam exhibebat ſponſum ſuum reperiendi, ſed aliquando majori deſiderio quàm aliàs; unâ vice quoque adeò tepida erat, ut diceret: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*: quaſi diceret vellem te reperire, ſed neſcio ubi habites, timeo

Tribulatio Deum ſincerè quærit.

Cant. 1. 6.

aberrare, comite indigeo & duce viæ. Aliâ autem vice tanto videbatur ſuccenſa zelo, ut de nocte conſurgens, in tenebris iret, ab hoc vel illo quærendo. Vnde creditis diverſitatem hanc exortam? Prima vice jam tantùm exierat è cella vinaria dilecti ſui in qua hilariter, & benignè excepta fuerat, unde in proſperitate conſtituta, vix ampliùs recordabatur dilecti ſui. Secunda verò vice, afflicta erat, & dilectus ejus indignatus ab ea receſſerat, unde totaliter conturbata, ſubitò eum quærebat. Tribulatio ergo acutiſſimus ſtimulus, qui velociter ad Deum quærendum, & diligenter reperiendum inſtigat.

Chriſtus ſanitatem cunctis tribuit.

16. Dico inſuper, non ſolùm afflictis hanc vim tribulatio ingerit, verùm etiam iſtis qui necdum ita ſunt diſpoſiti, ſed eſſe poſſunt. In Evangelio ſuper hoc inſigne habemus exemplum, dicitur enim in S. Luca; *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Sed inter illos nónne multi ſani erant? omninò, quin imò major pars, cùm infirmi Chriſtum ſequi non ſemper poterant; quomodo ergò dicitur, quærebant eum tangere? An quia medicina quædam infirmos ſanat, omnes eum bibere volunt? quis umquam hoc vidit? S. Lucas tamẽ optimè dicit; ſanitas quippe ab omnibus ita expetitur, ut etiam non infirmi volebant Salvatorem tangere, ut de ſanitate ſua certiores redderentur, cùm ex contactu ejus omnes infirmi ſanarentur. Infirmitas ergò ad Salvatorem dirigit, non ſolùm infirmos, verùm etiam ſanos. Pari modo tribulatio non tantùm afflictos, verùm etiam felices & proſperos ad Deum dirigit, ut ſemper in bono ſtatu perſiſtere poſſint, & Deo intimè uniri.

Lucæ 6.19.

Sol & Luna maritus & uxor.

17. In cœlo pulcherrimum exſtat ſymbolum duorum amantium, Dei nimirum, & animæ; quod eſt Sol & Luna. Hoc optimè intellexit Patriarcha Jacob, cui cùm à filio ſuo Joſepho dictũ fuiſſet, ſe ſomniaſſe, quod à ſole & luna adoratus fuiſſet; ſubitò intellexit ſe per ſolem, & uxorem ejus per lunam figurari: *Num ego*, inquit, *& mater tua adorabimus te ſuper terram?* Pulcherrima ſiquidem inter eos eſt ſimilitudo. 1. Sicut enim ſol omnem ſplendorem Lunæ tribuit, ita mulier omnem dignitatem, & authoritatem à viro recipit. 2. Sicut Luna, modò plena, modò eſt ſemiplena, aut diminuta; ita mulier quandoque plena eſt dum infantem utero gerit, & poſt partum vacua dici poteſt. 3. Actionibus diurnis præeſt ſol, actionibus nocturnis Luna; ita vir actionibus publicis, mulier verò actionibus domeſticis præeſt. 4. In præſentia

Gen. 37. 11.

tia solis, non splendet luna; ubi maritus est præsens, cessat auctoritas uxoris. 5. Luna humiditate, & frigore suo, temperat solis æstum; mulier dulci agendi modo austeritatē mariti mitigat. 6. Luna ob humiditatem suam particulariter dominatur infantibus; & uxori particulariter cura puerorum incumbit, ut humore suo, & lacte enutriat.

18. 7. Sol universa lætificat, nullus tamen illum fixè intueri audet, uti lunam intueri possumus? maritus ita præsentiâ suâ familiam lætificare debet, ut omnes exhilaret, sed neminem familiariter admittat, nisi uxorem suam. 8. Luna ex parte quâ solem aspicit, clara & lucida apparet, ex alia verò parte obscurior est; uxor quoque oculis mariti sui ornatior apparere debet, quàm extraneis. 9. Sol & Luna nō semper sunt simul, nec ab invicem diu separantur, quia omni mense conjunguntur; nec maritus, & uxor semper simul esse possunt, cùm ille suis negotiis, & hęc gubernationi domus attēdere debeat, non tamen multo tēpore ab invicē separari debent.

Quanta inter eos diversitas & similitudo.

19. 10. Eadem luce Sol ubique splendet, sed Luna indies mutari videtur, modò candida, modò rubicunda, modò obscura, juxtà variam lucis immissionem. Ita vir semper decorâ, & honestâ veste coopertus esse debet; mulieres autem variis & diversi coloribus quandoque utuntur vestibus, prout tamen facultates & licentia mariti suppeditat. 11. Sol majorem, & ampliorem circulum perficit, quia non tantùm terram, verùm etiam multos cœlos circumdat; Luna autem in ultimo cœlo constituta, circulum arctiorem perficit, nec aliud quàm terram circumdat: viro autem iter agere, & peregrinari licet, revertendo ad domum suam unde exierat; mulier verò extra domum suam raró se movere debet, sed subitò ad illam redire.

20. Ut denique finem huic comparationi imponamus maximè conturbatur terra, dum luna interponendo se inter illam, & solem; eclipsim, & obscurationem causat; aut sol per interpositionem terrestris globi non valens lunam splendore suo illustrare obscura remanet. Pari modo tota conturbatur familia, dum discordia, inter uxorem, & maritum oboritur; ob aliquam interpositionem zelotypiæ, aut contrarietatis. Pulchra sanè est inter illos proportio, & similitudo, licet proposito nostro parum conducat. Nobis ex eo colligendum, quòd luna dum soli conjungitur taliter deficiat, ut non appareat. Pari modo animæ accidit, quæ Deo chara, & omni lumine privata, id est maximè afflicta, tunc magis elucescit, & viciniùs

illi conjungitur. Sicut quoque luna videtur alas in pedibus habere, & velocissimè currere, ut soli conjungatur; Ita anima necessitatem auxilii divini cognoscens, velocissimè per viam virtutis incedit, ut sponso suo perfectè uniatur.

Tribulatio nos cum Deo ligat.

21. Magna est diversitas inter eum qui alicui vicinus est, & qui alicui conjunctus, & alligatus est; vicinus potest discedere dum libet, ligatus non. Frigidè amans potest dici vicinus, fruitur quidem objecto amato, sed facillimè illud derelinquit. Ferventer tamen, & zelosè amans, adeò strictè ligatus est, ut ne cogitatione quidem à dilecta abesse possit. De Jonatha ferventer
1. Reg. 18. 1. Davidem amante dicitur: *Anima Ionathæ conglutinata est cum anima Davidis.* In Genesi quoque, ut explicetur ingens amor quo Jacob Benjamin diligebat, di-
Gen. 44. 30 citur: *Cùm anima illius ex hujus anima pendeat*; In Hebræo meliùs explicatur; *Cùm anima illius in hujus anima alligata sit.* Unaquæque anima in gratia, Deo vicina esse potest, unde Apostolus Ephesiis scribens dicebat:
Ad Ephes. 2. 19. *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.* Justus autem afflictus, non solùm Deo vicinus, verùm etiam strictè conjunctus, & li-
Eccli. 2. 3. gatus est teste Sapiente: *Sustine sustentationes Dei conjungere Deo, & sustine.* Patienter videlicet sustine, & noli dubitare, dum à Deo affligeris; ubi nos quoque legimus, *Conjungere*; textus Græcus habet; *Conglutinare Deo.* O dignitas, & excellentia animæ afflictæ! Dum duo simul conglutinantur, ita uniuntur, ut idem videantur; Deus, & anima afflicta adeò simul uniuntur, ut eadem res videatur, quia Deus est cum illa; *Cum ipso sum in tri-* Psal. 90. 15.
bulatione; illa quoque gloriosa Deo fruitur.

Tres modi conjunctionis.

22. Quæ strictior unio desiderari potest? S. Bernardus inquit, tribus modis aliquid uniri posse; funibus, & hæc est prima unio; clavis, & hæc secunda; & glutine, quæ tertia est unio; sed magna est differentia inquit: primum siquidem vinculum, *Astringit fortiter, & durè*, secun- S. Bernar. serm. de triplici cohær.
dum, *fortiùs, & duriùs*, tertium, *suaviter, & securè*; primum est pudoris, secundum est timoris, tertium est amoris. Primum in funibus est figuratum, quibus Christus ligatus fuit, in captione, & flagellatione; secundum in clavis, quibus cruci affixus; tertium in unguentis, quibus mortuus inunctus, & linteis involutus fuit. Notandum quoque est illum vix spatio unius diei, funibus, & clavis mansisse ligatum; sed cum unguentis tribus diebus, & postea resurrexit. Tribulatio in quantum pœnalis, & afflictiva, funis, & clavus dici potest; in quantum verò nos

verbo

verbo incarnato similes reddit, efficitque consequenter ut inter illum, & afflictum, sit amor mutuus, potest tenax gluten appellari, quia nos Deo tenaciter jungit, & sponsum nostrum efficit. Hanc unionem sponsorum propriam esse, Adam ostendit
Gen. 2. 24. dicens: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*: Verbum *Adhærebit*, à Tertulliano traductum fuit, juxta expositionem Septuaginta interpretum, *conglutinabitur*; cùm unio inter sponsos fortissima sit, & amabilis, quia unam rem efficit, ut ex duabus tabulis unam.

Deus & afflictus semper simul.

23. Quando duo simul colligantur, quò unus vadit, necessariò vadit alter, ita inter Deum, & afflictum agitur; ubi afflictus, ibi Deus; quò Deus vadit eò tribulatus tendit. De Josepho afflicto, inquit Sapiens de Deo
Sap. 10. 13. loquens: *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum*. Alteri afflicto, inquit
Luc. 23. 43. Deus; *Mecum eris in paradiso*; & de omnibus in communi: *Volo pater ut ubi ego sum, illic sit & minister meus*; non dicit quæso, aut supplico ut aliàs, sed *volo*; quasi diceret, Pater nolo mihi hanc gratiam negari, omninò volo
Ioan. 12. 26. hanc mihi concedi; *Vt ubi ego sum, illic sit & minister meus*. Hæc verba ab ecclesia SS. Martyribus applicata sunt; qui siquidem pro ipso patiuntur, excellentiori modo ministri ejus sunt. O qualis excellentia, ô qualis gratiæ prærogativa! Ubi Christus rex cœlorum, dominus Angelorum, speciosus formâ inter filios hominum, suavissimus virginum sponsus est; ibi pariter erit pro ipso afflictus. Inter paradisi delitias, inter cælestis gloriæ splendores, inter choros beatorum spirituum, in brachiis æterni patris est Christus; sic pariter erit afflictus.

Deus & afflictus idem sunt.

24. Dico insuper afflictum & Deum in hac vita adeò strictè uniri, ut idem dici possint; pulcherrimum intimæ unionis argumentum, est communicatio idiomatum, quæ per incarnationem inter Deum, & humanam naturam facta fuit. Quod nimirum dici possit Deus homo factus, & homo factus Deus; unde dicimus Deum crucifixum, & hominem esse ęternum, sedere ad dextram patris, & similia; Talia licet non adeò propriè, de Deo & afflicto dici possunt. Dum populus Israël in Ægypto summoperè afflictus, & per Moysen postmodum liberatus fuit, Deus non solùm inter flammas & spinas apparet, quasi ipsemet pateretur, sed apertè per Davidem ait; *Quem* 2. Reg. 7.
redemisti tibi ex Ægypto gentem, & 23.
Deum ejus. Sed quomodo Deus redemptus, ergóne servus erat? potuítne ergò alieno indigere auxilio, potuítne ab alio redimi? Insignis igitur titulus Re-

demptoris qui Deo respectu hominis convenit, poterítne alteri respectu Dei convenire? Nihil istorum propriè dici potest, sed per communicationem Idiomatum, quod de afflicto dicendum esset, de Deo dicitur.

Probatur similitudine. 25. Similem dicendi modum Jeremiæ 6. habemus, ubi Deus populum suum ad planctum exhortans, dicit civitati Jerusalem; *Fac tibi planctum amarum, quia repētè veniet vastator super nos.* (Ierem. 6. 26.) Ergóne Deus spoliari potest? vel ab hominibus aliquid pati? Septuaginta interpretibus hoc dictum *super nos* adeò videbatur extraneum, ut traduxerint illud, *super vos*. S. Jeronymus tamen hoc mysterium advertens, illos reprehendit dicens: *Septuaginta super vos posuerunt, cùm multò Deus misericordiùs dixerit, ut quidquid super suum venturū est populū, super se quoque venire testetur.* S. Paulo quoque dixit: *Saule, Saule quid me persequeris*; (Act. 9. 4.) eadem de causa in die judicii dicet: *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere.* (Matth. 25. 35.) E contrà verò quod Deo proprium est, tribulatis applicatur; in S. Matthæo quippe dicitur; *Si peccaverit in te frater tuus*: (Matth. 18. 15.) Peccatum autem in quantum peccatum, nónne Deum solummodo respicit? Certè ita, ideoque dixit David; *Tibi soli peccavi*: (Psal. 50. 4.) Licet enim Uriam offendisset, in ratione tamen peccati, non alium quàm Deum respiciebat. Pharisæi hoc pariter rectè intellexerunt, ideoque dicebant: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus*? (Marc. 2. 7.) quod verum non esset, si offensio hominis posset dici peccatum: cùm unusquisque posset injurias sibi illatas dimittere. Quomodo ergò Salvator ait: *Si peccaverit in te*? quia supponit sibi injuriam illatam, & consequenter se afflictum, ideoque afflicto tribuitur, quod proprium est Deo. Quis pariter ignorat blasphemiam propriè esse peccatum contra Deum? & quòd verba aspera homini exprobrata, possint quidē dici injuriæ non verò blasphemiæ? S. Paulus tamen ait: *Blasphemamur, & obsecramus.* (1. Corinth. 4. 13.) Quid hoc S. Paule, an Deus es, ut injuriæ vobis exhibitæ vocentur blasphemiæ? Non hoc dico, ait, sed in tribulatione adeò firmiter Deo sum unitus, ut excellentiæ & proprietatum ejus particeps fiam. O insigne afflictorum privilegium! ô pietas, & nobilitas amoris divini!

Deus nos affligendo, secum unit. 26. Ad hunc ergò finem Deus nos affligit, ideoque numquam lego Deum aliter cum homine pugnasse, quàm luctando; in lucta siquidem homines strictè uniuntur, & se mutuò constringunt; qui staturâ major se humiliat, & inclinat, ut meliùs comprehendere possint. Pari

modo

modo dum Deus per tribulationem confligit, signum est se velle nobiscum uniri, non advertendo se tali modo humiliari. Nec mirandum tribulationem adeò strictè nos Deo unire, inter homines siquidem tale quid accidit. Amicitia in adversitate, & afflictione inita, intima est & perfectissima: è cōtrà in prosperitate, amici sæpius inimici evadunt. Abraham, & Loth amici & propinqui erant, simul in regione quadam peregrinantur, ut fratres se mutuò amant; sed potentes, & divites

Gen. 13. 6. effecti; *Nequibant habitare communiter*, sed oportuit illos ab invicem separari. Pari modo inter Deum & hominem accidit; in adversitate subitò ad Deum recurrimus, precibus, eleemosinis, aliisque piis operibus, opem ipsius imploramus; in prosperitate verò illius planè obliviscimur, dicente Psalmista: *Incrassatus est dilectus, recalcitravit, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Deuter. 32. 15.

Extra tribulationem vix Deum agnoscimus.

27. De Frederico Imperatore mirabile quid legitur, quod summo Pontifici & Cardinalibus maximè offensus esset, inter illos tamen erat Sinibaldus intimus ejus amicus; moritur summus Pontifex, intrant Cardinales conclave, & in summum Pontificem Deo ita disponente, Sinibaldus eligitur; plurimi ad Imperatorem citissimè properant, læta adferentes nuntia: ille tamen signa doloris ostendens dixit: Cardinalem amicissimum perdidi, & summum Pontificem inimicū recepi, volens dicere hunc Cardinalem prius illi amicum fuisse, modò verò inimicum evasisse, atque ita fuit. Simili modo nobis cum cælesti Imperatore evenit; ubi siquidem in tribulatione totaliter illi sumus addicti, ab hac erepti, vix illum agnoscimus. David in tribulatione positus, intimus fuit Dei amicus, homo secundùm cor Dei, sed rex factus, & prosperitate dilatatus, graviter Deum offendit. Cùm igitur Deus tibi cuncta bona adferre desiderat, in tribulatione te manere permittit, ne ab eo discedere cogites, pro ingenti ergò favore illud recognoscere debes.

28. Cognosce te piscis instar esse; *Facies homines sicut pisces maris*. Notabilis reperitur differentia, inter gratitudinem animalium terrestriū, & aquatilium; si illis bis aut ter cibum præbeas te agnoscent, & abblandientur, atque sequentur, piscibus verò licet quotidie præbeas, subitò se in aquis recipiunt, & discedunt, si quoque fames non urgeat, numquam revertentur. Tales sunt homines ingrati, & rebelles, quibus non sufficit una aut altera vice benefacere; sed quotidie manus adjutrices illis porrigere

Habac. 1. 14.

Piscis ingratitudinis symbolum.

rigere debes, & si non ampliùs te indigeant, non revertuntur. Ita Deus per Prophetam suum testatur dicens: *Super triticum, & vinum ruminabunt, & recesserunt à me.* Quodnam remedium his adhibendum? ut continuò egeant, & esurientes redire cogantur. Nónne videtis qualiter mendici agant, veniunt ad te eleemosynam petituri, & donec illam elargitus non fueris, tibi adhærent, illâ autem acceptâ, te deserunt; unde quidam ut illâ molestiâ careant, non verò ex charitate illis aliquid tribuunt. Si pauper aliquis gratioso dicendi aut agendi modo, te delectat, non tam citò illi eleemosynam tribuis, sed audire aliquantulum cupis. Deus noster quandoque in petitione quorumdam lætatur, dum nimirum ferventem & ex animo orantem conspicit; unde sponsæ suæ dicebat: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis;* non mirum igitur, si subitò te non exaudit, sed quandoque pati permittit. Dicet fortè quispiam, desinam igitur orare, ut Deus me à tribulatione liberet; cave tibi ne hoc feceris, sic enim te ingenti bono privares, & occasionem majoris tribulationis Deo tribueres, ut tandem ad orationem confugere disceres. Addiscamus igitur Deum in tribulatione, & prosperitate continuò laudare, ne occasionem nos tribulandi arripiat, sicque ad illum confugere doceat.

Oseæ 7. 14.

Cur Deus quandoque non exaudit.

Cant, 2. 14.

SECUNDA PARS.

29. Quàm efficax sit desiderium personæ amantis, ut se amabili conjungat objecto; ingeniosâ fabulâ Plato exhibuit dicens: duo intimi amici convenerunt Vulcanum in officina sua, & licet illum malleo ferra percutientem, & igni imponentem reperirent, non tamen deterriti, rogaverunt, ut ex iis duobus artificio suo unum efficeret; adeò siquidem sibi invicem uniri optabant, ut meritò tot percussiones, & malleorum ictus sufferre deberent, dummodo corporum unionem perciperent. Sed fabulis derelictis recordari potiùs licet, quid Salvator dixerit passioni suæ appropinquans; non solùm malleorum ictibus, sed flagris, spinis, aliisque cruciatibus se supponere velle. Advertens igitur discipulos suos mœstitiâ plenos, dicebat: *Si diligeritis me gauderetis utique quia vado ad patrem.* Sed quomodo poterunt charissimi vestri discipuli, de morte vestra lætari? An illis gaudendum, videre te tot tormentis dilaceratum, spinis coronatum, opprobrio ac ludibrio habitum, ut malefactorem, ac sceleratum à Judæis crucifixum, & à populo ac latronibus in cruce derisum?

Vnio amoris affectus.

Ioan. 14. 28.

risum? Hæc sanè non gaudio, sed maxima commiseratione & dolore digna sunt. Ire tamen ad patrem, & unire se objecto amato, adeò est desiderandum, ut licet atrocissima superanda sint tormenta, non dolorem tamen sed lætitiam adferre debent. Sed si Salvator hoc dicebat discipulis, qui tamen ante passionem suam, idem cum patre erat, *Ego & pater unum sumus*, & solùm quantum ad humanitatem ab illo aberat. Quantò magis unusquisque nostrûm maximum æstimabit gaudium, ad nuptias ejus invitatum esse; ad intimam videlicet unionem divinam, licet per acerbissima tormenta transeundum esset, & tribulationes maximæ superandæ.

Ioan. 10. 35.

Argumentis contrariis respondetur.

30. Hoc tamen ita esse, rationes contrariæ improbare possent, & dubitationem vobis ingerere: quapropter ad illas reprobandas me accingam. Quid dicebatur igitur? Nuptias absque gaudio, & festivitate esse non posse, hæc autem tribulationi minimè convenire? Quin imò dicere possem nullibi veram lætitiam, quàm in tribulatione reperiri posse, nec alia in parte nuptialem thalamum constituendum, & inter Deum, & animam unionem admittendam, quàm ubi arma tractantur, & bella præparantur. Propheta David cùm dixisset de Deo; *In sole posuit tabernaculum suum*: subitò subjunxit; *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:* Nuptiali cubiculo nomen tabernaculi, & papilionis bellicæ quâ milites in campis uti solent attribuens. Concedamus tamen tribulationem convivio nuptiali numquam interesse, negari tamen non potest, illam ad januam expectare, ut alios intromittat, aut intromitti possit. Ad nuptias siquidem non absque labore, & sudore pervenitur; hoc optimè noverat Patriarcha Jacob, qui dura servitute 14. annis inservire debebat, ut nuptiis dilectæ Rachelis poriretur. Novit hoc Propheta David, qui ultra interfectionem gigantis Goliath, centum Philistinorum præputia adferre debebat, ut regalibus nuptiis Michol frueretur. Noverat hoc Adonias, qui ut Abisag Sunamiten uxorem acciperet, vitam suam mortis periculo exposuit. Ab hac lege mulieres quoque exclusæ non sunt; ut enim uxorem Moysis aliasque omittamus, qui marito suo dicebat; *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quis nescit Deum in lege veteri præcepisse, mulieri captivæ ad nuptias capientis pervenire optanti, capillos, & ungues præscindendos esse, multisque diebus in luctu permanendum? De Scythis mulieribus memoriæ proditum, ut si inimicum non

Psal. 18. 6.

Nuptiæ cum tribulatione rectè conveniunt.

Exod. 24. 25.

m interfecis-

interfecissent, non eis liceret amicum in maritum accipere; ita ut per sanguinem ad nuptias, per bella ad amplexus, & per mortem ad occasionem vitæ properare deberent.

Cur sponsi viridi coronâ cincti?

31. Militibus per varias conflictiones, & victorias generosè obtentas, variæ pretiosæque coronæ tribui solent; ita veteres novellos sponsos viridi coronâ decorare solebant. Inter alias rationes cur hoc fieri soleret, S. Chrysostomus illam assignat, quòd se ab omni libidinis macula intactos conservarant; *Coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint, quòd scilicet antea libidini impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur.* Dicere quoque possumus victoriæ ab inimicis, aliisque impedimentis obtentæ illas signum fuisse. Tantò magis quoque hoc credibile apparet, quòd hæc corona, (ut graves affirmant auctores) ex herba amara contexta erat, ad demonstrandum illos amaritudine cunctarum rerum superatâ, ad felices tandem nuptias pervenisse. Si tot igitur ad nuptias mortalium requirantur; quid mirum, si ad divinas consequendas, per spinas, & tribulos procedendum sit.

S. Chrysost. homil. 9. tom. 1.

Apoc. 19.7. *Cur byssinum vestis novæ nuptæ.*

32. S. Joannes in Apocalypsi harum nuptiarum meminit dicens: *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti, & candido, byssinum enim justificationes sunt sanctorum.* Hæc est ergò vestis nuptialis necessaria ut cœlesti mensæ assideamus. Sed cur byssinum, quod aliud non est, quàm materia ex lino subtilissimè texta? cur non potiùs vestis ex auro, & argento? ut edoceamur per tribulationem hunc favorem adipisci. Numquam advertistis quid patiatur linum antequam tela alba effici possit? Plantatum eradicatur, & in aquis ut corrumpatur immittitur, contunditur, percutitur, & pectine ferreo purgatur, & pectitur, textum torquetur, involvitur, & aquis madefactum, soli siccandum exponitur, nec umquam à tribulatione liberatur. Pari modo sponsa Christi, nuptiis ejus frui desiderans, à tribulatione numquam cessare debet. Advertendum quippe est sacram scripturam non dicere sibi acquisivisse byssinum, sed *datum est illi*: tribulationes quippe ab aliis nobis inferuntur; teste S. Augustino dicente: *Non à seipso sed ab alio debere occidi qui vestigia sequitur Christi.* Quid dicebatur, nimiam dissimilitudinem inter Deum, & afflictum esse? Sed nescitis amorem his legibus non subjici? Samson uxorem extraneam ducit, eumque de hoc reprehendentibus, & dicentibus, *Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo,*

S. August. tract. 51. in Ioan.

Iudic. 14.3.

meo, quia vis accipere uxorem de Philistiim? respondit; *Hanc mihi accipite, quia placuit oculis meis.* Quasi diceret, amor instar oculi est, sicut enim hic nullum habet colorem, sed illũ ab objecto accipit quod intuetur, ita amor ab omni proprio colore se spoliat & qualitatibus objecti amati vestit, non ergo similitudinem sed occasionem præsupponit.

Non semper amor simili gaudet.

33. Inter Polypum, & Olivam nulla similitudo est; ille siquidem piscis marinus, hæc arbor terrestris; ille cavernas subterraneas, hæc aërem apertum diligit: ille colorem pro varietate objectorum mutat, hæc viridem colorem numquam deponit, ille nigro humore plenus, quem per mare spargens illud reddit obscurum, hæc adeò claro abundat liquore, ut in mare sparsus illud clariùs reddat. His tamen non obstantibus tanto amore Polypus Olivam prosequitur, ut ubicumque repertam arctissimè stringat, nec dimittat, sed potiùs se capi permittat. Quidam ex his duobus emblema conficientes, dictum apposuerunt; *Peregrinus amor*, vel alii, *non vivus avellar.* Adeò quippe fortiter; & constanter Polypus Olivam amplectitur, ut potiùs se in partes scindi, quàm avelli permittat, non semper ergò amor similitudinem appetit. Si tamen dicas nimiam inter Deũ, & tribulatum dissimilitudinem reperiri; aspice crucifixum, & talia proferre desines. Nónne vides illum meritò *virum dolorum* dictum? videlicet à doloribus possessum, aut ex iis compositum, quomodocumque acceperis, doloribus plenum invenies; nónne igitur afflicto assimulari poterit, cùm sit etiam doloribus plenus? Quòd si oculos ad divinitatem, infinitè beatam erigas; huic quoque tribulatio convenire potest, quantò siquidem minus est similitudinis specificæ, tantò est amplius proportionis, quæ species quædam similitudinis est, potentior amori, & unioni quàm alia. Similitudo specifica inæqualitatis, rixæ, odii, ac invidiæ solet esse causa; ideoque dicitur, *Figulus figulum odit, & inter superbos semper jurgia sunt.* Proportio autem, & convenientia, quæ reperitur inter formam, & materiam primam, inter magistrum, & discipulum, inter sitibundum, & fontem, quis nescit amorem, & optimam unionem causare? Hæc est quæ inter afflictum & Deum reperitur, ille requiem & pacem nisi in Deo reperire non potest, cui proprium est consolari mœstos, & afflictos.

Isa. 53. 3.

Christus tribulationi intimè conjunctus.

Proverb. 13. 10.

In tribulatione ad Deum fugiendum.

34. Quid dicebatur, tribulationem nos in fugam convertere? verum est, sed quò effugiet aliquis nisi ad Deum? S. Augustinus id optimè testatur dicens: *Dum fugimus persequentem, habemus*

S. Aug. in Psal. 9.

mus quò fugiamus, quia Deus factus est refugium nobis. Nec Deus solum refugium nostrum est, dum ab aliis affligimur; verùm etiam dum ab illo affligimur. Reus quidam à Philippo Macedoniæ Rege condemnatus, dixit: Appello à sentẽtia data, rex verò nullum superiorem agnoscens indignatus respondit ad quem appellas? ad te respondit reus. Pariter nos quoque à Deo irato, ad Deum misericordem appellare possumus, à Deo judice, ad Deum redemptorem; à Deo Domino, ad Deum patrem, ut Poëta quidam canebat:

Confugit interdum templi violator ad aras.
Nec petere offensi numinis horret opem.

Deo uniendum ne percutiamur. Psal. 26. 9.

35. David quoq; Dominum precando meliùs dicebat: *Domine ne declines in ira à servo tuo:* Supra hæc verba discurrendo S. Augustinus ait: *Quid times ne declinet à te in ira? Magis si à te declinaverit in ira, non in te vindicabit; si incurras in illum iratum, vindicabit in te, opta ergò potiùs, ut declinet à te in ira, non ut accedat.* Quidquid de hoc sit, respondeo inquit David, melius mihi esse Deum mecum habere, dum illum amo, quàm ab illo longè abesse, & omnibus bonis abundare. Clemens Alexandrinus sapienter dixit; *Pulchrum est periculum, ad Deum transfugere:* licèt enim ab ipso percutiamur, ejus tamen percussiones dulces nobis erunt; multò quoque melius est Deum nobiscum habere percussorem, quàm tribulationibus liberum, ab illo derelinqui. *Nónne melius est*, ajebat S. Augustinus, *ut flagellet te Deus, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deserat te?*

Clem. Alex. in exhort. ad gent.

S. Augus. serm. 4. de tempore.

Deo in tribulatione adhærendum.

35. Quòd si non cupias ab illo percuti, quod melius remedium, quàm illi arctissimè uniri? Dum aliquis te lædere cupit armis à longè ferientibus, ut lanceâ, aut bombardâ, nullum evidentius remedium, quàm proximè illi conjungi. Deus qualiter nos ledere intendit? armis longis, lanceâ; *Acuet autem duram iram in lanceam*, & bombarda cælesti; *Si acuero ut fulgur gladium meum*; ne ergò ab eo ledamur nullum melius est remedium, quàm illi proximè conjungi: ideoque per Jeremiam Prophetam dicebat: *Timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant à me.* Non alliciam illos deliciis, aut deceptionibus, sed faciam ut non discedant à me, sed quomodo id efficies? comminabor illis inquit: & timorem incutiam; sed numquid hoc est unicum medium, illos in fugam convertendi? Nequaquam, qui enim hominem timet, ab illo se elongare debet, ut securus esse possit; qui verò Deum timet illi se conjungere debet ut majori securitate fruatur, si enim effugerit,

Sap. 5. 21.

Ierem. 32. 40.

gerit, majus tormentum sentiet. Cervo sagittâ transfixo, non fugiendum sed subsistendum; quantò siquidem magis fugerit, tantò vulnus magis elargatur. Tali modo Prophetæ David accidisse videtur, qui dicebat:
Psal. 37. 3. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam:* quia verò ad te subitò non confugi, plaga major facta est.

Manum extendere signum amicitiæ.

37. Quàm prompti igitur esse debemus, ut Deo intimè uniamur, quamque libenter tribulatio nobis amplectenda, ut Deo vicinius conjungamur. Dum amicus manum suam extendit, ut nos benignè suscipiat, pudor esset, nos quoque illam non extendere, qui manuum contactus, signum amicitiæ est; unde sapientissimus Pythagoras dicere solebat: *Ne cuivis dexteram porrexeris.* Noli videlicet amicitiam cum quovis inire. Dum Deus nos affligit, quid efficit? Manũ suam versus nos extendit, ideoq; multoties sub hac figura tribulatio figuratur; in Isaia legitur: *Adhuc manus ejus extenta*; Isai. 9. 12.
& in Job: *Extende manum tuam, & tange cuncta.* Job 1. 11. Nec solùm manum extendit, verùm etiam nudam tangendam præbet; qui manum amici tectam tangit vix ullum amicitiæ signum exhibet, aliquid siquidem inter manum, & amicitiam retinet. Divites & felices benefacientes, manum quidem Dei tangunt, sed chirothecâ tectam, lucro videlicet, & commoditatibus illorum tectam; afflictus verò ad Deum accedens, nudam porrigit, & nudam tangit: *Emitte manum tuam de alto*, dicebat Propheta regius. Psal. 143. 7. Modò Deus manum suam, id est, filium in terram misit, ideoque illo verbo *Emitte* utitur, quod solet aliquid distinctum repræsentare; filius siquidem à patre distinctus est. Sed quomodo hæc manus venit? chirothecâ tecta? Nequaquam, sed nuda, quia *propter nos egenus factus est.* 2. Corint. 8. 9. Ad hoc pariter videtur allusisse David dicens: *In Idumæam extendam calceamentum meum:* Psal. 59. 10. vel prout ex Hebræo legitur; *Projiciã chirothecam meam:* quasi diceret, usque modò manum chirothecâ tectã hominibus porrexi, modò chirothecã projicere cupio, illamque nudam exhibere. Rationi ergò consonũ est, nos quoq; manum nudam porrigere; commoditatibus videlicet & mundi voluptatibus nos privare, ac omni periculo nos exponere, ut illi conjungi dignè mereamur.

Deus in tribulatione manum extendit.

Afflicti cum Deo crucem ascendunt

38. Quãdo Jehu currui triumphali incedẽs, occidebat omnes sequaces, & imitatores Idololatriæ Achab, occurrit Jonadab dixitque ei: 4. Reg. 10. 15. *Nunquid est rectum cor tuum, sicut cor meum, cum corde tuo?* Cumque respondisset Jonadab, *est, si est, inquit, da manum.*

num tuā, & levavit eum ad se in curru, quod ingens favor ejus fuit? Pari modo Deus nobiscum agit, dum nos affligit: stat ille in curru suo triumphali sanctæ Crucis, desiderans que nos gloriæ suæ participes reddere, manum suam per tribulationem nobis porrigit; qui cor rectum juxta cor Dei habet, manum quoque suæ voluntatis porrigit, liberè illi consentiendo, fructu sanctæ Crucis abundè fruitur, ac nuptias cum sponso suo dilecto celebrat. An clariorem repræsentationem exposcitis? Legite quod S. Propheta Ezechiel in primis capitibus prophetiæ suæ refert, & totum reperietis manifestè exhibitum. Vidit ille Deum currui triumphali gloriosè insidentem, à quatuor animalibus tractum; Aquila, Leone, Bove, & Homine, ad vindictam inimicorum ut videbatur pergens. Vestitus erat specie electri, durâ videlicet petrâ, sed currus igneus erat, & arcu cælesti circumdatus: dum quippe castigat, severus apparet, sed pietate, & amore regitur. Currus à quatuor animalibus tractus, ex quibus duo velocia, & rapacia Aquila nimirum, & Leo: reliqua duo lenta, & benigna, homo nimirum, & bos: quia à peccatis nostris, & de sua justitia, Deus ad vindictam instigatur, sed à pietate & misericordia cursus ejus retrahitur. Vultis modò manum Ezechieli porrectam conspicere: *Vidi*, inquit, *& ecce manus missa ad me*, quæ illum currum triumphalem ascendere coëgit: *Levavit me, & assumpsit me, & abii amarus in indignatione spiritus mei.*

Ezech. 1. 6.

Ezech. 2. 9.

Ezech. 3. 14.

Non oportet externa tribulatione commoveri.

39. Non oportet ergò externâ tribulationis specie commoveri: sed potiùs amoris pignore, & futurarum nuptiarum arrhâ quam secum defert allici. De Hectore Trojano refert Homerus, quòd ex bello totus armatus rediens, & uxori cum parvulo filio obviam factus, ab illa benignè susceptus fuit, non verò à parvulo qui lachrymari cœpit, seque abscondere quæsivit: Casside verò sublatâ, à parvulo quoque agnitus, placidè receptus fuit. Non aliter si adeò (abjecta similitudine uti licet) Deo accidit, nobis omni rigore se exhibet armatum, & vultu severo, & terribili nos affligere videtur: sed animæ dilectæ, & perfectæ illum rectè agnoscentes, vultum ejus amore resplendentem, sub armatura extranea, subitò intuentur, illumque amplectuntur. Animæ verò imperfectæ ut teneri infantes illum formidantes, fugiunt, seque abscondere quærunt. Modò videtis illum casside deposita, vultuque hilariter exhibito vobis occurrere: Intellexistis siquidem illum non ex vindicta, sed ex amore nos affligere, ut nobiscum

nobiſcum uniatur, ac nuptias celebret. Nolite ergò ultrà fugere, nolite timere, firmate greſſus, & amabilem recognoſcite vultum; in amplexus illius irruite, & quaſi filios dilectos, & obedientes in omnibus vos exhibete, & perfectâ pace, nunc & ſemper in tribulatione alacriter fruemini.



DISCVR-

DISCVRSVS XXXII.

Infinita Dei potentia per tribulationem maximè resplendet quod nos patientes & humiles reddere deberet.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Dei potentia omnes consolatur, & confirmat. num. 1. 2. 3. 4.
In tribulatione potißimùm relucet. à num. 5. *usque ad* 13.
Deus in castigatione nostra vilibus utitur rebus. à numer. 14. *usque ad* 20.
Quomodo potentiam suam in liberatione exhibet? à num. 21. *usque ad* 27.
Tribulatio ingens beneficium. num. 28. 29.
Deus potens in misericordia. nu. 30. 31. 32. 33.
In tribulatione patientes, & timidi esse debemus. num. 34. 35. 36. 37.
Potentia divina nos in tribulatione consolatur. à num. 38. *usque ad finem.*

Quomodo Plinius consolabatur afflictos.

1. Linius secundus postquam admirabili sagacitate ingenii res naturales indagasset, miseriasque humanas insigni eloquentia descripsisset; Non aliud novit consolationis adducere argumentum, quàm dicendo, ne Deo quidem immortali cuncta possibilia esse; *Imperfectæ in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia.* Quasi diceret, maximi solet esse adjutorii, in tribulatione socios habere pœnarum. Insignis quoque Atheniensium dux non minùs, quàm eruditus Philosophus Phocion, ut amicum secum ad mortem condemnatum consolaretur; satis esse putavit, illum admonere, quòd cum Phocione moreretur. Quantò magis hominibus consolationem adferre debet, Deum ipsum tribulationis eorum participem fieri, cùm non omnia possit quæ desiderat? Voluit fortè dictum illud de avaritia humana prolatum, de quo dixerat: *Nec miserius quidquam homine esse, nec superbius;* quasi dixisset, si Deus omnia quæ vult efficere non possit; quàm insipienter homo ea facere prætendet, quæ Deo non conceduntur? Si de Deo homine

Plin. lib. 2. cap. 7.

mine facto locutus fuisset, non multùm à vero aberrasset; licèt enim sic non desineret esse omnipotens; noluit tamen omnipotentiâ suâ uti, sed voluntariæ se nostræ infirmitati subdens asperrimos dolores, & tormenta perpessus est; quâ nullâ majori consolatione uti poterimus. Loquendo autem de Deo juxta propriam ejus naturam, pejus loqui non poterat, falsissimum quippe est Deum non omnia posse efficere quæ desiderat. Si hoc insuper verum esset, summa nostra miseria foret, nos videlicet servos Dei alicujus esse, qui adeò exiguâ polleret potentiâ, ut nos in omni adversitate, & afflictione adjuvare non posset; quis hoc miserrimo nostro statu miserior esset.

Afflictus divino adjutorio stabilitur.

2. Si civitas debilibus muris, & exiguâ munitione cincta, à copioso exercitu obsideatur, nec ab aliquo auxilium expectet, quid inde sperandum, nisi quòd brevî sit diripienda, & expolianda? Si tamen à principe potente auxilium speret, licet famem aliaque incommoda patiatur, se tamen consolando confidit, citò à potente suo domino in libertatem vindicari. Nos omnes in hoc mundo, non ab uno solo inimico, sed à plurimis potentissimis circumdati, absque ulla defensione vel auxilio, dicente

Psal. 114. 3. Psalmistâ; *Circumdederunt me dolores mortis*: munitiones in gyrum conferunt; *Tribulatio, & angustia vallabit eum*; portas omnes absque ulla spe adjutorii, conclusas tenent: *Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* Quodnam unicum nostrum auxilium? habere Principem adeò potentem, qui nobis succurrere, & ab omni malo liberare potest. Tres pueri Babylonici à crudelissimo rege Nabuchodonosore persecuti, & in fornacem flammarum vi fervescentem injecti, non timebant ejus pœnas, & minas, cùm Deum fortissimum auxiliatorem sibi adesse cernerent, unde liberè regi respondebant dicentes: *Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex liberare.* Ad consolationem ergò afflictorum consideremus Deum nostrum non solùm omnipotentem, verùm etiam talem se mirabiliter in tribulatione nostra exhibere, unde non exiguum fructum pro consolatione animarum nostrarum afflictarum haurire poterimus.

Iob 15. 24. Eccli. 51. 10. Dan. 3. 17.

Dei omnipotentia à causa, & effectu colligi potest.

3. Deum nostrum esse omnipotentem nulli fidelium dubium esse potest, nec etiam illis quibus hæc vox *Deus* incognita foret. S. Dionysius Areopagita, hoc egregiè probat dicens, ab essentia sequitur potentia, uti à potentia operatio colligitur; quasi à radice truncus arboris, & ab illo rami provenientes. Potentia alicujus non solùm à

causa ejus, id est *à priori* ut Logici dicunt, nec solùm ab effectu, id est, *à posteriori* juxta Dialecticos; verùm etiam *à priori, & posteriori*, id est, à causa, & effectu, colligi potest. Utroque modo (nostro modo intelligendi) efficaciter probari potest, divinam potentiam esse infinitam; *à priori*, quia essentia est infinita; *à posteriori*, quia infinita potentia, requirit operationem infinitam, cùm universa quæ desiderat, ex nihilo producat. Adeò denique clara est hæc omnipotentia divina; ut dum ad aliorum attributorum intelligentiam summa requiritur sapientia, hæc manibus tractari, & oculis clarè perspici potest. Ad hoc clarè probandum exemplo communi uti poterimus, quandoque accidit, ut homo indoctus inter doctiores de rebus cælestibus discurrentes constitutus, illorum discursum assequi non valens, de rebus inferioribus ne planè ignarus videatur, discurrere incipiat, dicens: Licet ego studiis litterarum eruditus non sim, dicam tamen quod experientia, & sensus mihi exhibere potuerunt. Pari modo multis de civitatibus Italiæ disserentibus, quidam Veronam ex omni parte collaudant, ille ab antiquitate, quod multis annis ante Christi nativitatem extiterit, iste à viris illustribus Catullis, Pliniis, Viruviis aliisq; illã celebrat; hic ab heroicis factis, & magnanimis civibus illã extollit; quidam nominis compositionem attendentes, Veronam quasi verè unam, vel Veris honorem dictam volunt, cùm in suis montibus magis quàm in aliis Italiæ partibus flores, & fructus proveniant; vel quod idem valeat, ac vera omnia, cùm in illa omnia vera sint quæ videntur pulcherrima; vel quod excellentiam trium præcipuarum Italiæ civitatum, Venetiarum, Romanæ, & Neapolitanæ comprehendat, ex quarum primis syllabis composita videtur; aliaque similia, quod persona indocta sed boni judicii audiens, dicat fortassis; Cùm litteras ignorem, nec aliquo studio præcellam, ex aliis argumentis hanc nobilissimam civitatem laudare non possum, nisi quod oculis, & sensu percipio. Cùm enim illam undique contemplor, videtur mihi illa ut Regina inter reliquas civitates eminere, cujus caput virides montes, & fructiferi colles circumdant, cujus pedibus nobile tributum undique adfert Athesis, qui exiguis rivulis undique collectis, insigni portu ad venientes recipit; ex cujus collo pretiosa ac vaga monilia pendentes illam mirificè exornant, qualia sunt arcus triumphales, Academiæ, & Amphiteatrum nobilissimum, aliaque plurima mirabilis antiquitatis ædificia,

Laus Veronæ civitatis.

ita

ita indoctus quilibet de hac urbe discurrere posset.

David per Dei omnipotentiam cuncta demonstrat.

4. Pari modo Propheta David de rebus divinis videtur locutus; audiverat fortè aliquos se litteratos jactantes, de excellentia, æternitate, prædestinatione, aliisque imperscrutabilibus judiciis disserere, nolens autem seipsum extollere, sed humilitatem suam profiteri, dixit; ego litteras ignorans, de altioribus his judiciis inquirere nescio, unde me ad inferiora dimittens, potentiam ejus considerabo. Audite illum his verbis ita dicentem; *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*; litteraliter explicando hoc ita intelligi posset, quoniam non studui, de rebus manifestis; de admirabili nimirum potentia Dei, quæ una existens, mille aliis prævalet, dicere incipiam. Si tamen ô David tibi circa hanc dubia proponentur, quomodo nimirum, hic mundus ex nihilo fabricatus sit, quomodo homo ex luto coagulatus, quomodo mare, terra, & aër, cuncta produxerint, quid dices? *Introibo in potentias Domini*; dicam Deum infinitè potentem, omnia potuisse quæ voluit. Si interrogatus fueris, quomodo per Moysen, & Aaronem aquam in sanguinem, virgam in serpentem, pulverẽ in ciniphes converterit, & Hebræos mare rubrum transire fecerit? respondebo illis, *Introibo in potentias Domini*; dicam Deum omnipotentem, unde nihil illi impossibile, nec difficile. Si petierint, quomodo tot prophetiæ Salvatoris impletæ fuerint, quomodo de virgine nasci potuerit, quomodo perfectus Deus, & homo fuerit, quomodo genus humanum redimere, pro peccatis omnium satisfacere, infernum spoliare, & paradisi cælestis portas aperire potuerit? *Introibo in potentias Domini*, dicam potentiæ divinæ omnia facilia, & levia esse. Quàm insignis hic modus cunctis fidei nostræ difficultatibus respondendi, Archangelus Gabriel licèt sapientissimus, hoc modo dicendi, interrogationi virginis Mariæ optimè respondit; dum quippe illa incarnationis mysterium admirata interrogasset: *Quomodo fiet istud*? subitò ad divinam potentiam recurrit dicens: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Hoc scuto omnia tela nequissima diaboli repellenda sunt, omnesque tentationes evincendæ.

Psal. 70. 17.

Luc. 1. 34.

Ibid. 37.

In tribulatione Dei potentia relucet.

5. Si tamen à Propheta Davide interrogasses, ubi potissimùm hæc potentia divina relucet? respondisset vobis in tribulatione; audite illum eodem Psalmo hoc referentem: *Potentiam tuam, & justitiam tuam Deus usque in altissima, qui fecisti magnalia, Deus quis similis tibi*? Sed quid te movet David, ut hoc dicas? Psal. 70. 19.

dicas? Tribulatio quam Deus mihi ostendit: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas.* Sed quæ potentia requiritur, ut vilis vermiculus qualis est homo affligatur? Ecclesia Catholica omninò contrarium sentire videtur, loquendo quippe de Deo dicit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Si Deus misericordiam, & pietatem exhibendo, ibi potiùs quàm in omni alio opere omnipotentiam suam manifestat; hoc de suo contrario, tribulatione nempe & afflictione dici non poterit. Ut verum quoque dicam, quanta vis requiritur, ut hominem ex seipso ad casum proclivem, præcipitare facias? Cuncti homines naturâ suâ ad inferiora tendunt; *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*; quid mirum ergò si cadere efficias? Ut murum aliquem ruinam minantem dejicias, non multum laboris opus, minimâ quippe violentiâ, aut percussione cadet. Tales rectè sunt homines, de quibus David admiratus, quod insigne quid gestum videretur, si illos præcipitarent dixit: *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?* Quousque homines conturbare delectabit, an magni quid vobis gestum videbitur, si parietem inclinatum, in terram projeceritis? Si alteri igitur homini non magni hoc videbitur, quomodo Deus ostendet potentiam suam? res potiùs potente suo brachio digna æstimaretur illum sustinere ne caderet. Propheta regius hoc opus divinæ manui adscribebat, dicens: *Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.*

Ibid. 20. — 2. Reg. 14. 14. — Psal. 61. 4. — Psal. 117. 13.

Hominem affligere, exiguæ potentiæ est.

6. Usus communis obtinuit, ut qualitas hominis per animalium similitudinem meliùs exprimatur; ita homo fortis, Leo dicitur; *Salva me ex ore Leonis*: astutus & versipellis, dicitur vulpes; *Dicite vulpi illi*, dixit Dominus Herodi: Detractori titulus serpentis tribuitur: *Acuerunt linguas suas, sicut serpentis.* Vt autem hominem debilem significemus, dicere solemus, vermiculus est. Oseæ Propheta, populum Israël respectu inimicorum vermiculum appellabat dicens: *Noli timere vermis Iacob*: Salvator quoque, per os Davidis de futura passione ejus prædicens dicebat: *Ego sum vermis, & non homo.* Sed cui Deum nos tribulantem assimulare poterimus? Leoni forsitàn? nequaquam, sed minimo animali, Tineæ nempe. Recordor insignis cujusdam Philosophi Theodori, cui cùm Lisimachus mortem minatus esset, derisit illum dicens: *Enimverò magnifica res tibi contigit, quia cantaridis vim assecutus es.* De insigni facto gloriari potes,

Psal. 21. 22. — Luc. 13. 32. — Psal. 139. 4. — Isa. 41. 14. — Psal. 21. 7.

potes, quasi insigne quid egeris, si mihi vitam auferas, quod etiam minimi vermes cantarides dicti veneno suo efficere potuerunt. S. Augustinus quoq; idem magis vilipendit dicens: *Denique quid magnum tulit? quod febris, quod scorpius, quod fungus malus, ista tota potentia sævientium est facere, quod facit fungus malus.*

S. August. serm. 6.

Deus nos affligendo vilis reputatur.

Oseæ 5. 12.

7. Eodem modo Deus de seipso loquitur, dum de castigatione nostra agens per Oseam ait; *Ego quasi Tinea Ephraim.* Quid est Tinea? Vermiculus in ligno aut vestibus generatus, adeò exiguarum virium, ut aëri expositus moriatur. Si talis ergò Deus vocatur dum nos affligit, cogitate si in eo potentiam suam exercere possit. Quid de illo diceretis qui gladium aut lanceam contra frondem arboris vibraret? Putaretísne, illum elegisse inimicum potentem, contra quem omnem fortitudinem suam exercere posset, & cùm illam in mille partes secasset, meritúsne esset nomen viri fortis? Certè homo iners, & stolidus ab omnibus haberetur. Sed quid est homo? non aliud, quàm frons arboris, & minor etiam si divinæ potentiæ comparetur; & dices Deum in eo affligendo omnipotentiam suam ostendere? non hoc S. Job capere poterat, ideoque admiratione plenus dicebat: *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?* Summoperè admirabatur Job dicens; éstne possibile quod frondem arboris persequeris; & tamen confitebatur quòd Deus ostenderet potentiam suam; interrogat ut discipulus, sed non negat ut adversarius. Si in hoc ergò dicendum esset quod sentio, videtur mihi Deum in hoc pulcherrimo uti artificio.

Iob 13. 25.

Quomodo gigas parvo loco depictus.

8. Cùm insigni pictori Timanti nomine injunctum fuisset, in parva tabula gigantem depingere, valdè ipsi videbatur difficile, ne dicam impossibile; sicut enim in parvo loco gigas stare non posset, cùm locus locato correspondere debeat; ita figura ejus depicta, æqualem magnitudini tabulam exigere videbatur; uti de superbo quodam dictum fuit, *In pusillo meo magnus.* His tamen non obstantibus, pictor difficultatem superare contendebat, & arte efficere, quod naturâ non poterat. Quid ergò fecit? Depinxit hominem tam magnum, quantum tabula capere poterat, quia hoc tamen non sufficiebat, ut cognosceretur gigas, juxta illum pigmæos & satyros appinxit, qui majorem digitum pedis ejus longo fune metirentur, ita ut ex longitudine illius, personæ magnitudo cognosceretur. Talem dicite Salvatorem nostrum gigantem esse, de quo David dicebat:

Psal. 18. 7. cebat: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, an locus magnitudini ejus sufficiens reperiri posset? Nequaquam, quia minus est cælum, & si infernum adjungas non sufficiet; *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces?* Quasi diceret, cogitásne in parva intellectus tui tabula, Dei immensitatem comprehendere? Deciperis, cælum namque, & terram superat; quin imò dicere auderem, Deum seipsum extra se perfectè efferre non posse, cùm nulla sit tabula magnitudinis ejus capax. Nullum ergò erit medium quo illum cognoscamus, & exhibeamus? Omninò, quale? Vt Timantes fecit, ejus digitum metiri, & quis hic digitus? Effectus potētiæ ejus; in qua tabula hic apparet? In tribulatione.

Deus omnem excedit locum.

Iob 11. 8.

Dei potentia in tribulatione cognoscitur.

9. Ut hoc vobis clarè exhibeam, in sacra scriptura cuncta probata patebunt: Cùm Deus quadam vice potentiam suam exhibere cuperet, ad hunc finem Pharaonem elegit, cui dixit; *Excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*, quid autem per illum exhibuit? Non aliud quàm digitum suum, unde magi admirati dicebant. *Digitus Dei est hic.* Notandum autem est Moysen & Aaronem plurima perpetrasse miracula in conspectu Pharaonis, quia virgam in serpentem, aquam in sanguinem commutabant; sed propter nullum horum dicebant; *Digitus Dei est hic*; nisi tantùm cùm ex pulvere ciniphes producebant. Quid hoc sibi vult? An hoc posterius majus miraculum primo? Nequaquam, nihil enim novi ex terra similia animalia produci, sed mirum erat virgam in serpentem commutari, aquam in sanguinem, & manum subitò leprosam, & mundam existere: cùm hæc prima Moysi miracula essent, unde meritò majorem causare debebant admirationem. Quid ergò sibi vult de illo dici, *Digitus Dei est hic*? Non verò de alio? An, dices, quia magi Pharaonis suas virgas quoque in Dracones vertebant & aquam in sanguinem, non tamen pulverē in ciniphes convertere poterant? sed idem exsurgit dubium, cur non possent magi arte diabolicâ hæc animalcula producere, cùm majora fecissent. Rabbini quidam respondent, diabolum minora non posse producere animalcula, quàm granum frumenti, hæc tamen minora erant. Sed decipiuntur, etenim vel loquuntur de eo quod diabolus se solo potest, & sic clarum est illum nullum animal producere posse; vel loquūtur de eo quod potest applicando causas naturales subjectis proportionatis, sicque faciliùs potest parva producere animalia quàm magna.

Rom. 9. 27.

Exod. 8. 19.

Exod. 8. 19.

10. Cajetanus hanc causam magicis

Cur magi non poterant ciniphes producere?

magicis incantationibus adscribit, quasi non fuissent debitè applicatæ, ideoque nullam vim habere poterant,& sine illis dæmones nihil operari poterant, nec efficere quod illi exquirebant. S. Augustinus recurrendo ad sensum mysticum,notat illud fuisse tertium signum, & miraculum à Moyse patratum ad castigationem Ægyptiorum,nec mirandum sapientiam magorum eò non se extendisse, quia gentilium intellectus mysterium SS. Trinitatis comprehendere non poterat. Alii inde colligunt, quòd si in principio tentationibus diaboli resistamus, adeò reddetur debilis,ut ne quidem muscam unam producere poterit. Ut mihi tamen videtur, Rupertus Abbas omnium optimè hanc difficultatem solvisse videtur, dicens: Magos non potuisse producere ciniphes, quia pungebant, & lædebant, unde cognoscebantur vera esse animalcula; serpentes autem, & ranæ non lædebant, nec veneno inficiebant, volentes ergò magi Pharaonis hunc digitũ metiri, non poterant præstare; unde coacti erant confiteri, quod in tam parva figura gigas occultabatur, cujus digitum metiri non poterant, sed palàm clamabant. *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. 19.

Potentia Dei confundit superbos.

11. Potentia ergo divina mirabiliter in tribulatione relucet; sed quomodo? primò confundendo & obmutescere faciendo plurimos, qui inaniter gloriantur se vanè extollendo, nec plus Deum æstimant, quàm si lignum aut infans fuisset. De Milone Crotoniate refertur quòd inter cætera fortitudinis suæ experimenta illud erat, ut dum pomum manu stringeret; nullus esset qui illud eripere posset. multi pariter tantam se jactant habere fortitudinem, ut non solùm ullus homo, verùm etiam nec Deus ipse quidquam de manibus eorum eripere valeat. Talis fuit Nabuchodonosor, qui tribus Hebræorum pueris dixit; *Quis est Deus qui eripiat vos de manu mea*: Dan. 3. 15. adeò fortem manum habes Nabuchodonosor, & tam debilem æstimas habere Deum? Tribulatio hoc rectè indicabit. Dico insuper tales esse, qui credunt se Deo timorem incutere posse; dum generoso militi cum homine ignavo pugnandum est; dicere solet, elevando manum meam effugiet: qui verò cum fortiori se confligit, eo viso pavere incipit; alter autem id advertens, majori animo & vigore insurgit; & quasi indignans gladio uti, propriis membris satis se armatum arbitratur. Pari modo peccator se præparat contra Deum ad pugnam, præsumptuosè illum aggrediens; quam temeritatem Eliphas Temanites egregiè explicat dicens: *Tetendit adversus* Iob 15. 25.

Peccator contra Deum præsumptuosus.

Deum

Deum manum suam; Septuaginta interpretes verterunt; *Levavit manum suam*: quasi Deo timorem incutere vellet; *Et contra omnipotentem roboratus est*; loco quòd timere deberet, ex conflictu cùm Deo inito; *Roboratus est*; quasi ipsi contra debilem quempiam confligendum esset. Quâ ulteriori temeritate progressus est? *Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Non armis aut lanceâ usus, sed propriis membris, quasi nihili illum faciens & victoriam pugno concludens.

Ibid.

Iob 15. 26.

Temeritas contra Deum acriter punita.

12. Hanc temeritatem in libris Machabæorum præclarè expressam reperimus, ab impio Nicanore; dictum illi fuerat à pluribus, ne violaret sanctificationem Sabbathi, at ille cunctos irridens quæsivit; *Si est potens in cœlo qui imperavit agi diem Sabbatorum*, cunctis autem respondentibus ita esse, dixit; *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri*; quasi diceret, imperet ille in domo sua, ego in domo mea præcipere volo; quasi Deus testudinis instar fuisset, qui caput extra corticem suam extendere non audet, ita illum contemnebat, & minabatur si extra cœlos suos quidquam aggredi tentasset. Nec hoc contentus manum suam contra Dei templum extendere ausus, affirmabat se illud ad despectum ejus destructurum, in cujus honorem erectum erat. Sed quid actum? Coactus fuit Deus ostendere non se in cœlo tantùm, verùm etiam in terra potentem existere. Sed quomodo hoc egit? armis tribulationis, effecit quippe ut infelix ille & miser cum ingenti exercitu, non solùm à paucis militibus in fugam converteretur, verùm etiam particulariter interficeretur, & blasphemâ linguâ minutas in partes concisâ, avibus in cibum præberetur; caput autem impium in summitate templi suspenderetur; & manus temerariè contra templum extensa, illic suspensa maneret; hoc facto quasi exhibendo, ut qui hoc templum omni reverentiâ dignum, despiceret, simili modo puniendus foret. Si quoque ingentis potentiæ est cuncta efficere quæ libet; in hoc Deus se potentissimum exhibet, quod dum peccatores divinæ ejus voluntati peccando resistere arbitrantur, efficit ut suę voluntati obediant. Hoc egregiè docet magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinus dicens: *Eligat homo, & quod vult faciat, & semper eveniet, quod vult Dominus. Non vult Deus ut pecces, & si peccaveris, non putes Deo accidisse, quod noluit. Sicut enim non vult ut homo non peccet, ita vult peccatorem perseverantem punire, ita quidquid eligas non deerit omnipotenti, unde suã impleat voluntatẽ.*

2. Macha. 15. 3.

Ibid. 5.

S. Aug. in Psal. 110.

13. Amplius

Deus in tribulatione mirabilem ostendit potentiam.

13. Ampliùs dico non solùm Deum se in tribulatione nostra exhibere potentem, verùm etiam infinitè potentem. Ut hoc intelligamus, advertendum est, duobus modis fortitudinem, & potentiam exhibere; vel in effectu, vel in modo operandi. Qui brachiis & fortitudine suâ ingentem novit columnam, se robustum, & fortem exhibet; si verò alius digito suo illam moveret, fortiorem se demonstraret; licet enim sit idem effectus, modus tamen operandi diversus. Cùm Deus potentiæ suæ exhibitionem in tribulatione efficere cupit, quid agit? Non primo modo procedit, quia væ nobis si fortitudinem suam in tribulatione nostra ostenderet, oporteret siquidem nos infinitè tribulari, quis hoc sufferre posset? Vtitur ergò secundo modo, & se misericordem, & amabilem in castigatione exhibens, non affligit quantum posset, sed tali modo, ut nos ingenti damno nostro potentiam brachii sui cognoscere faciat. Advertistis quandoque qualiter infantes se robustos & fortes exhibeant? In campis aut hortis semen Cardui in parvo globo reperiunt, lanugine, aut exiguis filis plenum, quem unicâ manu exspoliare, & in terram projicere possent, sed pro gustu suo lanuginem dissolventes, & fila extrahentes, unico flatu, in aërem abigunt. Pari modo dicite Deum cum hominibus agere, quandoque plurimos enecat, & civitates habitatoribus viduatas manere efficit. Sed quo modo? Non multâ fortitudine opus est; unicus flatus sufficit; sic illud testatur Isaias dicens: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni, exsiccatū est fœnum, & cecidit flos.* Isa. 40. 6. Gloria humana quid aliud quàm flos fœni, exsiccatus decidens; & quæ causa ejus fuit? Exiguus Dei flatus; *quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Ibid. Huic responsioni convenit Propheta Job dicens: *Vidi eos qui operantur iniquitatem flante Deo periisse.* Iob 4. 8. Moyses quoque insignis Dei cultor unico divino flatui, interitum Pharaonis, totiusque ejus exercitus tribuit dicens: *Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare.* Exod. 15. 10

Deus in castigatione vilibus utitur rebus.

14. Dices fortassis flatus humanus, admodum exiguus, sed divinus nimis potens; quandoquidem unico flatu, homini vitam tribuit, & altero flatu Apostolis Spiritum sanctum impertivit: nec ulteriùs hoc urgere cupio, cùm probationes sufficerent. Dicamus ergò Deum ut generosum ducem agere, qui à vili juvene offensus, dedignatur illum persequi, aut arripere, sed viliorem servum contra eum emittens, punire efficit. Ita Pharaoni aliisque Ægyptiis fecit, quos per vilia animalcula per

muscas, & sciniphes corripere voluit. Philo Hebræus hoc rectè considerans exclamavit & dixit: *Quid sciniphe vilius? tamen tantum effecit, ut tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse Dei digitum; manus enim ejus, ne à tota quidem terra, quanta quanta est, imò nec à mundo universo sustineri posset.*

Phil. lib. 1. de vita Moysis.

15. Quis autem dicere poterit, quàm generosi Dei milites, hæc animalcula fuerint? Psalmista de Ranis Ægyptiorum loquens, dixit: *Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.* Sed quomodo hoc subsistere potest cùm illo quod in Exodo legimus? Ibi dicitur ranas ex aqua, non autem de terra productas fuisse; *Extendit Aaron manum suam super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ;* & subjungitur quod ascenderint ad secretiora loca Pharaonis; *Ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui.* Contraria sunt ergò verba Moysis, & Davidis, ut unus dicat ascendent, alter dicat quod generabuntur ibi? Nequaquam, cùm per os utriusque spiritus sanctus locutus sit. Dici igitur posset, ab aquis, & à terra ranas fuisse productas, cùm unum non contradicat alteri, essetque insignis effectus divinæ potentiæ, cujus nutui non solùm terra, cui imperat, verùm etiam alia omnia obediant. Inter servos principis cujusdam accidere solet, ut illo alicui imperante, omnes ad serviendum prompti occurrant, ut jussa exequantur. Pari modo hîc accidit, præcepit Deus aquis ut producerent ranas contra Pharaonem, ambitiosa terra ut se contra inimicos Dei promptam exhiberet, voluit quoque ipsa producere ranas; atque ita *Edidit terra eorum ranas.*

Psal. 104. 30.
Exod. 8. 6.
Ibid. 3.
Quomodo terra ranas ediderit.
Ps. 104. 30.

16. Juxta doctrinam Philosophorum etiam procedere possemus, qui volunt per omnes terræ partes aquam penetrare, & simul eam unire, ne in pulverem redigatur; quodque divino præcepto non tantùm aqua fluminis, verùm etiam exigui humoris rivuli in terræ visceribus conclusi, obedirent, & ranas promptissimè producerent: ut intelligeremus nil parvi vel magni esse, quod nutui divino non obediret, & voluntariè contra inimicos ejus se armaret. Dicamus tandem nullas ranas realiter productas in cubiculis Pharaonis, sed quod tali modo, & per tot partes intrarent cubicula Pharaonis, ut viderentur ibi nasci. Claudebantur portæ & fenestræ, adhibebantur custodes lanceis, & gladiis illas occidebant; non tamen ranas expellere poterant. Licet quoque naturæ timidioris sint, milites tamen Dei effecti, inter lanceas & gladios imperterritæ procede-

Cuncta divino nutui obediunt.

procedebant, nec ullum erat remedium, quo impediri posset ipsarum ingressus in secretiora
Ps.104.30. principum cubicula; sicque *Edidit terra eorum ranas*; sub nomine quippe terræ frequenter aqua accipitur; & *In penetralibus regum ipsorum*, ibi siquidem reperiebantur absque scitu aliquorum. Verum igitur est nullam defensionem contra arma divina, aut suos milites esse, licet alioquin timidi sint, ac debiles.

Exiguis rebus Deus maximum infert bellū.

17. Multò minorem fortitudinem ranâ, & muscâ, frondes habent arboris; nec scio an illis debilius quidpiam minúsve timendum, reperiri possit; cum his tamen divina potentia inimicis suis bellum infert, exercitusque illorum in fugam conjicit. Pulchrum hujus rei in libris Regum exstat exemplum; ubi dicitur, quòd cùm Philistæi copioso exercitu contra Davidem venissent, ille quoque gentem suam congregans, illis obviam
2.Reg. 5.23 processit. Antequam tamen prælium iniret, consilium à Deo petiit, quid sibi faciendum esset; cui Deus respondit, non à fronte insurgas, sed circumeundo, à tergo insilies, stabisque ex adverso sylvæ pyrorum, quando verò summitates foliorum commoveri percipies, tunc alacriter procede, & absque dubio vinces, quod ita gestum est. Sed quid referebat summitates foliorum pyrorum pro victoria obtinenda commoveri? Cardinalis Cajetanus, inquit, Deum plurimos Angelos misisse, qui frondes arborum commoventes, tantum terrorem Philistæis incutiebant, quasi inter duos exercitus conclusi fuissent, ideoque subitò fugam arripuerunt; sed nónne soli Angeli, imò unicus illorum sufficiebat, ut illos in fugam converteret? Absque dubio; voluit tamen Deus uti sono, & strepitu frondium, ut illos magis confunderet, scirentque frondium exercitu, se posse in fugam conjicere exercitum armatorum; juxta illud quod dicitur in Levitico: *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Levit. 26. 36.

Per somnia nos Deus affligit.

18. Nimium hac de re disserui, Deus siquidem minoribus rebus nos affligit & tribulat; quid tamen muscâ, aut fronde minus reperiri potest? Dicere possem aliquod vitâ carens, ut guttula aquæ, pulvis & similia. De rebus tamen minoris entitatis loqui cupio; an aliquid magis vanum, & minoris entitatis, quàm somnium? Nihil minus dici potest; his solet uti Deus, quando aliquem affligere cupit. Sic propheta Job loquebatur dicens: *Terrebis me per somnia.* Iob 7. 14.
Rex ille magnus, & potens Nabuchodonosor, Deus in terra æstimatus, quomodo afflictus, & conturbatus fuit? per somnia, ita de seipso testabatur dicens: *Somnium vidi, quod perter-* Dan. 4. 2.

ruit me. Hoc somnium adeò fuit potens, quod sicut res aliæ dum transierunt nihil afflictionis aut doloris relinquunt, sed gaudium, & quietem adferunt, teste Psalmista: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti*: hoc somnium quia miles Dei erat, licet fuisset transactum, & ex mente evanuisset, quia Nabuchodonosor non ampliùs recordabatur istius; non desinebat tamen eum affligere, ut numquam quiescere posset, sed confiteri cogeretur; *Somnium perterruit me.*

Psal. 89. 15.

Mentis conceptu Deus nos exterret.

19. Nimium jam dixi, aliqua re somnio minore, Deus nos quandoque affligit, aliquo videlicet apparente, & ente rationis à nobis concepto, quod extra mentem nostram nullum habet esse. Minus hoc est somnio, illud siquidem multoties aliquid veri & realis exhibet, prӕteritum aut futurum; sed hoc oppositionem cum rebus veris, & realibus habet, nec existere, aut sensibus exhiberi potest. His similibusque rebus Deus quandoque pugnat, & vincit; idque, ni fallor, B. Virgo Maria in cantico suo his verbis significare voluit; *Dispersit superbos mente cordis sui.* Propriis inventionibus, & chimæris, reprimit Deus superborum elationes. Sed nimium hoc quoque est dicere; entia siquidem rationis aliquod fundamentum in re habent; nos tamen sæpissimè affligimur, cogitationibus nostris aut chimæris absque ullo fundamento. Interroges aulicum cur affligatur? Quia, inquiet, non videor obtinere gratiam principis, unde hoc colligis ex quo fundamento loqueris? Si hoc bene consideremus, suspicio absque fundamento est; unde meritò dixit Seneca: *Plura sunt quæ nos terrent, quàm quæ nos premunt, & sæpius opinione quàm re laboramus; quædam nos magis torquent, quàm debeant, quædam ante torquent quàm debeant, quædam torquent, cum omninò non debeant.* Scit denique Deus nihilo affligere hominem; si quæras à multis ut quid tristentur, quid adeò affligantur? Respondebunt nescimus, sentio me humore melanchonico adeò gravatum, ut nesciam quò me vertam: Quædam imaginatio aut apprehensio intellectus me totaliter conturbat. Effectus hic est divinæ potentiæ quæ armis & militibus ex nihilo affligit, & cruciat hominem.

Luc. 1. 51.

Senec. ep. 13.

Ex nihilo aliquando affligimur.

20. Cognovit hoc, ni fallor Poëta Homerus, ideoque finxit Poliphemum vulneratum, & oculo in medio frontis existente privatum, valde conquerentem; interrogatus autem à quo vulneratus esset, respondit à nemine, per quem Ulyssem intelligebat; interrogaverat siquidem Ulyssem quo nomine vocaretur,

tur; at ille dixit, nemo. Hoc plurimi audientes deridebant eum, & stolidum æstimabant, eò quòd diceret se à nemine vulneratum. Per hoc Poëta docere cupiebat, plurimos sine causa irasci, conturbari, multaque suspicari, ac conqueri se malè affectos, absque eo quòd cognoscant unde veniat. Sed effectus infinitæ Dei potentiæ est iste. Theologi non colligunt Dei potentiam esse infinitam, ex magnitudine aut multitudine rerum creatarum; sed ex eo quòd cuncta ex nihilo creavit. Pari modo nos quoque ex conflictione Dei cum nullo, & ex eo quòd tribulationem ex nihilo producat, colligere possumus, potentiam ejus infinitam. Ita ut meritò Propheta regius dicere
Psal. 89. 11. poterat; *Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare.* Quasi diceret, infinitam esse, & sine termino procedere.

Deus potentiâ suâ nos liberat.

21. Quid dicam modò de potentia quam Deus ostendit, in liberatione à tribulatione? Qui Theriacam, aut præservativa contra venena vendit; ut probet illa esse bona, primò venenum sumit, aut amico cuidam bibendum exhibet, & quando in periculo mortis esse videtur, præservativa illa applicat, eumque resanat. Pari modo Deus nobiscum agit, immittit alicui tribulationem, & afflictionem, non ut malè habeat, aut moriatur, sed ut virtutem potentiæ suæ ostendat: Id clarè testatur patiens Job dicens: *Deus vulnerat, & medetur.* Iob 5. 18. Magna tamen est differentia, inter Deum & alios medicos; hi malum in præsenti, & bonum in futuro promittunt; Deus autem omnia in præsenti donat. Medicus, inquit, bibe hanc potionem, & sanitatem acquires; amarum tibi in præsenti, sed bonam salutem in futuro promittit. Non ita Deus efficit, inquit Propheta Job, sed contrariè omninò procedit: *Deus vulnerat, & medetur;* non dicit, *medebitur*, sed *medetur*, in præsenti cuncta tribuit.

Deus prius mortificat, quàm vivificat.

22. Hanc veritatem cognovisse videtur sancta illa mater Samuelis dum in Cantico suo diceret: *Non est fortis, sicut Deus noster.* 1. Reg. 2. 2. Per hanc autem fortitudinem, non robur corporis intelligebat, cùm Deus non sit corporeus; nec animi fortitudinem quam patientiam appellamus, quæ in rebus adversis tolerandis consistit, quia Deus nullam patitur tribulationem; sed illam quæ in operatione consistit, & vocatur potentia. Sed quomodo Anna hanc Dei fortitudinem probat? dicendo: *Dominus mortificat, & vivificat;* 1. Reg. 2. 6. cur prius meminit mortis, quàm vitæ? Nónne mors supponit vitam? Omninò, non enim mortuus dici potest, qui numquam

vixit, ſed aliquis poteſt eſſe vivus qui non fuit mortuus. Prior ergò eſt vita morte, cumque à nullo quàm à Deo vita procedit, ille priùs vivificat, quàm mortificat. Quomodo igitur Anna invertit ordinem, & primò ponit mortificare, quàm vivificare? Dicere poſſem, hunc eſſe morem ſacræ ſcripturæ, ut alibi diximus, primò tribulationes ponere, poſtmodum verò exultationes. Meliùs tamen dicamus eam hoc feciſſe, ut divinam potentiam probaret; licet enim non minor reperiatur potentia, dum primâ vice vitam tribuit, quando numquam perdita eſt, quàm ſecundâ vice; cùm in illa creatio interveniat, quæ potentiam infinitam requirit; non tamen in hac ita cognoſcitur, ſicut in ſecunda. Ex modo igitur cognitionis divinæ potentiæ, tribulationem æſtimare debemus; non tantùm ex illa parte quæ in illa reſplendet, verùm etiam ex illa, quæ in proſperitate relucet.

Cur Deus non ſemper in principio adeſt.

23. Ut hanc divinam potentiam meliùs cognoſcamus, permittit quandoque Deus, ut malum ad ſummum uſque gradum excreſcat, nec principiis ſuccurrere cupit, juxta illud *principiis obſta*. Sicut enim homo quo magis à ſuo principio, & propoſito diſcedit, eo difficilius illud aſſequitur; Deo tamen æquè facile eſt, magiſque ejus potentiam declarat. S. Joannes Chryſoſtomus notat Deum non liberaſſe tres pueros illos de manu Nabuchodonoſoris, niſi poſtquam in fornacem ardentem conjecti eſſent; nec Danielem, niſi poſtquam in lacum leonum miſſus fuiſſet, ibique ſeptem diebus manſiſſet; *Ideo* inquit, *nec pueros eripuit à principio, ſed poſtquam conjecti fuerunt in fornacem, nec Danielem antequam eſſet immiſſus, ſed ſeptem poſt dies.* Ex quo infert, nos numquam deſperare oportere; *Quamvis,* inquit, *ad ipſam mortem deveneris, ne deſperaveris; poteſt enim Deus in rebus vel difficillimis, & impeditiſſimis exitum invenire.* Apoſtolis in mare periclitantibus, non ſtatim ſuccurrit, ſed in fine; *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos*, poſtquam totâ nocte periclitantes, vix ulla ſpes ſalutis ſupereſſet.

S. Chryſoſ. in Pſal. 7.

Marci 6. 48

24. S. Cyrillus Alexandrinus hoc rectè advertit dicens: *Operæpretium eſt obſervare, non ſtatim, neque in principio periculi, ſed quando jam longè à terra remigaverant, Chriſtum diſcipulis apparuiſſe. Non enim incipientibus adverſis gratia Chriſti confeſtim nos ſalvat; ſed poſteaquam terror increverit, & certum videatur imminere periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abjicit, & ab omni periculo liberans, ineffabili virtute in ſummam tranquillitatem periculorum fluctus tranſponit.* Propter eandem

Cyrill. Alexan. lib. 3. in Ioan. cap. 23.

In fine tribulationis ſuccurrit Deus.

dem rationem non subitò in Bethaniam perrexit, cùm Lazarum infirmari audiret, sed expectavit donec moreretur, & sepultus jam diu esset. Id præclarè testatur S. Petrus Chrysologus dicens: *Nec enim pertimescit facere moram, penes quem facti, & effectus permanet potestas.* Cùm haberet potestatem resuscitandi, non curavit mortem ejus.

Deus facillimè aliquem sanat.

25. Hoc modo procedendi videtur mihi Deum agere, sicut velox cursor, qui ut meliùs levitatem in currendo adversario patefaciat, non simul cum ipso currere incipit, sed tunc se movere, dum alter credit se terminum attigisse, illumque assequitur, & prætergreditur. Pari modo dico Deum agere videns mortem celeriter properantem. Ut Lazarum arriperet, non se movebat, sed licet invitatus expectat, & mortem quatuor diebus præcedere sinit; cumque jam se victricem crederet; ille celeri passu illam assecutus, victoriam sublatam è manibus eripit. In hoc pariter potentiæ suæ facilitatem in operando demonstrat, cùm faciliùs quàm aliquis dormientem excitaret, ille Lazarum à morte revocavit. Ideoque discipulis suis dicebat: *Lazarus amicus noster dormit, eamus, & à somno excitemus eum.* S. Augustinus hoc egregiè testatur dicens: *Lazarus Domino dormiebat, hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant; nam Dominus tantâ facilitate excitabat de sepulchro, quantâ tu non excitas dormientem de lecto.*

Ioan. 11. 11. S. August. tract. 49. in Ioan.

Deus auxilium patienti præstat.

26. Deus non agit ut homines; illi difficiliùs æstimant, reficere, aut reformare aliquid, quàm de novo conficere; unde communi proverbio dicere solemus, stultus, jactat petram in profundo puteo, & centum sapientes illam inde eripere non sufficiunt. Deus autem eadem facilitate vulnerat, & medetur; jactat in profundum, quem vult, & continuò extrahit. David à Deo in profundum dejectus fuit, & de illo precabatur Dominum, ne os putei clauderet, sed ad minus lumen cœli videre permitteret: *Non urgeat super me puteus os suum.* Sed qualiter liberatus fuit? Sola divina manus absque alio adjutorio illum inde eripuit, ideoque precabatur: *Emitte manum tuam de alto, & eripe me.* Nec hîc se sistit divina potentia, sed majorem se exhibet, non liberando, & auxilium sustinendi præbendo. Retinere aliquem ne percutiat vas vitreum; nil magni est, sed permittendo illum percutere, & efficere ut non frangat, hoc summoperè mirandum. Sed quid nos sumus? Fragiliores vitro; Quid *fragilius vitro?* inquit S. Augustinus, & respondet dicens: *Nos fragiliores sumus.* Deus tamen

Psal. 67. 16.

Psal. 143. 7.

tamen nos constantes, & fortes efficit, ne percussionibus con-
1. Pet. 5. 10. teramur. *Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*, inquit S. Petrus. Mulier quoque viro fragilior videtur, de quo
1. Pet. 3. 7. Apostolus dicebat: *Tamquam infirmiori vasculo muliebri, majorem impartientes honorem.* Deus tamen illas fortissimas efficit, ita ut nec tormentis, nec afflictionibus cedant: unde de his admirata Ecclesia, dicit: *Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti.* Meritò igitur
2. Corint. 12. 9. dixit S. Paulus; *virtus in infirmitate perficitur*; juxta expositionem S. Joannis Chrysostomi, potentia divina in infirmitate, & tribulatione nostra magis perfectè cognoscitur.

Quomodo Deus petra, & refugiũ? Psal. 17. 3.

27. David quoque in tribulatione constitutus, vocat Deus refugium suum; *Dominus firmamentum meum, & refugium meum*, vel ut in libris Regum legitur. *Dominus petra mea, & robur meum*; Quid magni hoc erat? An petræ in terra promissionis deerant; imò credendum est plurimas fuisse, cùm supplicium commune esset apud Hebræos lapidare populum, prout innocens Naboth, & protomartyr Stephanus. Vel petrâ potest aliquis defendi, ut scuto ab inimicis suis? Puto Davidem non de quavis petra intellexisse, sed de illa quæ interiùs concava est, ita ut aliquis intus abscondi possit, & securè latere, de qua dicebat; *Petra refugium Herinaceis.* Ita quoque intellexisse videtur S. Bernardus dicens: *Stat martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro; non modò fortiter sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem; ubi tunc anima martyris? Nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus* JESV. S. Bernard. serm. 61 in Cantica.

28. Hinc volebat Apostolus tribulationem, & passionem pro ingenti Dei beneficio æstimari, nam Philippensibus scribens ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Supra hunc locum S. Joannes Chrysostmus inquit: Deum majus tribuere beneficium quando pro ipso affligimur, quàm dum virtutem tribuit mortuum suscitandi; rationem autem ejus reddens, inquit: *Nam ibi quidem ego sum debitor, hic verò debitorẽ habeo Christum.* His tamen verbis videtur sibi ipsi contradicere, & S. Paulo; qui enim beneficium recipit nónne obligatur benefactori? & tribulatio nónne donum Dei est? Ita illam vocat Apostolus dicens: *Vobis donatum est.* Ipsemet quoque Chrysostomus idem dixit, quod illud *Donum verè longè est admirabilius, quàm cadaver ad vitam revocare.* Quomodo igitur dicit qui patitur, Deum debitorem constituit?

Ad Philip. 1. 29.

Tribulatio ingens beneficium.

Ad Philip. 1. 29.

tuit? Respondeo in hac tribulatione, de quâ nunc loquimur, duo sunt consideranda; unum est dolor qui sentitur, & hoc nostrum est; & patientia, quâ dolor suffertur, & hæc donum Dei est. Ratione hujus tribulatio donum Dei dicitur, per quod Deo obligamur; dolor quippe quantumvis ingens, non esset meritorius absque patientia, & huic adjunctus plurimùm valet, & à Deo muneratur. Hinc S. Augustinus de martyre quodam loquens prudenter dixit: *Si consideretur in ista passione humana patientia, incipit esse incredibilis, si agnoscatur divina potentia, desinit esse admirabilis.*

Tormenta delectationem adferunt.

29. Ulteriùs quoque procedit divina potentia, efficitque ut ipsa tormenta, & tribulationes delectationem, & jubilum adferant. Naturam rerum immutare, omnem excedit potentiam inquiunt Philosophi; sed quod amarum sit dulce, ignis ardens refrigeret; vincula, & catenæ dent libertatem, quis absque mutatione naturæ, fieri posse dicat? Illud est quod Deus cum tribulatis agit, amaritudines quippe dulces reddit; vinculis, & compedibus libertatem, & frigiditatem ardori donat. Ita S. Tiburtius super carbones ignitos incedens, videbatur super rosas ambulare; & accensa fornax tribus pueris suavissima videbatur aura. Heliogabalus Imperator Dominum mundi se credens, pro ultimo potentiæ suæ signo, noctem diem efficere cupiebat, sed non illi bene successit; lumen siquidem artificiale candelæ, splendori solis æquari non poterat. Deus autem tribulatis hoc optimè efficere novit, teste Davide:

Dei potentia in tribulatione mirabilis.

Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me; Dixi in corde meo à tenebris opprimar, & sub gravi tribulationis pondere respirare non potero; sed quid secutum? *Et nox illuminatio mea, in deliciis meis*: Nox tribulationis erit dies lucidus solis, quia, *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Potentissimum ergò in tribulatione nostra se Deus exhibet. In illa videlicet mittenda, in mediis quibus utitur, in tribuenda patientia ad fortiter sustinendam, & in commutatione tantæ dulcedinis; ideoque à nobis summoperè laudanda, & glorificanda immensa Dei potentia; *Afferte Domino*, inquit Psalmista, *gloriam & honorem*; ubi textus Hebræus habet; *Afferte gloriam fortitudini ejus.* Laudate illum, quia fortis & potens, glorificate illum & immensas illi gratias agite, propter suam fortitudinem, & potentiam; quia maximam nobis consolationem, & utilitatem adfert, ut in secunda parte clarissimè percipietis.

Psal. 138. 11.

Ibid.

Psal. 28. 2.

SECVNDA PARS.

Deus potens in misericordia.

30. QUod hucusque diximus, & probavimus, Deum nempe per tribulationem se potentissimum exhibere, non contradicit illi Ecclesiæ dicto; *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Quin imò maximè convenit; sicut enim ajunt Philosophi, *Contrariorum eadem est disciplina*; & sicut unâ eademque clavi porta aperitur, & clauditur; ita eadem requiritur potentia ut thesauri divinæ misericordiæ aperiantur, & justè claudantur. Cùm Salvator noster S. Petro claves regni cælorum traderet, horum quoque mentionem fecit dicens: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, quod ad divinam misericordiam spectat; *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis*; quod divinam justitiam respicit. Meliùs quoque dicamus; quid dicitis, Deum suam potentiam exhibere, utendo misericordiâ? rectè dixistis, dicam igitur, illam in tribulatione maximè elucere, quia hæc præcipuus misericordiæ divinæ effectus. Hoc præclarè se intelligere ostendit Propheta David dum de Moyse, & Aarone loquens ajebat: *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Sed quomodo poterat David cognoscere benignitatem Dei erga illos? quia sæpius illos castigaverat: *Ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Qui Dei misericordiam in beneficiis accipiendis non cognoscunt; in tribulatione illam agnoscere discunt, ita ut cum Propheta Habacuc dicant: *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis:* quia prosperitatis tempore misericordiæ divinæ obliti, in tempore tribulationis eam amplectuntur; sicque Deus illos cognoscere facit, quid sine misericordia ejus essent futuri.

Mat. 16. 19.

Psal. 98. 8.

Habacuc 3. 2.

Argumentis contrariis respondetur.

31. Quid dicitis hominem ex seipso currere, aut in profundum delabi, ideoque nil mirum si subitò cadat? Verum hoc esset, si caderet ubi ruinam minatur, sed multoties in contrariam partem recidit, quod summoperè mirandum, & magnam exigit potentiam. Hoc S. Propheta Job præclarè describit; *Adducit consiliarios in stultum finem*; in finem videlicet numquam intentum, & ab ipsis stolidum reputatum. Ita efficit ut dives ille in mendicitatem incidat, ut aulicus gratiam principis perdat, ut generosus miles ab inimicis suis occidatur; ut robustus juvenis, in infirmitatem, & miseriam incurabilem incidat. Quid dicitis Deum in tribulatione instar tineæ se gerere? Bene quidem, sed scitis quare? ut mirabilem suæ potentiæ effectum

Iob 12. 17.

ctum exhibeat; Tinea rodit pomum interiùs, ita ut aliquando exteriùs vix appareat. Sed quis illud in homine efficere potest, nisi solus Deus? Homines corpus exteriùs lædere possunt, & affligere; sed animam affligere, nec homo nec diabolus nisi Deo permittente potest. Ideoque rectè Deus in Evangelio dicebat: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Nolite, inquit, timere eos, quia animam conturbare & affligere non possunt: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Deus autem penetrat viscera & cor, intus corrodens: ideoque Propheta David illum vocabat: *Deus cordis mei.* Sed Deus numquid totius corporis dominus? An manum aut pedem sine ipso movere potes? Certè non: supra alia membra homines quoque dominium exercere possunt, non tamen cor hominis invertere, nisi solus Deus, qui illud tenet: *Cor regis in manu Dei*: & quis illud penetrare potest? *Ego Deus scrutans cor, & probans renes.*

Solus Deus animam affligere potest.

Luc. 12. 4.

Ioan. 16. 22.

Psal. 72. 26.

Prov. 21. 1.

Ierem. 17. 10.

32. Quid dicitis hominem frondem esse, & vilem stipulam contra quam non potest exercere potentiam? Quin imò cùm homo sit talis naturæ, in eo maximè potentiam suam exhibet. Insignis sculptor ut statuam formet, optimum & durissimum exquirit marmor, aut solidum metallum; materia siquidem tenera & mollis, ictibus malleorum resistere non valet. Deus nos affligens, quid efficit? Sculpit in nobis imaginem insignem dilecti filii sui, quia prædestinati juxta S. Paulum, necessariò debent, *Conformes fieri imaginis filii sui.* Ad hoc efficiendum, necessariò utitur scalpro tribulationis; de quo S. Job loquens dicebat: *Posuisti in nervo pedem meum, & vestigia pedum meorum considerasti*; & juxta Cajetanum habes: *Super radices pedum meorum sculpes*: juxta Pagninum; *Super talos pedum meorum imprimetur*: juxta Vatablum; *Super radices pedum meorum excavatus est.* Si hæc imago debili frondi insculpatur, quis non stupebit? Hinc S. Job dicebat: *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est?* Nónne ego Domine marmor, aut metallum sum, ut scalpro tribulationis me excavare, aut polire cupias?

Deus affligendo perficit.

Rom 8. 29.

Iob 17. 27.

Iob 6. 12.

33. Dicamus insuper, si Architectus ad erigendum aut fabricandum superbissimum palatium, aliâ non uteretur materiâ quàm frondibus, cunctis id mirum esset: sic Deus per tribulationem operatur, cùm hominibus quippe qui aliud non sunt quàm frondes non solùm domum aut palatium, sed integram civitatem fabricat, cælestem nempe Jerusalé, unde Apostolus

P 2 primis

primis fidelibus afflictis dicebat; *Vos estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ingens ergò potentia Dei nostri, quæ per tribulationem mirabiliter resplendet, nosque clariores, & ferventiores efficit.

Ad Ephes. 2. 19.

In tribulatione patientes esse debemus.

34. Sed quid ex dictis colligendum & observandum restat? duo potissimùm hinc documenta nobis sunt colligenda. Primum ut simus patientes & humiles; si enim homo debilis nos affligeret, sperare possemus, quod illi resistendo, cuncta bene succederent: sed cum Deo adeò potente nec vincere, nec pactum inire possumus. Melius igitur est se humiliando, patienter cuncta perferre: S. Paulo id clarè exhibuit dicens: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, si enim quis pedibus stimulum conculcare vellet, seipsum magis læderet. S. Petrus quoque sapienter fideles suos confortabat dicens: *Humiliamini sub potenti manu Dei*: quasi diceret, amore id perficite, quod vos vi agere coget, curvate vos sub manu Dei, alioquin disrúpere vos faciet. S. Job id meliùs explicat dicens: *Semper tamquam tumentes super me fluctus timui Deum; & pondus ejus ferre non potui.* Dum aliquid inundanti flumini aut torrenti resistit, subitò frangitur, aut evellitur; si tamen sit tenerum & facilè inflectendum, non frangitur sed curvatur & cum impetu aquarum se dirigit. Pari modo cum Deo agendum, si illi resistas, & fortitudinem exhibeas, te destruet, & evellet; *Quis enim restitit ei, & pacem habuit?* Si autem te humilias, & submittas, subitò quietè & pacificè tecum aget.

Actor. 9. 5.

1. Pet. 5. 6.

Iob 31. 23.

Iob 9. 4.

Deus ut Barbitonsor se gerit.

35. Numquam observastis qualiter aliquis sub Barbitonsore constitutus, se gerere debeat? Licet Barbitonsor sit persona ignobilis, & radat nobilem, ac principem, illi tamen velociter in omnibus obediet, si dicat caput eleva, subitò elevabit, si dicat inclina, inclinabit; quid sibi vult illa obedientia? Dices novaculam manu tenet, & gutturi vicinus est nisi obediam vitæ periculum incurro. Qualiter se Deus nobiscum habet dum affligit? ut Barbitonsor inquit Isaias Propheta; *Radet Dominus in novacula conducta caput, & pilos pedum.* Infirmitas illa, & persecutio quam Dominus tibi immittit, quid aliud est quàm novacula, quâ Deus aliud non intendit, quàm radere pilos, præscindere affectus, & superfluas mundanasque cogitationes, & solicitudines. Quid tibi agendum? Simpliciter obediendum; Si Deus tibi dicat caput eleva, cælestia cogita; si dicat inclina, humilia te, & cogita te ex terra productum, & in terram reversurum; si dicat verte te ad sinistram,

Isa. 7. 20.

Deo simpliciter obediendum. ſtram, & intuere inimicum benigno oculo, ut illi ignoſcas injuriam illatam ſubitò; illud exequendum: ſi dicat verte te ad dexteram, attende animæ tuæ, confeſſioni, & communioni, ſubitò exequendum, alioquin caveas tibi, quia novaculam manu tenens gutturi appropinquat, & mali quidpiam intentare poſſet. S. Joannes in prædicatione ſua illud populo intimabat dicens: *Securis ad radicem arboris poſita eſt.* Si Deus voluerit vita ſubitò finita erit, & animam tuam in infernum dimittet. Judicia igitur Dei ſummoperè timenda, quod optimum eſt remedium, ut illa effugiamus. Matt. 3. 10.

In terræ motu mare quieſcit.

36. Plinius inſignem notat animadverſionem; quòd videlicet in terræ motu mare quieſcat, ita ut terræ motus, & quaſſatio maris numquam ſint ſimul. Nec hoc ſine fundamento aſſerit; ſicut enim terræ motus, & tempeſtas maris à ventis cauſantur; dum hi intra terram concluſi illàm concutiunt, ab illorum impetu, mare liberum remanet. Dicamus ergò propoſito noſtro, quid aliud eſt homo, quàm terra? *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ira autem Dei quid aliud eſt quàm mare tempeſtuoſum teſte S. Job: *Semper ſuper me quaſi tumentes fluctus timui Deum:* Si homo ergò timuerit, & tremuerit à facie Dei; Deus illi benignus & quietus erit; ſi in corde humano iræ divinæ cogitatio continua erit, cor divinum abſque ulla indignatione aut rancore erit. Si terra contremuerit, quietũ erit mare, teſte Plinio: ſed qui Plinio multò melius ſecreta naturæ, & res divinas percipiebat, Iſaias Propheta in perſona Dei dicit: *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Vel prout legit S. Gregorius Papa, & Caſſianus; *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem verba mea.* Si ergò contremiſcas, ſpiritus Dei requieſcit; & ſi timeas, placatur ira divina; & conſequenter cor tuum in ſuo timore, & tremore pacem reperiet; ideoque Iſaias conjunxit illa; *Quietum & trementem verba mea;* Propheta David ait: *Terra tremuit, & quievit cùm exurgeret in judicio Deus.* Gen. 3. 19. Iob 31. 23. Iſa. 66. 2. S. Greg. lib. 1. moral. cap. 31. Pſal. 75. 9.

Dum homo contremiſcit, Deus benignus eſt.

37. De Polypo, & Sepia refert Ariſtoteles, quod periculum captionis advertentes, liquorem nigrum quem intus retinent, evomentes, mare conſpergant; ſicque ex piſcatorum manibus facillimè elabuntur, & ſalutem acquirunt. Non aliter anima ſe in periculo perditionis ſuæ conſtitutam videns, iramque divinam ſibi imminere conſpiciens; lachrymas ſpargit, humoremque nigrum, peccatorum videlicet deteſtationem ejiciens, ſe ſubitò ſalvat; eoque modo ſecuritatem Ariſt. lib. 4. de partib. animal. cap. 5.

Dolore peccatorum tribulatio fugatur.

curitatem in medio tristitiæ reperiens occasionem salutis subitò acquirit. Rectè hoc intellexit S. Paulus Apostolus dicens: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Tristitia est niger ille liquor quem pisces evomunt, quæ per pœnitentiam salutem operatur. In Caino idem apertè figuratum fuit; sacra siquidem scriptura dicit Deum in Caino posuisse signum; *Posuitque Dominus in Cain signum ut non interficeret eum omnis qui invenißet illum.* Quale autem hoc signum fuerit, Sacer textus non loquitur, & expositores multùm variant. Rabbini juxta morem illorum fabulis innitentes, dicunt fuisse Canem quemdam illum præcedentem, & per viam securam conducentem; alii litteram quandam fronti impressam; alii vultum torvum, & ferum quo omnes intuebatur; communis tamen fert opinio fuisse tremorem aliquem ad instar paralytici, quē in omnibus membris patiebatur. Sed quomodo tremor securitatis signum esse poterat? An quia illum ita tremere conspicientes, judicabant morti vicinum, ideoque ab omnibus videbatur non occidendus? Vel cogitantes illam divinam esse castigationem, illum ita mori sinerent. Quomodocumque sit rectè proposito nostro congruit, tantam esse connexionem inter tremorem, & securitatem à Deo non fore nos lædendos, ut Deus ipse pro signo securitatis, & salutis, tremorem assignet.

2. Corinth. 7. 10.

Gen. 4. 15.

Quod signum in Cain.

38. Secundum documentum est, nos in tribulationibus non debere deficere, quin imò confortari debere, & consolari, eò quòd habeamus Deum adeò potentem. Primò, quia bonum est nobis agendum esse, cum persona potente, & prævalente; tales siquidem magis subditorum calamitatibus succurrere possunt; ira siquidem, & crudelitas, ex debilitate & suspicione plerumque nascitur, ideoque rectè dixit Sapiens: *Non est ira super iram mulieris.* Quare hoc? quia nulla persona muliere debilior, debiles quoque & impotentes semper se despici opinantur; timet quod semper pœnitebit, se non fecisse vindictam, quodque prædam apprehensam perdet. Qui verò est potens, multùm fortitudine prævalet, non timet contemni, scit castigationem & vindictam quoties libuerit in manu ejus esse: & quasi pudet illum cum persona minoris qualitatis agere. Ideoque inermibus mulieribus, & infantibus facillimè ignoscit. Idem nos animalia docent quæ cùm majora sint, dedignantur minora offendere, aut illis insultare. De Elephante scribitur quòd cùm gregem ovium pertransire debet, proboscide sua locum

Potentia Dei nos in tribulatione consolatur.

Eccli. 25. 23.

locum efficit, ne aliquam offendat. Sed quis major potentiæ favor reperiri potest, quàm inter Deum & nos, non ergò timendum, sed lætandum, quia nobiscum misericordiam suam exercebit.

Potentia & misericordia, in Deo æqualis.

39. De Adriano Imperatore scribitur, quòd cùm Imperium obtinuisset cuipiam privato obviam factus à quo offensus fuerat, dixit illi; *Evasisti*, quasi diceret, si parum antea mihi occurrisses dum minus eram potens, aliter tecum egissem; jam verò cùm ad Imperium assumptus sim, & possim de te agere quod placuerit, puderet me te malè afficere. Lætemur ergo omnes quod Dominus ille qui in nos omnia mala infligere posset, sit summus cœlorum Imperator, ideoque ad ignoscendum promptior evadet. Sapiens illud clarissimè affirmabat dicens:
Sap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes*; ita ut potentia in Deo & misericordia æquali semper passu incedant, cùm ergò infinitâ polleat potentiâ, infinitâ quoque misericordiâ abundabit. Non sicut homines qui tantum perpetrant injustitiæ quantum ipsis licet, juxta dictum aliquorum apud Sapientem;
Sap. 2. 11. *Sit fortitudo nostra lex justitiæ*: Bilanx justitiæ est gladius noster, tantum valet ratio, quantum potest fortitudo. Deus autem ut justitiam, & pietatem exhibeat, suâ potentiâ utitur: quia Davide teste *Iustitiâ plena est dextera ejus*; nulli Psal. 47. 11.
injustitiæ locus, sed justitiæ tantùm, quæ pietatem non excludit: quia *Iustitia, & pax osculatæ sunt*. Psal. 84. 11.
Divina ergò potentia à nobis ut justa timenda, & ut misericors amanda.

Amor, & timor conjungi debent.

40. Non solùm timenda, quia hic timor servilis esset; nec solùm amanda, quia nec verus, nec stabilis amor dicendus esset, qui undique timore associaretur, de quo dixit Poëta;

Res est soliciti plena timoris amor.

Sed amari simul & timeri debet, ut obedienti filio convenit, ita enim mirabiliter nos adjuvabit; & cantare poterimus illud Davidicum: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Psal. 16. 8.
Sed numquid umbra alæ unius sufficeret? An ala divina adeò parva, & David adeò magnus, ut umbra unius non sufficeret ad protectionem illius? unam credo sufficere, si ab altera disjungi posset; sed taliter sunt conjunctæ, ut umbrâ unius, absque umbra alterius perfectè frui non possimus; ideoque non tantùm dixit, sub umbra, sed sub umbra alarum tuarum. Quænam sunt alæ istæ? justitiam & misericordiam, aut potentiam, & bonitatem, vel amorem, & timorem illas esse possemus dicere.

Cur Sphynx in portis templi constituta?

41. Intellexerunt hoc quoque gentiles, quia teste Clemente Alexandrino, Ægyptii in portis templorum

templorum Sphingem constituebant; ut sicut aliqui dicunt significarent mysteria divina obscura, & secreta esse ænigmata ad instar Sphingis, nec perscrutanda. Considerando autem hoc monstrum faciem habere muliebrem, & corpus Leoninum, arbitrandum hos duos affectus erga Deum timorem, nempe & amorem in eo considerandos; ad amorem alliciendum magnam vim habet insignis muliebris aspectus, & ad timorem incutiendum, aspectus Leoninus. Si hoc intenderint Sapientes Ægyptii, admodum prudenter egerunt, non solùm hos duos affectus ab unoquoque ingrediente requirendo, verùm etiam simul conjungendo. Taliter siquidem in nobis uniri debent, ut unum solum efficiant; timorem nempè filialem, quo si insigniti fuerimus, filii Dei, & hæredes regni cœlorum esse poterimus: Quod Deus omnipotens nobis concedere dignetur. AMEN.



DISCVR-

DISCVRSVS XXXIII.

In tribulatione mirabiliter divina sapientia elucet, quod maximam consolationem afflictis addere solet.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Amor cuncta parvi pendet. numer. 1. 2. 3.

Quomodo in tribulatione amor sapientiæ conjuncta? num. 4. 5. 6.

Deus per tribulationem corda probat, & numerat. à num. 6. *usque ad* 13.

Per tribulationem occulta exquirit, & punit. à num. 14. *usque ad* 21.

Divina sapientia variis mediis in castigatione utitur. à num. 22. *usque ad* 25.

Deus in nobis cuncta per tribulationem format. num. 26. 27. 28. 29.

In Deo amor & sapientia simul. nu. 30. 31. 32.

Timor & consolatio divina ex tribulatione elicienda. à num. 33. *usque ad finem.*

Potentia, & amor in tribulatione elucet.

1. Nter densas tribulationum nostrarum tenebras quasi splendidissimam lucernam, potentiam & amorem divinum fulgere; imò præcepto amoris à dextra potentiæ pretiosos thesauros dilectis filiis dispensatos esse, ex rebus ante dictis sufficienter probatum manet. Quod licèt summum sit bonum, quod in tribulatione reperitur; timeo tamen ne aliquibus delicatis, videatur hoc nuntium satis durum, dicendo: si effectus amoris, & potentiæ divinæ sit tribulatio; ergò iisdem correspondebit: & sicut hæc attributa in Deo non habent terminum, nec mensuram, ita absque termino, & mensura, tribulationes de cœlo pluent. Donum amoris per manum potentiæ dispensatum, vocatúrne tribulatio? Licèt ergò plurima detur & gravissima immittatur, exigua semper, & levis videbitur, nec umquam finietur. Quis nescit quàm prodigus, & insatiabilis sit amor in dando: omnis emptor cum venditore agendo, quantum potest pretium minuere studet, & rem quam emit parvi facere, ac pretium summoperè extollere, ita hoc attestante Sapiente: *Malum* Prov. 20. 14

est, malum est, *dicit omnis emptor*. Amor autem omninò oppositè agit; tanti objectum amatum facit, ut omne pretium pro eo oblatum, parvi pendat. Ita Jacobo pro dilecta Rachele quatuordecim servitutis anni, non videbantur anni, sed dies pauci;
Gen. 29. 20. *Videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine*. Ita Hemor Patri Sichem totum quod petebatur exiguum videbatur, pro dilecta
Gen. 34. 12. Dina; unde dicebat: *Augete dotem, & munera postulate*; nec hîc se sistit amor.

Amor in donis prodigus. 2. Dum aliquis præclara, & heroica facta insignium personarum enarrans, auditores obstupescere videt; sciensque præclariora superesse, dicere solet: An de his enarratis obstupescitis? hæc nihil sunt, respectu aliorum sequentium; ita qui amat liberalior factis existens, quàm facundus Orator verbis, dum omnia quæ habet, & potest dedit, aliique judicant illum nimium fecisse, ille tamen putat se nihil præstitisse. Ita hoc præcla-
Cant. 8. 7. rè testatur Sponsus cælestis; *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*; O quanta excellentia, si homo non tantùm omnes reditus, verùm etiam substantiam dederit, totamque possessionem; non se solùm, sed totam familiam, quid amplius dici poterit? arbitrabiturne igitur
Ibid. amans se satisfecisse? *Quasi nihil despiciet eam*: quid ampliùs vellet? An seipsum donare, fortè nec hoc sufficeret.

3. Dico insuper, quòd sicut in aliis rebus conceptus, & mentis designationes, semper excedunt opera; facillimè siquidem mente formamus montes aureos, palatia adamantina, sed in opus redigere impossibile. E contrà autem ubi dominatur amor, licet plurimum intellectus concipiat, & speculetur; minus tamen est respectu istius, quod voluntas amans executioni mandat; ita ut quantò alia omnia superat scientia, tantò ab amore illa superatur. S. Paulus insignem hunc titulum charitati tribuit dicens: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatē Christi*: Sed quomodo scire poterimus, si scientia excedat? Apostolus seipsum quasi correxit, aut declarationem adhibuit; cùm enim dixisset *scire*, ne putares te charitatis apicem tuâ scientiâ attigisse, adjunxit; *Supereminentem scientiæ charitatem*. Si amor igitur distribuet tribulationem, & potentia divina cui nihil est difficile, illam executioni mandabit; quomodo non erunt immensæ, & infinitæ tribulationes? Annuntio tamen vobis omnia bona, licet enim amor sit auctor principalis, & dispensator tribulationis; consiliarium tamen habet adeò discretum, qui illam adeò tempe-

Amor transcendit omnia.

Ad Ephes. 3. 19.

rare

stare novit, ut videatur admodum levis, & dulcis. Dices fortassis qualis erit hic consiliarius? Respondeo divinam sapientiam esse, quæ mirabiliter in tribulatione splendescit, ut hoc discursu clarissimè vobis exhibere cupio; solito autem modo difficultates quæ objici possent primitus proponam.

Sapientia amorem mitigat.

4. Dicet ergò aliquis quomodo esse poterit, quod in tribulatione nostra divina sapientia se immisceat, cùm amor adeò particulare dominium obtineat? Quis enim ignorat amorem, & sapientiam simul esse non posse; hæc in senibus reperitur, juxta dictum Prophetæ Job: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*: cum S. Jeronymo teste sit ad instar Sunamitidis Abisag, quæ Davidem jam decrepitum fovebat; Senex quippe insipiens, non meretur nomen senis, sed pueri, unde vocatur: *Puer centum annorum.* Amor è contrà non cum senibus, sed cum juvenibus agit; unde sicut infans oculis velatus depingitur. Adjungamus quoque, dum aliquem volumus insipientem appellare, dicere solemus, extra seipsum esse, quasi diceremus se intellectum, & discursum perdidisse? Quid modò efficit amor, amantem extra se rapi facit, ideoque dicitur: *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat.* Hæc rectè est differentia, quæ inter amorem, & sapientiam reperitur; quod hæc omnia ad se attrahit, nihil siquidem intelligere potes, si intra te non recipias, ad minus per imaginem, & repręsentationem; ille verò hominem extra se rapit, ut in objectum amatum tendat. Hic effectus non solùm in amore humano, verùm etiam in divino locum habet, ideoque S. Dionysius Areopagita ait: *Est autem ecstasim faciens divinus amor*; Sponsa quoque in Canticis dilectum suum vocabat: *Oleum effusum*, amor siquidem efficiebat, ut extra se eundo, aliis se communicaret, juxta dictum S. Pauli: *Semetipsum exinanivit.* Dum Deus ergò nos affligit, dicitur proprio loco excedere, quia amor ipsum in objectum amatum rapit, unde Isaias Propheta ajebat: *Egredietur Dominus de loco sancto suo ut visitet iniquitatem habitatorum terræ*: Divina igitur sapientia hìc locum habere non poterit.

Job 12. 12.

Isa. 65. 20.

Quomodo sapientia, & amor simul sunt.

Cant. 1. 2.

Ad Philip. 2. 7.

Isa. 26. 21.

In tribulatione non opus est sapientiâ.

5. Amorem quoque deserendo, non videtur sapientiam divinam se in tribulatione immiscere debere: magna siquidem est diversitas inter fabricare, & destruere. Ut ædificium regale extruas, Sapiens architectus requiritur, qui insigne componat exemplar, situm eligat, materiam disponat, omniaque agenda constituat. Si verò de domo destruenda, de pariete evertenda

agas, non requiritur homo ſapiens, ſed fortis quiſpiam malleo aut alio inſtrumento illum ſubitò dejicit. Sed tribulatio quid eſt? Ædificatio fortè? imò eſt deſtructio. Dum in ſacra ſcriptura domum aliquam aut perſonam felicem redditam, affirmare cupimus, dicitur illam ædificatam eſſe; cùm autem infelicem, & miſeram, deſtructam dicimus. De obſtetricibus Hebræis quæ contra Pharaonis edictum maſculos ſalvaverant, dicit ſcriptura, quòd Deus illis benedixerit, fabricando domos:
Exod.1.21. *Propter hoc ædificavit illis domos*: dum autem in Pſalmo dicitur;
Pſal.126.1. *Niſi Dominus ædificaverit domum*; id eſt, niſi Dominus feliciter egerit; ideoque explicando in quo conſiſtat hoc ædificium dicitur: *Ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris*. De Idumæis Deus
Malach.1.4 loquens, clariùs id teſtatur: *Ipſi ædificabunt, & ego deſtruam*: ſed propoſito noſtro magis con-
Prov.14.1. gruit illud Sapientis; *Sapiens mulier ædificat domum, mulier autem ſtulta, extructam quoque manibus deſtruet*: In hac ſententia totum quod probare intendo continetur. Primò per ædificare, ſignificari proſperè agere; non enim vult dicere Sapiens, mulierem prudentem per ſe ædificium domus erigere, ſed quòd illam bonis & divitiis augeret; è contrà autem ædificium deſtruere, eſſet familiam evertere; ita ſiquidem opponitur præcedenti. Dico inſuper ædificare tali modo effectus eſt Sapientiæ; dicitur enim quòd *Sapiens mulier ædificat*; non ſic de deſtructione, quia illa attribuitur ſtultæ mulieri.

Deus abſque reſpectu caſtigat.

6. Clariùs quoque idem patet, nullum ſiquidem ſtoliditatis, & inſipientiæ alicujus majus ſignum; quàm ſi omnes abſque reſpectu percutiat, tam parentes, quàm alios amicos: cumque eò ſtultitiæ devenerit, ligatur, & includitur. Hercules à Poëtis introducitur inſtar ſtulti, uxores filioſque occidentis: Palamides quoque in eo reperit Ulyſſem non fuiſſe ſtultum dum littus araret, quia filium ſuum ante ſe poſitum, aratro declinare noverat, ne occideret. Deus igitur quando nos affligit, quomodo percutit? Indifferenter ſine intuitu bonorum, ac malorum, amicorum, aut inimicorum, quia ex omnibus videmus afflictos. Bonos affligit, quia *Quem* Hebr.12.6
diligit Dominus caſtigat; & Apoſtolus ait: *Omnes qui piè volunt vi-* 2.ad Tim.
vere in Chriſto perſecutionem pa- 3.12.
tientur. Quid ultra deſiderandum? an clariùs videre cupitis? Deus ipſe ait, quòd inſtar hominis furioſi eos pedibus conculcet; *Calcavi eos*, inquit per Iſaiam, *In furore meo, & conculcavi* Iſa.63.3.
eos in ira mea: Non ergò à ſapientia tribulatio diſtribuitur. Nimis tamen levis videretur,

qui

qui propter talia apparentia argumenta se decipi permitteret; & divinæ sapientiæ cognitionem omitteret. Ut autem hoc clariùs exhibeamus, advertendum in primis duas esse sapientias, practicam, & speculativam: hæc ad intellectum, illa ad operationem dirigitur; hæc naturas rerum penetrat, illa efficere novit. Hæ ambæ in Deo reperiuntur: etenim si audias quod; *Numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*; tunc secundam recognosce sapientiam; si autem percipias, quòd *fecit cælos in intellectu*, tunc primam intellige. Secunda omnibus hominibus communicata; quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: prima super omnes creaturas effusa est; quia *Effudit eam super omnia opera sua.* Quænam autem ex illis in tribulatione invenitur? utraque admirabiliter uti ex dicendis patebit.

Sapientia practica, & speculativa.

Psal. 146. 4.

Psal. 135. 5.

Ioan. 1. 9.

Eccli. 1. 10.

Cor humanum Labyrinthus.

7. A speculativa igitur incipientes, dico nihil esse intellectu difficilius, quàm humani cordis inventiones. Nullus Labyrinthus adeò implicitus, nulla vorago adeò obscura, nullum mare adeò profundum, nihil adeò impenetrabile, quàm cor humanum. Inter vias difficiles, fallaces, ambagibusque contortas absque ullo errore incedere, valde est difficile; cùm tamen reperiantur personæ à quibus interrogando cognoscere possumus, aliisque conjecturis ad exitum pervenire; sperandum est nos tandem evasuros. *Cor humanum ambagibus plenum; Pravum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Quis ergò cogitatione illud penetrare poterit absque ullo errore? quod pejus quoque est, signa quæ ad viarum directiones sunt constituta, sæpe nos fallunt, & à recta semita avertunt. Pulchra, & gratiosa facies, cor benignum, & amabile indicat; sed signum est fallax, quia *fallax gratia, & vana est pulchritudo*; ideoque de Salvatore nostro dicitur, illum cum gratia veritatem conjunxisse: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Lingua ut dux hujus semitæ se offert, sed varios connectit dolos; *Lingua tua concinnabat dolos.* Inter omnes autem cordis inventiones, malæ, difficiliùs cognoscuntur; homo siquidem quantum potest eas celare quærit. Peccatum in se valde obscurum, nullam habens entitatem, vix cognosci potest, dicente Psalmistâ: *Delicta quis intelligit?* quid ergò erit de peccatis cogitationum? Illa tamen Deo occulta esse credetis? Nequaquam, omnia quippè perfectissimè in sua essentia cognoscit, nec aliquo indiget medio; si tamen aliquo indigeret, nullum credo convenientius reperiri posse quàm tribulationem.

Ierem. 17. 9

Prov. 31. 30

Ioan. 1. 14.

Psal. 48. 9.

Psal. 18. 13.

Tribulatio veritatem cognoscere facit.

8. Principes, & leges nullum convenientius medium ad confessionem delictorum extorquendam invenire potuerunt, quàm tormenta adhibendo, & potissimum illud quo fune brachia retrò ligando, ex alto dimittitur pendere. Tali modo operatur Deus, hac tamen differentiâ, quod tribunalia humana fune suspendunt brachia, sed Deus corda. Salomon in proverbiis suis id rectè indicat: *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus*: quasi diceret, adeò est homo mendax, ut adversum se quoque mentiatur, sibique persuadeat actiones suas bonas esse. Deus verò quid efficit? *Appendit corda*, suspendit corda in altum, illa ponderat, & cruciat, quasi tormenta infligendo. Scrupuli quippe, conscientiæ timores, & angustiæ mentis, quid aliud esse creditis, quàm cruciatus, & tormenta à Deo inflicta, ut veritatem cognoscas. Membrorũ connexiones in suspensione dissolvuntur; hîc autem cordis conjunctiones sæpius dissipantur; *Rupti sunt articuli cordis mei*, dicebat S. Propheta Job juxta versionem Septuaginta interpretum; ubi nos legimus, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt*. Interrogat patientem judex, pari modo Deus inspirationibus bonis peccatorem docet, & admonet; *In cogitationibus impii, interrogatio erit*, inquit Sapiens: Græca autem versio habet, *Inquisitio erit*; quasi diceret, licet non sit accusator rei, Deus tamen per viam inquisitionis ex officio procedit, veritatem inquirens, quam te confiteri desiderat, cùm ipse meliùs te illam cognoscat.

Prov. 21, 2.

Job 17. 11.

Sap. 1. 9.

Solus Deus cognoscit corda.

9. Quando dicere volumus, illum optimè nosco, dicere solemus, scio quantum valeat; in veritate tamen nullus hoc affirmare posset, quàm solus Deus; nullus proprium valorem cognoscere poterit, homines quippe se mutuò æstimando decipiunt, quia *mendaces filii hominum in stateris*; unus alteri insupportabile videtur pondus; qui illos rectè ponderare novit, nisi solus Deus; *Appendit autem corda Dominus*. Licet quoque dum plura simul ponderantur, non videmur pondus uniuscujusque nos posse exactè cognoscere, sed singula à se mutuò separanda sunt; Deus tamen hac separatione non indiget, sed in corpore humano cor ipsius ponderare novit; *Appendit autem corda Dominus*.

Psal. 61. 10.

Prov. 21. 2.

Cor humanum vanum.

10. Dices fortassis, aliqua sunt corda humana adeò levia, ut nihil ponderent, quomodo illa ponderari poterunt? *Cor eorum vanum est*, de aliquibus dicebat Psalmista. Alibi quoque ajebat homines adeò esse vanos, & leves, ut si in una bilance constituatur homo, alterâ vacua relictâ,

Psal. 5. 10.

ctâ, ille tamen præ levitate in
Psal.61.10. altum ascendet; *Mendaces*, inquit, *filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate, in idipsum.* Textus Hebræus proprius habet; *Mendaces filii hominum in stateris, ad ascendendum ipsi præ vanitate*; homines videlicet adeò sunt vani, & mendaces, ut si in bilance cum eadem vanitate ponantur, hæc gravior apparebit, illique, in altum elevabuntur. Ita in veritate evenisse videtur Balthasari Babyloniæ regi, cui
Daniel. 5. 27. Daniel dixit: *Appensus es in statera, & inventus es minùs habens*; sed quidnam ex alia bilancis parte constitutum fuit? & in quo inventus es minùs habens? nullius ponderis hîc mentio fit; fuit ergò minoris ponderis, quàm ipsum nihil? quomodo igitur ipse, & alii, nihilo similes ponderari poterunt?

Deus spirituum ponderator.

11. Ad hoc respondendo dico, Deum res illas optimè novisse ponderare, quæ nullum habent pondus; teste siquidem
Pro ver. 16. 2. Sapiente; *Spirituum ponderator, est Dominus.* Ventus non tantùm ullum habet pondus, verùm etiam res alias leviores reddit, & in altum elevat; Deus tamen illum ponderare novit, dicente
Iob 28. 25. Propheta Job: *Qui fecit ventis pondus.* Sed quodnam pondus, & statera quâ Deus corda, aliaque levia ponderat? Tribulatio,
Prov. 16. 11. ita Salomon testatur dicens: *Pondus, & statera judicia Domini sunt*, & S. Cyprianus ait: *Terrenis tentationibus probat nos Dominus, & his sæculi malis scrutator Christus expendit.* S. Cyprianus lib. de laudib. mart.

Tribulatio purgat, & probat.

12. Ut aurifices puritatem, & valorem auri probent, utuntur bilance, & igne; primò siquidem aurum ponderantes, illud igni imponunt, iterumque ponderant; si autem per ignem nil ponderis diminutum fuerit, bonum, ac perfectum judicant; quod si diminutum erit, signum est non fuisse bonum, nec purum, quia igni resistere non potuit. Tribulatio nobiscum officium ignis, & bilancis exequitur, quia purgat, & probat; incendit, & ponderat. Hoc rectè S. Jacobus intelligens dicebat:
Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Quasi diceret, sitis ut aurum, quod supremus artifex variis experientiis, ignis & ponderis probat, ideoque si sitis patientes, eritis sicut aurum quod probatum, & ponderatum, semper idem manet, nec in ullo deficit. Ad hoc propheta regius allusisse videtur dũ dixit: Iacob. 1. 2.
Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas; probando me Domine, & ponderando, nulla in me fuit reperta inæqualitas: Psal. 16. 3.

litas: eumdem me in prosperitate, & adversitate habui. S. Gregorius Papa exhortabatur omnes non se in hac bilance allevare, vel deprimere debere, dicens: *Non nos prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur.*

S. Greg. homil. 6. in Evang.

Deus corda in tribulatione numerat.

13. Nec Deus solummodo tribulatione corda ponderat, verùm etiam numerat; in rebus siquidem pretiosis, non tantùm ad pondus, verùm etiam ad numerum respicitur; unio siquidem unius libræ plus valebit, quàm decem aliæ, quia rarum est talem invenire. Deus non solùm corda ponderat, verùm etiam enumerat; aliqui locum supra citatum legunt; *Numerat autem corda Dominus*; scit enim Dominus si cor simplex habeas, aut duplex, sisque ex illis de quibus Sapiens ait: *Væ duplici corde*; & Propheta regius; *in corde, & corde locuti sunt*; unum videlicet in ore, & alterum in pectore gerebant. Uno corde Deum in prosperitate benedixerunt, & alio in adversitate maledixerunt. De his S. Gregorius Papa intelligit locum illum psalmi 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei,* adjungens: *In hoc mens justa, ab injusta discernitur, quòd omnipotentis Dei laudem inter adversa confitetur, quod non cum rebus frangitur, non cum casu gloriæ exterioris cadit; sed in hoc magis, qualis cum rebus fuerit, demonstrat, quæ & sine rebus robustior stat.*

Prov. 21. 22. Eccli. 2. 14. Psal. 11. 3. Psal. 48. 19. S. Gregor. in Psal. 48.

Deus per tribulationem nos aspicit.

14. Ut res longè dissitas intueamur, solemus perspiciliis ad hoc præparatis uti; sed Deus licet cuncta prospiciat, nec his indigeat, de tribulatione tamen loquitur, ac si hæc instar perspiciliorum illi profuisset. Sic per Moysen populo Israëlitico dixit; *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur.* Non ergò hæc Deus ante noverat? Noverat quidem, sed hoc medio effectum se consecutum vidit, quasi perspiciliis utendo. Hinc sponsa in Canticis de illa dicebat: *Prospiciens per cancellos*: hi sunt ligna inter se ita composita, ut undique crucem forment, per quam dilectus sponsam suam intuebatur; & tribulationes sunt perspicilia per quæ Deus nos intuetur & cognoscit.

Deut. 8. 2. Cant. 2. 9.

Sapientia divina perfectissima.

15. Ut aliquis in judicio testimonium ferre possit, multæ requiruntur conditiones; non sufficit per conjecturas cognoscere, nec per aliorum auditum, sed nobilior sensus, visus nempe requiritur; nec qualiscumque visio, sed clara, vicina, & nullo modo fallax, tantæque requiruntur conditiones, ut vix ullum reperiatur absque exceptione testi-

testimonium. Deus verò ita perscrutatur corda nostra, ut possit exhibere testimonium omni exceptione majus. Id Sapiens rectè restatur dicens: *Quoniam renum illius testis est Deus*: Si tamen Deus est testis quis habet auctoritatem eum examinandi, ante cujus judicium comparere debet? Non vult dicere Deum veraciter in judicio testimonium dicere, sed illum adeò bene nos cognoscere, ut testimonium omni exceptione majus reddere posset, si vellet; ideoque sequitur; *Et cordis illius scrutator est verus*: & Apostolus ait: *Non est ulla creatura invisibilis, in conspectu ejus*; quia Sapiente teste; *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem*; nec ullum adest impedimentum, quia *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Meritò igitur à S. Joanne illi inter cæteros titulos tribuitur præclarus hic titulus, quòd sit *Testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.* De Cicerone legitur, illum magis æstimasse se testem veracem esse, quàm Oratorem perfectum; cùm ergò Crassus crederet eum injuriâ afficere dicendo plures suo testimonio castigatos, quam suâ eloquentiâ absolutos fuisse; ait de hoc maximè glorior, me veraciorem, quàm eloquentiorem esse. Pariter Deus noster inter præclaros titulos, quales sunt mortis triumphator, princeps regum terræ, primum locum testis fidelis, & veracis obtinet, propter summam ejus sapientiam.

Sap. 1. 6.
Ibid.
Hebr. 4.13.
Eccli. 23. 28.
Hebr. 4.13.
Apoc. 1. 5.

16. In quo tamen Deus hanc suam sapientiam cognoscere facit? In tribulatione præcipuè, quia non solùm opera mala palam facta, verùm etiam abscondita, non solùm actiones, verùm etiam cogitationes punit. Quoties aliquis se à Deo castigatum sentit, & nescit qua de causa? Si tamen veritatem fateri cupit, dicet, si opere nullum malum perpetrem, cogitatione tamen perpetrare potui, ideò justè à Deo punior. Quandoque evenit quempiam valde divitem reputari, multos habere servos, domum optimè tenere ornatam, vestibus præclaris decoratum, & subitò in carcerem dejici, omniaque divendi, quia debitores insurgẽtes eum quiescere non sinunt, cùm non habeat unde solvat. Quid sibi hoc vult? multa contraxerat debita occulta, & videbatur esse quod non erat. Peccator Deo plurimum debet; *Duo debitores erant fœnatori*; meritis tamen videtur dives, multa siquidem opera bona exteriùs facit, ab hominibus autem non cognoscitur, quia scripturæ computus illius sunt occultæ. Quales sunt istæ scripturæ? Cogitationes cordis, ita S. Job ait: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*:

Deus etiam occulta punit.
Luc. 7.41.
Iob 17. 11.

Paraphrastes Chaldæus habet, *Tabulæ cordis mei*; quasi diceret scripturas, olim siquidem in tabulis scribebant. Clariùs Jeremias Propheta idem exhibet dicens: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo*; in qua charta? *Super latitudinem cordis eorum.* Quãdo Deus exigit rationem, aut palam has scripturas cognoscere facit? Dum tribulationes immittit, hæc enim est pecunia quâ solvitur hoc debitum: *Misit eum in carcerem, donec redderet debitum*, unde dicere audeo, præcipuam radicem nostrarum tribulationum inde consurgere.

Ierem. 17. 1.

Ibid.

Matth. 18. 30.

Ex corde tribulationes.

17. Sacra scriptura, inquit, seminari, & meti dolores; *Vidi eos, qui seminant dolores, & metunt eos*, sed quod semen? absque dubio peccatum, *Per peccatum mors*: quæ terra, in quam hoc semen projicitur? An hæc quam pedibus calcamus? nequaquam, quia *De humo non oritur dolor*, inquit, Propheta Job. Alius ergò campus inquirendus; rationi siquidem consonum est, ut unusquisque possessionem suam seminet, quæ autem hæc possessio? cogitationes cordis, vel etiam cor ipsum, ideoque ubi in S. Job habetur, *Cogitationes cordis mei dissipatæ sunt*: textus Hebræus habet; *Possessiones cordis mei*: hic ergò est ager ubi seminantur dolores, & tribulationes, & consequenter inde metuntur. Hoc pariter intellexisse videtur S. Job dum de filiis suis dixit; *Ne fortè peccaverint, & benedixerint Deo in cordibus suis*: ne videlicet malum semen blasphemiæ in corde suo sparserint, & plurima mala colligant. Diluvium universale mundum inundans, quid fuisse creditis? collectio, & messis hujus seminis, ita enim inquit scriptura; *Videns Deus, quod cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore, delebo, inquit, hominem.* De impiis quoque universaliter inquit Sapiens: *Impii autem secundùm quæ cogitaverunt correptionem*, id est, *pœnam, habebunt.* Apud homines non hæc pœna in usu est, non quia benigniores, sed quia insipientiores non cognoscentes cordis occulta, si enim cognoscerent, crudeliùs procederent. Dionysius tyrannus quemdam occidere curavit, quia dixerat se somniasse, quòd illum occideret; unde dicebat, illud non tibi evenisset somnium, nisi vigilans de eo cogitasses, sicque cogitationes puniebat.

Iob 4. 8.

Rom. 5. 12.

Iob 5. 6.

Iob 17. 11.

Iob 1. 5.

Gen. 6. 5.

Sap. 3. 10.

18. Nec Deus solùm cognoscit cogitationes diu persistentes, verùm etiam subitò occurrentes, & transeuntes, levissima cordis intentio, si mala sit, punitur. Ita se expertem esse testatur propheta David, indeq; altissimã deducit consequentiam essentiæ divinæ: *In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus*

Deus minimas cogitationes cognoscit.

Psal. 55. 10.

meus es tu : quoties ad orandum accedo, adverto te Deum meum esse, sed quomodo hoc David, an miraculum aliquod notasti? Omninò, & quidem magnum;
Psal. 65.18. quale hoc est; *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; quod subitò atque minimum commisi peccatum, aut de eo cogitaverim, Dominus me non exaudiat. Ex hoc colligis illum esse Deum? omninò, nullus siquidem eo excepto, adeò perfectè cordis occulta percipere potest: quis ergò non admirabitur infinitam Dei sapientiam? Vulpes multùm à calliditate laudata, dum siquidem flumen congelatum transire debet, primò aurem apponit, si fortè murmur fluentis aquę percipiat, si quippe audiat, signum est glaciem non esse densam, unde transire desinit. Pari modo Deus nobiscum agit, qui minimum cordis murmur subitò percipit, ideoque nil illum fallere potest.
2. Reg. 14. 14. Omnes sumus instar aquæ fluentis; *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*, dixit Sapiens mulier Thecuites; sæpiusque externa apparentia, multùm ab interna
Matth. 7. 15 differt; *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*; nullum tamen murmur adeò lene excitatur, quod auris Dei non percipiat, teste
Sap. 1. 10. Sapiente; *Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur*. Murmuret aliquis secretò in corde suo, Dei auditum fallere non poterit. Parum dixi, non auribus solùm (nostro modo loquendi) verùm etiam oculorum intuitu cuncta penetrat. Hoc præclarè explicat Sapiens dicens: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem*, ita ut nihil illos effugere possit: *Hominum corda intuentes in absconditas partes*. Homo nullum corpus perfectè, & totaliter intueri potest, si enim anterius aspexerit, posterius non videbit, si à dextris, non videbit à sinistris: Deus verò ex omni parte prospicit; *Profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*: Nihil ergò amplius ad sapientiam Dei speculativam, requiri potest. Eccli. 23. 28. Ibid.

Cor lucerna respectu Dei.

19. Mirabilem reperit ars inventionem, ignem clausum, non occultum tamen deferendi; à ventis separatum, visui tamen expositum; illum nimirum in vase aut lanterna vitrea deferendo, quæ cùm transmittat fulgorem, non solùm illuminat; verùm etiam longiùs, & clariùs juxta vitrorum dispositionem splendorem emittit. Sed respectu Dei, quid creditis esse cor impii? Non aliud quàm lucerna vitrea intus accensa; caro, pellis, ossa, & quidquid in homine est, instar vitri respectu Dei est: cogitationes autem, operationes iniquæ & affectus impii, flamma & ignis est. S. Joannes in sua

 Apocalypsi

Apocalypsi id præclarè testatur, dicens se vidisse impios sub nomine maris vitrei, igni permixti:
Apoc. 15.2. *Vidi tamquam mare vitreum mixtũ igne.* Sed cur non potiùs paludi lutoso, cùm sint immunditiâ, & sordibus pleni? Vel puteo profundo, & tenebroso comparat; cùm maximè tenebras, & obscuritates diligant? Hac utitur similitudine, juxta graves auctores, ut nos doceat, omnia illorum scelera licet occulta, Deo esse manifesta, non minùs quàm flamma intra lucernam vitream. Optimè id percipiens Propheta
Psal.138.12. David ajebat: *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*: peccata videlicet occulta, in tenebris commissa, non erunt tibi abscondita, cùm ea quæ oculis nostris tenebræ apparent, tibi clarissimâ luce fulgeant, & nox nostra, clara tua
Prov. 16.2. dies sit: quia *Omnes viæ hominis patent oculis ejus*, vel ut alii legunt, *vitreæ in oculis ejus*; omnia sunt transparentia, omnia aperta; clarè ergò omnia cognoscit, nec ullum oblivionis periculum subest.

Deus actus omnes observat, & punit.

20. In Ecclesiis collegiatis canonicorum, aliqui sunt deputati, qui absentes denotent, licet enim statim nihil ipsis intimetur, quando tamen ad solitas distributiones percipiendas pergunt, se notatos reperiunt, unde tantum illis tunc demitur. Pariter nobis evenit, peccamus, nec est qui recogitet; Deus autem observat, & notat omnes defectus nostros in libro memoriæ suæ, cumque minùs cogitamus, nobis hoc reputat. Hoc rectè collegerat David, ideoque dicebat: *Imperfectum meum viderunt oculi tui,* Psal.138.16. *& in libro tuo omnes scribentur*: clariùs quoque Propheta Jeremias: *Vigilavit jugum iniquitatum* Thren. 1. *mearum in manu ejus*; ex Hebræis 14. legitur: *Punctis notatum est*: Notatæ fuerunt omnes iniquitates meæ, ut suo tempore castigentur. Homines quoque quandoque notant, & observant, sed pessimè, quandoquidem ut dixit quidam; *Dant veniam corvis, vexat censura columbas.* Vel ut melius dixit Salvator: *Excolantes* Matth. 23. *culicem, & camelum deglutientes.* 24. Talis fuit Heli licèt summus Sacerdos, qui patienter scelera filiorum suorum sufferens; postmodum Annam devotè Deum obsecrantem, templo expellere cupiebat. Tales erant amici Job, qui inter gentes sceleratas degentes, neminem quàm innocentem Job observabant. Talis erat Dominus Josephi in Ægypto, qui illum ut adulterum in carcerem trusit, cùm fuerat castissimus; & fideliter custodivit consortem suam, qui marito fidem fallere voluerat. Totum hoc ex debilitate humanæ visionis provenire debet, quæ secreta cordis penetrare non

Homines vanè observant.

non novit, nec rectè cognoscit ea quæ videt. Baculus media ex parte in aquis positus, licèt integer sit, ruptus apparet, aut contortus; quia fallit imago; pecunia in aquis posita, major apparebit quàm extra illas; sicut quidam dicebat: *Minuit præsentia famam.* Quotidiè insuper experimur ex qualitate perspiciliorum, falsificari judicium, quod per seipsos oculi rectè judicarent; si enim perspicilia sint rubra, aut viridia, talia videbuntur objecta; si punctis distincta, multa variaque exhibebunt objecta, quod unicum est: nulla quoque objectum ut in se est demonstrant. Quod ergò oculis corporis evenit, dum medio sensibili uti cupit, intellectui pariter accidit; quod corporeis phantasmatibus, & quandoque propriis passionibus sicut perspiciliis utitur.

Deus rectè judicare novit.

21. Deus autem qui nullo medio, sed perfectissima sua, & immutabili essentia utitur, omnia perfectissimè cognoscit. Id clarissimè demonstrat, in correctionibus & castigationibus, quas uni potiùs quàm alteri immittit, licèt hominibus æqualis occasio apparet. Ita Abraham tam benè ac Sara ridebat, hæc tamen reprehenditur, ille non; quod S. Augustinus considerans ait: *Quia illius risus, admirationis, & lætitiæ fuit; Saræ autem dubitationis, & ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum novit.* Ita Gedeon, & Zacharias requirunt signum aliquod prædictionis Angelicæ, hic tamen punitur perditione loquelæ; ille verò præmiatur obtinendo cuncta quæ volebat. Pharao, & Abimelech, auferunt Abrahamo Saram; Deus verò illum punit ut adulterum, nō verò hunc: quod S. Ambrosius considerans meritò ait: *Verè Deus interioris est arbiter conscientiæ, ac mentis interpres.*

S. August. quæst. 36. in Genes.

S. Ambr. lib. 1. de Abraham. cap. 3.

Deus præposteris armis nos castigat.

22. Clariùs divina sapientia elucet in mediis, quibus ad castigationem alicujus utitur: sicut enim insignis Theologus cum persona indocta disputans, non sufficit illum evincere, sed quærit omnia ipsius argumenta in illum retorquere. Pari modo Deus nobiscum agit, ut magis confundat, qui se sapientes jactant; non solùm adinventiones illorum dissipat, & dolorem reperire facit, ubi se sperabant gaudium invenire; verùm etiam ad hunc finem mediis, & argumentis illorum utitur. Pharao optimum credebat fore remedium regnum suum stabiliendi, omnes Hebræorum infantes in flumen projicere; & quia Moyses in flumen projectus fuit, magnus evasit, ejusque regnum destruxit. Fratres Josephi venditione ejus se credunt à superioritate liberandos; & viam sternunt, qua vice rex Ægypti evadat,

Exod. 1. 22.

evadat, & Dominus illorum constituatur. Sed quid mirum hoc modo homines confundi, cùm eodem modo dæmones ipsi devicti fuerunt, qui credentes per Crucem gloriam filii Dei se planè destructuram, per ipsam confusi, omniqúe honore, & dignitate spoliati fuerunt. Ita S. Basilius id præclarè testatur dicens. *Si Princeps iste mundi primus, maximus, & invisibilis mundanæ sapientiæ Sophista; sui ipsius comentis capitur, & in extremam revolvitur insipientiam, multò magis illius discipuli, & æmulatores etiamsi innumera commententur, ubi se sapientes esse dicunt stulti facti sunt.*

S. Basil. homil. 22. de humil.

Sapientia divina castigationi conjuncta.

23. Talis denique unio inter sapientiam divinam, & castigationem ejus reperitur, ut etiam Ægyptii illum intelligentes, uno solo insigni Hieroglyphico expresserunt; oculum siquidem sapientiæ symbolum, in summitate virgæ castigationis instrumento depingebant. Eodem quoque Hieroglyphico Deus ipse usus, dum Prophetæ Jeremiæ virgam vigilantem ostendit; & sibi ipsi illam applicavit dicens: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo.* Rectè inquit, vidisti, sicut enim hæc virga oculis apertis erecta est, sic ego diligenter attendam, ut cuncta impleam, quæ locutus sum. Oculus ergò & virga bene conjunguntur, quia sapientia, & castigatio divina semper uniuntur. Non punit Deus inadvertenter, non ab ira, aut odio commotus, non conturbatur variis passionibus oculus, ut de seipso testatur David dicens: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*: sed summâ sapientiâ, & discretione id peragit. Nec sapientia illius speculativa solùm aut otiosa est; verùm etiam operativa, & practica puniens delinquentes; idem quippe est dicere ipsum velle descendere, & videre iniquitatem aliquorum; quàm dicere se firmiter proposuisse illos juxta delicta ipsorum castigandos. Supra virgam quoque, & non à latere ponitur oculus, quia sapientia excedit punitionem, illamque dirigit, & disponit ad illos altissimos fines quos destinavit. A virga fertur oculus, apud nos siquidem nullum clarius argumentum sapientiæ divinæ, quàm castigatio impiorum; qui dum non puniuntur, dicunt Deum ista non considerare: *Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.*

Ierem. 1. 11.

Psal. 30. 10.

Psal. 93. 7.

Sapientia practica in Deo perfectissima.

24. Quid de practica sapientia dicam? Inter omnes artes, nobilissima est militaris, in qua potissimùm excellit, qui rectè scopum collimare novit, & sagittam, seu globum ita dirigere, ut eum feriat quem desiderat, licèt quandoque aberret. Sed Deus noster expertior aliis numquam

quam aberrat in directione sagittæ; in immissione videlicet tribulationis, de qua S. Iob ajebat: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* His sagittis ut scopus expositus fuit Ieremias Propheta; *Posuit me quasi signum ad sagittam*: Sed quomodo successit? rectè semper infixit sagittas, dicit enim: *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Nec hîc sistit divina sapientia, sed ulteriùs procedens, etiam fugientem, & avem volantem ferire novit teste Osee Propheta: *Ephraim sicut avis avolavit*; Sed quid secutum? Sagitta Dei subitò illum attigit, sequitur enim in eodem capitulo, *Percussus est Ephraim.* Volitet, & fugiat peccator quò voluerit, Deus illum ubique intercipiet; *Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Tu peccator pennis favoris, divitiarum, & honoris te in altum sublevasti; credebasque volare feliciter, quando calumnia, aut mala lingua te in terram dejecit, quæ fuit sagitta à Deo immissa.

Iob 6. 4. Thren. 3. 12. Osea 9. 11. Ibid. 16. Psal. 138. 9.

Deus rectè ferire novit.

25. Ulteriùs videamus quàm insigniter Deus ferire noverit? De Imperatore Domitiano legitur, se plurimùm in sagittando delectatum fuisse, quod adeò exactè exercere noverat, ut Suetonius referat, illum capita Cervorum sagittis eodem planè modo tetigisse simulque coronasse, ac si de industria manu imposuerat. Aliâ vice puerum manus extendere, ac digitos disjungere curabat, interque illos sagittam transmittebat absque læsione illorum. Pari modo Deus nos sagittis tribulationis percutit, & coronat teste Isaiâ: *Coronans coronabit te tribulatione.* Isa. 22. 18. Verum quidem est Domitiani coronam mortem afferre; coronam verò Dei vitam tribuere, unde per Evangelistam Ioannem dicit: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10. Si manum insuper extendas, & digitos aperias, transibunt sagittæ. Pulchrè id Salomon si non in puero saltem in muliere probatum ostendit, quæ, *Manum suam aperuit inopi & digitos suos extendit ad pauperem.* Prov. 31. 20. Et quid inde secutum? *Non timebit Domui suæ à frigoribus nivis.* Ibid. 21. Licet sagittæ instar nivis de cœlo pluant, *Non timebit.* Clariùs inquit Salomon in oratione sua, quâ Deum precabatur, & prophetebat: *Fames si orta fuerit, in terra, & pestilentia, omnisque plaga, & infirmitas presserit, si quis de populo tuo fuerit deprecatus, & expanderit manus suas, tu exaudies de cœlo.* 2. Paral. 6. 28. Scitis verò Auditores quomodo manus expanduntur? Largam tribuendo eleemosynam, inquit Sapiens: *Non sit manus tua ad dandum collecta*; eleemosynam tribuens, porrige larga manu Eccli. 4. 36. inopi

inopi juxta necessitatem, nec expectes donec ultro à te petat.

SECVNDA PARS.

Deus perfectissimus miles.

26. Generosi milites nullâ arte, quàm militari delectari solent, vel quia ars militaris totum hominem requirat; vel quia excellentior omnium, ideoque non conveniat suis professoribus aliam exercere. Ad hoc probandum adducitur ingeniosum factum, Agesilai Regis Spartarum, qui cum Græcis de valore gentis suæ contendens, licèt regia Spartana, multo minor esset Græciâ, plures tamen milites producebat; quod tali modo probatum fuit, in solemni nempe populi frequentia, Græcis, & Spartanis pariter congregatis, publico tubicine proclamare fecit; ut omnes mercatores ibi præsentes assurgerent, postmodum omnes musici, postea Barbitonsores, sicque per omnes artes, ita ut omnes præsentes se erigerent Spartanis exceptis, qui militiæ tantum attendebant; unde socios alloquens ait, videtisne alias civitates præsentes plures habere artibus deditos, nos verò plures milites? Cum ergò probaverimus Deum nostrum in tribulatione se perfectissimum exhibere militem, nullam sagittam frustra jaciens; dicere possumus, nos abundè satisfecisse muneri nostro; practicam nempe Dei sapientiam, mirabiliter elucere, & exerceri in tribulatione. Hoc tamen non contentus vobis exhibere cupio in omnibus artibus miram Dei sapientiam clarissimè videri.

Dei sapientia in afflictis patet.

27. Quid enim Dei sapientia de personis afflictis non efficit? Si sit patiens, electa, & pretiosa format vasa suavissimi liquoris: sic de Apostolo Paulo dicit; *Vas electionis est mibi iste, ut portet nomen meum*; quomodo autem Act. 9. 15.
format? Per tribulationem; *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Candelabra efficit, ut gloriæ suæ lumen sustineant: Sic S. Petro dixit: *Cùm senueris alius cinget te, & ducet quò tu non vis*: ad quem Ioan. 21. 18.
finem, ut gloriæ suæ facem sustineat; *Significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* Sed mors quæ lumen viventibus adimit, quæ vitæ lucernam extinguit; poterítne illuminare quempiam? quæ ad tenebrarum regionem conducit, quomodo claritatem reperiet, & claritatem Dei qui lucem habitat inaccessibilem? Verum quidem est per seipsam id efficere non poterit, sed pro candelabro inservit, facem confessionis fidei, in martyribus elevans, per quam subitò nobis gloria Dei elucescit.

Cuncta per tribulationem format.

28. Columnas quoque efficit, quæ thronum Dei sustinent: *Qui*

Apoc.3.12. *Qui vicerit*, fortiter nimirum tribulationes sufferendo, *faciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super illum nomen Dei mei.* Coronas mirabiles fabricat; Isa, 62, 3. *Eris corona gloriæ, in manu Domini.* Instrumenta musica efficit, quæ Dei manu contacta gratissimum reddunt sonum: Isa, 16, 11. *Venter meus sicut cithara sonabit.* Naves format, quæ per mare tribulationis ad portum æternæ Prov.31.14. salutis feliciter appellunt. *Facta est, quasi navis institoris.* Thronum ordinat Spiritus sancti, & suæ 1.Pet.4.14. divinæ gloriæ; *Si exprobramini in nomine Christi beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est spiritus ejus, super vos requiescit*; dicebat Apostolorum Princeps.

29. Sculpturam, & imagines præclaras de tribulatis efficit; Zach.3.9. *Ego cælabo sculpturam ejus.* Imagines quoque adeò excellentes, ut exemplaria appareant; Nahum 3. 6. *Projiciam super te abominationes tuas, & ponam te in exemplum.* In his efformandis Deo accidisse videtur, quod duobus excellentibus pictoribus evenisse refert Plinius: Protogeni nempe canem anhelantem ad prædam, & Nealco equum spumanté pingere volenti; cùm enim arte, & penicillo ad vivum formare non posset albicantes spumas, quas equi currendo defatigati evomunt, in picturam suam indignatus, spongiam quâ penicillum purgaverat in illam projecit; sicque indignatio perfecit, quod ars non potuerat: adeò siquidem mirabiliter albus color spongiæ inhærens spumas effecit, ut naturales viderentur. Pari modo Deo quandoque evenisse videtur, cùm enim virtutũ suarum viva exemplaria efficere cuperet; non destitit penicillo gratiæ suæ uti, ut vivis beneficiorum suorum coloribus, bonisque inspirationibus animam perfectam redderet. Sed in vanum sæpius elaboravit, unde resolvit maculatam spongiam indignanter projicere; maculas nempe scelerum ante oculos ponere, illorumque delicta patefacere, & castigare, ac per indignationem efficere, quod pietate non valuerat; ita ut de peccatis suis dolentes, ad aliorum exemplum virtutibus repleri possint. Ad hoc allusisse videtur Propheta dum dixit: *Projiciam coram te abominationes tuas, & ponam te in exemplum.* Sicut denique ex molli materia qualis cera est cuncta efformamus quæ volumus; sic de corde humano in fornace tribulationis molli reddito, Deus cuncta efficit quæ desiderat. Cùm enim sit infinitę sapientiæ, nullus illum reprehendere potest, sed pro varietate, & pulchritudine ea efficere quæ desiderat. De cœco nato dicebat Salvator id accidisse: *Ut manifestarentur opera Dei in illo*, S. Ioan. 9. 3.

Deus tribulatione cuncta efficit. Nahum 3. 6.

Job quoque de seipso dicebat :
Iob 23. 14. *Cùm expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.* Quasi dixisset; nihil est quod de me Deus efficere non possit; postquam autem videtur voluntatem suam adimplevisse, non desunt illi multa similia; & hoc quia *mollivit cor*
Ibid. 16. *meum*, in fornace tribulationis. O quàm admirabilem scientiam practicam ostendit Deus per tribulationem: nec ulla supererit difficultas in rationibus solvendis, quæ contra hanc doctrinam objectæ fuerunt.

In Deo amor & sapientia simul est.

30. Quid enim dicebatur, amorem & sapientiam non posse simul esse? In corde humano verum esse poterit, quod cùm sit exiguum, si amori attendat, alteri rei vix se dare potest; ideóque antiquitus dictum fuit: *Amare, & sapere, vix Deo convenit*: Deo ergò non verò aliis concedi potest. Quid dicitis sapere senum esse, amare juvenum? Quin imò utrumque in Deo re-
Apoc. 1. 17. peritur, qui simul *Primus & novißimus*, juvenis & senex; *Antiquus dierum sedit*, ecce quàm senex; *Oriens nomen ejus*, ecce quàm ju-
Psal. 109. 3. venis; *Ex utero ante Luciferum genui te*, ecce ante tempus natus;
Psal. 2. 7. *Ego hodie genui te*; Ecce nunc productus. Si ergò juvenis & senex simul; quid mirum si sit amans, & sapiens? Ut juvenis est sapiens, de eo siquidem adhuc
Isa. 7. 15. puerulo dictum fuit; *Sciet reprobrare malum, & eligere bonum*; & de eodem jam sene dixit Propheta; *Fluvius igneus, rapidusque* Dan. 7. 10.
egrediebatur à facie ejus; flumen nempe amoris à facie ejus egrediebatur, antiquissimus siquidem amor in Deo est; *Charitate* Ierem. 31. 3.
perpetuâ dilexi te. Scientia quoque ut jam acquisita sæpius exhibetur, ut quando dicitur; *Nunc* Gen. 22. 12.
cognovi quòd timeas Deum. Licèt quoque verum sit utramque in Deo esse sine principio, & fine, nec consequenter absolutè dici possit, unam, alteram præcedere; humano tamen more loquendo, dicere possumus charitatem prius in Deo reperiri, quàm scientiam. Ratio autem hujus est, quia amor nullam habet à creaturis dependentiam; sed creaturæ è contra ab amore. Non enim Deus amat creaturas quia pulchræ, & bonæ; sed ideò sunt pulchræ, quia à Deo amantur. De scientia autem omninò contrarium dicendum; ego quippe non pecco, aut aliud facio, quia Deus scit me hoc facturum; sed è contrà Deus scit, & videt, quia ego hoc facio; ita ut creaturæ ab amore dependentes, & scientia certo modo à creaturis dependens, antiquior concipiatur amor, quàm scientia.

Deus libenter se communicat.

31. Quid dicitis Deum à seipso & proprio loco discedere, dum creaturas punit, quod sapientiæ contrarium, quę objecta

ad

ad se attrahit? Verum est si de de scientiæ acquisitione loquamur, non autem si de possessione ejusque effectibus. Sicut enim ad scientiæ acquisitionem necesse est illam vel à doctrina magistri, vel ab imaginibus objectis recipere; pari modo cùm recepta fuerit, libenter se in aliis diffundit. Deus nullam sibi acquirere debet scientiam, cùm ab æterno sit sapientissimus; nos tamen bene indigemus, quod supra nos sapientiam suam effundat quod libentissimè exequitur: unde de seipso dicit: *Ego sicut fluvius Diorix exivi de paradiso.* Valde igitur naturale, & conforme est divinæ sapientiæ se creaturis communicare.

Eccli.24.41.

Amor cæcus, & Argus.

1.Corinth. 13.5.

32. Quid dicitis amorem cœcum esse? In rebus propriis verum est, quia, *Charitas non quærit quæ sua sunt*; sed in rebus objecti amati, est plus quàm Argus. Pari modo Deus in passione sua amore nostri quasi cœcus & stultus effectus est: dum verò de bonis nostris, & maximè de tribulatione agitur, vigilantissimus est. Ideò Jeremiæ Prophetæ monstrata fuit virga castigationis symbolum, cum oculis apertis: *Virgam vigilantem ego video.* Quid dicitis, illum quoque amicos, & filios percutere? Imò magis illos quàm alios, idque prudentissimè exequitur, distribuens pondera juxta fortitudinem uniuscujusque: quia verò amici ejus fortiùs tribulationes perferre possunt, indeque majorem haurire fructum, potiorem illis partem tribuit. Quid dicitis ad destruendum aliquid nullam requiri sapientiam? verum est si solùm destruere velint, si tamen aliquid velint simul destruere, & ædificare; ut si quis parietem perfodiat, ut fenestram, aut portam efficiat, multa requiritur sapientia. Hoc Deus per tribulationes efficit, terrestrem siquidem corporis habitationem destruendo, aliam in cælis ædificat. S. Paulus hoc clarè docebat dicens: *Scimus quoniam si terrestris nostra domus hujus habitationis dissolvatur, quòd æternam habemus non manufactam in cælis*: gloriam videlicet paradisi, de qua dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*; vel etiam proprium corpus post resurrectionem glorificatum, de quo per fidei certitudinem non dixit *habebimus*, in futuro, sed *habemus* in præsenti; quasi diceret certi sumus nos habituros.

Ierem.1.11.

2.Corinth. 5.1.

Matth. 25.21.

Primum documentum, timor, & consolatio.

33. Sed quandoquidem de sapientia loquamur, non debemus adeò esse stolidi, ut ex rebus dictis non advertamus, duos effectus in nobis causandos, timorem videlicet, & consolationem. Timor exinde causatur, quod nobis cum Deo omnia inspiciente, & cognoscente agendum. Quantum autem in nobis timorem causare debeat,

ex iniquis, & malis hominibus colligi potest, qui sæpius Deum decipere putant dicentes: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*; prout de peccatoribus dixit Propheta Regius. Quàm stultè dixerunt *non videbit Dominus*? Nónne siquidem; *Qui finxit oculos non considerat*, qui cunctis lumen, & claritatem tribuit, luce privatus erit? Cœci estis, & lumine privati, qui talia cogitatis, & somniatis. Fortè dicetis, licèt nos videat, non tamen castigabit; vos ipsos decipitis, Deus siquidem facillimè ab oculis ad manus devenit, à visione, ad castigationem. Hoc rectè intellexit Patriarcha Abraham cui Deus apparens & de infamibus civitatibus vicinis loquens ait: *Peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint*: quod Abraham intelligens, subitò ait: *Numquid perdes justum cum impio?* Mirabile quid interrogas Abraham, an Deus dixit se velle punire quempiam? dixit solummodo se velle videre; bene tamen noverat Abraham, peccatum adeò esse deforme, & castigatione dignum, Deumque adeò justum, ut certò possit colligi, ex visione illius punitionem secuturam; quin imò dici potest, in Deo idem esse, videre, & punire. Licèt tamen videat, & punire velit, non tamen id efficere sciet:

Psal. 93. 7.

Ibid. 9.

Gen. 18. 20.

Ibid. 23.

Sed hæc non minor stoliditas, in Deo siquidem non minor scientia practica, quàm speculativa, nullo siquidem medio, aut instrumento indiget, sed velle ipsius, perficere est.

34. Non hoc efficere possunt homines, licet enim sagittam emissam non rectè ad signum tendentem, motu corporis, aut manus adjuvare se velle demonstrant, in vanum tamen se movent; illa siquidem nullo motu, aut gestu emissoris, se movere, aut flectere ampliùs potest. Deus verò id rectè efficere novit, si enim sagitta ab illo emissa non directè ad signum tendit, illam rectè dirigere potest. Sagittæ divinæ sunt fulgura, sed quomodo hæc transeunt? *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, inquit Propheta; girando, & discurrendo ut experientiâ patet, & S. Job idem affirmare videtur juxta expositionem gravium auctorum his verbis: *Obstetricante manu, eductus est coluber tortuosus.* His tamen non obstantibus, creditísne illum ad destinatum signum pervenisse? Non potuisset rectiùs mitti. Ita testatur hoc Sapiens dicens: *Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tamquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Hoc expertus est Anastasius Imperator Orientis, qui hæresi sua præsumens cœlo bellum inferre, fulgure à Deo percussus interiit.

Visio Dei castigatio est.

Psal. 76. 18.

Iob 26. 13.

Sap. 5. 22.

interiit. Testentur hoc Marcomanni, contra quos ad instantiam legionis Catholicæ propterea fulminatricis titulo decoratæ, Deus tot fulgura emisit, ut omnes interierint. Primò tamen omnium id attestari poterunt Ægyptii, qui licèt Hebræis fugientibus commixti; à fulgure tamen ex columna nubis egresso, soli percussi fuerunt.

Timendus Deus omnia conspiciens.

35. Quomodo igitur non timebis offendere Deum, semper te respicientem, & mille modis te punire valentem? Quomodo æternum illum Monarcham, qui totus est oculus ut te videat; totus est pes, ut te assequatur; totus est manus ut te puniat, offendere audebis. Id præclarè testatur S. Augustinus dicens: *Deus, totus est oculus, totus manus, totus pes, quia omnia videt, omnia operatur, & ubique est.* Alibi quoque nos hortatur in omni loco nos modestos continere debere, quia Deus ubique adest: *Ipse*, inquit, *timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? videris; lucerna ardet? videt te: lucerna extincta est? videt te. In cubile intras? videt te, ipsum time, cui cura est ut videat te, & ut timendo castus esto; aut si peccaveris, quære ubi te non videat, & fac quod vis.* Non ergò in præsentia ipsius loqui deberes; ut bene intellexit sancta Mater Samuelis, quæ in cantico suo dixit: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, quia Deus scientiarum Dominus est.* Scit omnia Deus quantum sciri potest, nullus ipsum decipere potest; nec aliquid reperitur, quod ab ipso fieri non possit: nullus ergò in præsentia ejus gloriari potest.

S. August. epist. 3. ad Fortunat.

S. August. serm. 46. de verb. Domini.

1. Reg. 2. 3.

Sapientia Dei consolationem adfert.

36. Ingentem igitur timorem sapientia divina nobis incutere debet, sed majorem consolationem, maximè cùm sumus afflicti. Infirmus nullam majorem habet consolationem, quàm se in manibus medici expertissimi constitutum videns; licèt enim, ipsi potiones amaras, adustiones, venarum apertiones, & diuturnam inediam adferat; omnia voluntariè suscipit, scit enim cuncta sapienter pro salute sua ordinata esse, nec illi quidpiam porrigi, quod sufferre non possit. Sed quis expertior medicus Deo nostro? qui omnes animi ac corporis morbos perfectè sanare novit, dicente Prophetâ: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*: ordinat & disponit omnia sapienter; *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Ita ut potus illi datus licet sit amarus, est tamen salutaris; & unusquisque afflictus cum Propheta dicere potest: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* In medicis plus experientia, quàm scientia laudatur; dum enim infirmus conqueritur medicinam non rectè ordinatam, aut nimium sanguinem exhaustum; dicere solet medicus, credisne

Psal. 102. 3.

Psal. 79. 6.

Psal. 115. 13.

dísne me non cognoſcere quid faciam, aut me jam primò medicare incipere? medicus ſum antiquus, multâ experientiâ doctus, & à longè ſecutura prævideo. Ita Deus Jeremiæ dicebat: *Putáſne Deus è vicino ego ſum, & non Deus de longè?* Putáſne Jeremia me videre tantùm vicina, & præſentia, non verò longè diſſita, aut abſentia? ſi ita credis verè deciperis.

Ierem. 23. 23.

Deo omnia in tribulatione committenda.

37. In tribulationibus ergò noſtris omnia in manu Dei committenda ſunt; ſicut quoque infirmus medico quidem omnes morbos & dolores explicat, illi tamen curam medicandi committit. Pari modo nos Deo omnes infirmitates & neceſſitates aperire debemus, poſtea verò totum ipſi committere, juxta conſilium Prophetæ Davidis: *Revela Domino viam tuam, & ipſe faciet;* Quid faciet? Non hoc indicabit tibi, ſed noli dubitare, *Ipſe faciet.* Pythagoræ diſcipuli dicendo *ipſe dixit,* ſubitò remittebant omnia argumenta, & adhærebant doctrinæ illorum magiſtri, abſque ulteriori inquiſitione, aut probatione. Pariter nobis cum Deo agendum, quia non tantùm quod ipſe dixit, verùm etiam quod fecit, non poteſt niſi bonum eſſe. Dum aliquod opus ab artifice fieri volumus, ſolummodo ipſi mentem noſtram intimamus, & tunc ipſi reliquum committimus, ita cum Deo agendum: *Revela Domino viam tuam;* explica neceſſitatem, & tribulationem tuam, & tunc *ipſe faciet.* Quid faciet quod ipſi magis placebit, & animæ tuæ utilius erit, quod tu imaginari non poſſes.

Pſal. 36. 5.

Deus tribulationem dulcem reddit.

38. Medicus amarum dulce reddere non poteſt, nec ignem frigidum efficere. Divina tamen ſapientia novit amarum dulce reddere, & ardores refrigerare; Tribulationes denique dulces, & ſuaves reddere. Nónne videtis artem efficere poſſe ut fructus amari, & acerbi, ſaccaro conditi, & melle inuncti ſapidiores, & dulciores reddantur, quàm naturaliter eſſent? Pari modo dicite Deum efficere cum ſervis ſuis, tribulationes eorum ita condiendo, & paupertatis amaritudinem temperando, ut dulciores appareant, quàm omnes mundi voluptates. Certum eſt pauperi nihil accidere, quod amarum, & moleſtum non ſit; ſicut enim Sapiens ait: *Omnes dies pauperis mali,* ideò miſeriis, & afflictione pleni; ſi tamen ſit bonus & Dei amicus, totum convertetur in dulcedinem, teſte Pſalmiſta; *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus;* Sed quid paraſti? totum quod comedere, ſuſcipere, & pati debet: ita ut totum erit conditum, & præparatum cum ſaccaro divinæ dulcedinis; quis dubitare

Prov. 15. 15.

Pſal. 67. 11.

dubitare poterit, non fore suavissimum?

Gratia potentior naturâ. 39. Nónne pariter videtis quid Deus in regno naturæ efficere potest? nivem calefacere, nebulam exsiccare, & glaciem impinguescere facit. David ex *Ps. 147.16.* hoc admiratus dicebat: *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit; mittit crystallum suam sicut buccellas.* Quantò magis credendum est, idem per gratiam efficere, quæ majori privilegio, quàm natura dotata? ita certissimum est, idque quotidiè veri servi Dei experiuntur, qui cum Apostolo dicere *2. Corinth. 6. 9.* possunt; *Quasi morientes, & ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Ubi licèt illa particula *quasi* à multis pro nota similitudinis accipiatur, conformius tamen S. scripturæ est, signum esse veritatis; *Ioan. 1.14.* sicut dum dicitur: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à patre.* Negandum quoque non est, Apostolum fuisse pauperem, unde illud *sicut egentes*; non significat, illum non verè fuisse pauperem, & tantùm similitudinem quandam habuisse: sed verè & realiter talem fuisse. Ideoque *Deus per tribulationem lætificat.* eodem modo intelligenda sunt verba sequentia; *quasi* & *tamquam.* Sed quomodo simul divites, & pauperes, tristes & hilares, mortui & vivi esse possumus? Hic est mirabilis divinæ sapientiæ effectus, per paupertatem divitem reddens, per tristitiam lætificans; per mortem vivificans: sicut enim vinum in ore refrigerat, & in stomacho calefacit; quia juxta Philosophos formaliter est frigidum, & virtualiter calidum: sic paupertas, tristitia, tribulatio, & mors formaliter sunt tales, sed à Deo virtutem accipiunt effectus omnino contrarios causandi. Ita S. Tiburtius prunas ardentes rosas putabat, S. Agatha carcerem thalamum nuptialem, S. Stephanus lapides dulces, S. Laurentius craticulam accensam mollem lectum, aliique sancti tribulationes, & mortem ipsam, consolationes, delitias, & vitam reputabant. Quid dicitis, vos non experiri hos mirabiles effectus? Hoc est, quia non omnino vos resignatis in manibus divinis, nec ejus voluntati omnino obeditis, sed inspirationibus, & vocationi divinæ resistitis. Verùm convertimini de viis vestris pessimis, sitis patientes, obedientes, humiles, vos à Deo regi, & gubernari sinite; & multò plus experiemini, quàm ego nunc vobis dicere potui.

DISCVR-

DISCVRSVS XXXIV.

Divina providentia in tribulatione clarissimè patet, quâ ut fruamur, illa alacriter sustinenda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Inimicus propriis armis devincendus.

1. Nsignis ac præclarus modus inimicum lædendi, & devincendi semper ille æstimatus fuit, arma ipsius arripere, & in illum convertere, qui nos iis offendere credebat; ideoque ab illis qui præcepta militaria tradunt, hic modus confligendi vocatur *summum dimicandi genus.* Ad cujus probationem adducere licet Canticum illud à puellis Hebræis in laudem Davidis cantatum: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* (1. Reg. 18. 7.) Magna hæc est amplificatio, David unum occiderat, nempe Goliath, & dicunt illum decem millia occidisse, quomodo hoc esse potest? Respondet Glossa, Davidem occisione Goliath causam præbuisse ruinæ, & fugæ totius exercitus Philistinorum, in quo decem millia perierant, qui omnes tanquam primariæ causæ attribuuntur. Alii dicunt mulieres illas hyperbolicè locutas fuisse, quod ipsis familiare, quia cuncta quæ referunt extollere solent. Melius tamen dixit Nicolaus de Lira, occisionem gigantis tanti æstimandam, ac si decem millia occisa fuissent: sicut qui aureum habet florenum, dicit se habere multos florenos. Non quia distinctos habeat, sed quia in illo aureo implicitè

plicitè continentur. Sed cur hominis unius occisio tanti æstimanda? An quia viribus pollebat, ut decem millia simul? Non tamen cum multis sed cum uno solo confligere volebat; non solùm igitur ex occisione inimici verùm etiam ex modo occidendi illud dicendum est. Quia nimirum armis propriis, à juvene inermi, ideóque hæc victoria tantò amplificanda, deque illo instrumento victoriæ tanta fuére dicta, ut ad perpetuam memoriam in templo asservaretur. Intellexit quoque generosus Dux Judas Machabæus, quàm gloriosus hic confligendi modus esset, ideóque ablato inimici gladio, cum eo semper pugnabat teste Scripturâ sacrâ: *Gladium Appollonii abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.* 1. Mach. 3. 12.

Disputationes videntur conflictus.

2. Cùm ergò videamus hunc modum adeò gloriosum, & excellentem, experiri cupio si ego quoque eodem prævalere possim. Dicet fortè quispiam ad confligendum fortè venisti? Quidni dico ego, an solùm in campis, & theatris confligendum est? In scholis quoque, ecclesiis, & cathedris confligitur: ideoque non Marti solùm, verùm etiam Palladi arma tribuuntur, & Dea belli fingitur. Nec huic conflictui arma defensiva, aut offensiva desunt, quia Syllogismi sunt gladii; entimemata pugiones; inductiones lanceæ; exempla sagittæ, auctoritates divinæ bombardæ, auctoritates humanæ arcus; responsiones scuta; distinctiones loricæ; glossæ cassides; negationes fortalitia; replicationes fossæ; conclusiones castra; impugnationes assaltus; extra materiam loqui, quasi fugere est, argumenta cornuta, & dilemmata obsidiones; concessiones, quasi cessationes ab armis; concedere totum & absurda quædam committere, est quasi adversarium vincere; retorquere denique argumentum, est ipsum suis armis oppugnare & vincere, quod proposito nostro inseruit. Ab hoc confligendi modo, supremus cæli mundique Monarcha, Deus exercituum vocatur; qui non dedignatur omnibus rectæ disputationis regulis uti. Primò omnes creaturas invitans; *Audite cæli, & auribus percipe terra*; Isa. 1. 2. publicas appendit conclusiones, quas ad bina reducit membra; primum sunt omnia beneficia nobis exhibita, secundum est ingratitudo nostra erga ipsum. *Filios enutrivi, & exaltavi*; Ibid. hæc prima conclusio, *illi autem spreverunt me*, hæc secunda. Ad has conclusiones oppugnandas invitat dicens: *Venite & arguite me*, Isa. 1. 18. seipsum disputationis præsidem exhibet; *Disceptabo cum eis*, Joel 3. 2. rectè disputationis regulas observans; *Iustus quidem tu es Do-* Jerem. 12. 1

mine si disputem tecum, argumenta quoque adeò efficacia exhibet, ut nullus iis respondere valeat; *Si voluerit contendere mecum, non potero ei respondere unum pro mille.* Delectatur quoque sapientiores argumentis suis ad plurima deducere absurda; *Adducit consiliarios in stultum finem*: Omninò tandem gaudet argumenta retorquere, illosque propriis armis confodere: sic enim ait S. Paulus: *Comprehendam sapientes in astutia eorum*; id est, ut exponit S. Chrysostom. astutiâ illorum utitur, quâ credebant alios devincere, stolidos exhibere, ac publicè confundere. Jeremias Propheta quadam vice conclusiones has oppugnare incipiens dicebat; *Iustus quidem tu es Domine si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te*, si tu observes rectæ disputationis regulas, ego quoque illas observare conabor: si justus es Domine; *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui iniquè agunt?* Sed post multa argumenta, conclusioni divinæ assentire debuit, & se victum dare dicens: *Tu Domine probasti cor meum tecum, congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*, probasti Domine si potuissem disputare tecum, sed tandem intellexi eos reservari in diem occisionis.

Job 9.3. Job 12.17. 1. Cor. 3. 19. Jerem. 12. 1 Ibid. Jerem. 12. 3

Non videtur providentia divina in mundo esse.

3. Pari modo dicebam ego me cum adversariis hodiè confligere velle, sed quibuscum? cũ Epicureis, aliisque Philosophis divinam providentiam negantibus. Valeant igitur suis armis illam oppugnare, & ego iisdem, divino fretus auxilio, illos evincere, & confundere volo. In primis ergò argumenta illorum audiamus, efficaciamque eorum postea improbabimus. Dicebant ergò, nulla est providentia divina, alioquin nulla mala in mundo essent, nec ullæ tribulationes, & afflictiones sufferendæ. Quid enim significat providentiam alicujus rei habere? non aliud quàm bene curare ut ad optatum, & destinatum finem illa pervenire possit. Ita princeps providentiâ suâ alicui civitati, & civibus providet, ut illis cuncta bene succedant, & mala longè absint. Quòd si hunc finem non intendat, non meretur nomen principis, sed tyranni, vel si non obtineat, est, quia rectè gubernare non novit. Ita pastor dicitur providè dirigere pecora, quia illa à lupis defendit, ad bona pascua deducit, ac omnibus necessariis abundè providet. Nec aliter diligens hortulanus providentiâ suâ agit, ut omnes arbores, ac herbæ sint floribus ac fructibus ornatæ. Si Deus ergò nos suâ providentiâ regeret, cunctis bonis nos repleret, nec aliquid deesse pateretur, sed ad beatum finem, ac felicitatem destinatam, omnes nos conducere

conducere studeret. Hanc conclusionem rectè intellexit Propheta David dicens: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Sed quis hodie reperitur, cui aliquid non desit? Hic divitiis, alius sanitate, alius favore, alius hoc, alius illo indiget. Deus ergò illis non providet, nec regit, alioquin nullo indigerent. Paterfamilias qui filiis ac domesticis suis non de cunctis necessariis providet, se excusat quòd non possit, aut sciat cuncta habere. Has tamen excusationes Deus prætendere non potest, quia non deest potentia, cùm sit omnipotens; *Omnia quæcumque voluit fecit*, nec dicere potest, se nescire, quia *sapientiæ ejus non est numerus.* Si ergò nobis necessaria non suppeditat, est quia non cupit, aut de nobis non cogitat, nulla ergò ipsi de nobis providentia; cùm minus sit malum dicere ipsum nostra non curare, quàm deesse suo officio; hominibus siquidem dicere solemus, si huic negotio attendere nolebas, non oportebat te curam illius assumere. Qui rem sibi commissam curare non desiderat, aliquot facillimè excusationes reperit, quibus se impeditum fuisse asserat. Deus verò qui scit, & potest omnia, nullas potest adducere, aut prætexere excusationes. Hoc rectè noverat Sapiens illa mulier quæ dicebat: *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes*; id est, *firmantur*, & *stabiliuntur.* Symmachus autem magis proposito nostro traduxit: *Non sunt apud eum prætextus, & excusationes.*

Psal. 22. 1. — Psal. 134. 6. — Psal. 146. 5. — 1. Reg. 2. 3.

4. Præsentia divina nobis abundè sufficeret, ut ab omnibus miseriis, & tribulationibus liberi essemus. Si quispiam gravissima, & enormia commisisset scelera, dummodo principi conjunctus fuerit, nullus ipsum arripere audebit; nimis siquidem magna foret irreverentia, & injuria principi illata. Tribulationes quid sunt? Satellites Dei, *Veniet tibi quasi viator ægestas*, id est, *apparitor*, qui te ad principem citabit; *Et paupertas quasi vir armatus.* Si Deus autem nobiscum esset, quomodo auderent hi ministri appropinquare? Hanc argumenti vim optimè noverat Gedeon, ideoque ab Angelo salutatus: *Dominus tecum virorum fortissime*; audacter respondit, *Si Dominus nobiscum est, quomodo apprehenderunt nos tot mala?* quasi diceret, illa mala quæ ministri Dei sunt, nos non apprehenderent toties, nec invaderent, si verè Deus nobiscum esset. Sicut enim scuto aut loricâ cooperto tela aut arma inimicorum obesse non possunt; pari modo divinâ providentiâ protecto nihil obesse potest. Hac defensione armatus, armiger & Propheta David lætus canebat;

Si Deus adesset, tribulatio non esset. — Prov. 6. 11. — Ibid. — Iudic. 6. 12.

Psal. 90. 5. nebat; *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno*; quasi diceret, licèt arma inimicorum videas, nec te ab illis defendere possis, nihil tamen timendum quia hoc scuto cuncta devinces.

Deus & tribulatio simul esse non possunt. 5. Quis nescit solem & tenebras simul esse non posse? Tribulatio quid est? tenebræ: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Quid est Deus? sol justitiæ, unde per Prophetam ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Deus ergò & tribulatio simul esse non poterunt. Propheta Isaias hoc rectè populo Israelitico intimabat dicens: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus*; ratio oppositionis requirebat, ut diceret, *Super te autem orietur sol*, sed tantum fuit dicere *Dominus*, ac *sol*. Propheta David quoque demonstrat, inter tribulationis tenebras etiam mœstitiam fugatam esse, dicens: *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia*; sicut enim idem est rectus corde, & justus, sic idem est sol & lætitia. Quin imò proverbium inde ortum, hoc clarè indicabit, stare quippe in Apolline, idem est ac stare in sole; vivere nempe in lætitia, & jubilo. Hujus proverbii origo primaria fuit, quod Lucullus, qui propter ingentes divitias vocatus fuit Xerxes togatus; in palatio suo haberet diversa cubicula, in quo juxta invitatorum qualitatem mensam ciboſque pararet; omnium tamen pulcherrimum fuit solis cubiculum appellatum, cumque semper mensam cubiculo dignam præpararet, quando in pulchriori cubiculo cænabat, excedebant omnes apparatus, & abundantia ciborum, præ omnibus quæ in aliis inferioribus cubiculis agebat. Cùm ergò Cicero & Pompeius quadam vice inopinatè cum eo cænare credebant, nolentes ut quidquã servis indicaret, admisit cõditionem, ea tamẽ lege ut tantũ servis cubiculum in quo cænandum esset indicaret; dixit ergò servis suis, hoc vespere in Apolline cænandum est, quo dicto intimabat illos lautissimam debere parare cænam. Quis nescit Deum nostrum ditissimum, & universorum esse Dominum? Diversa in hoc mundo cubicula, & status habet, sunt enim divites, & pauperes, principes, & subditi, religiosi ac sæculares, sed quinam sunt in Apolline? qui soli justitiæ & vero Deo adhærent, & cum illo sua peragunt. Hoc videtur indicasse propheta Isaias dicens; *In illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti*; id est, multæ juxta S. Gregorium, per quinque enim prudentes virgines omnes bonæ intelliguntur; sed quæ inter illas erit pulcherrima? *Civitas solis vocabitur*

Marginal notes: Isa. 9. 2. — Malac. 4. 2. — Isa. 6. 2. — Psal. 96. 11. — *Quid sit stare in Apolline.* — Isa. 19. 18. — Ibid.

cabitur una, id est prima, sed cur hæc pulchrior aliis? quia cubiculum Dei erit; *In die illa erit altare in medio terræ Ægypti*, quod secundùm Josephum de hac civitate verificatum fuit, si Deus ergò nos omnes suâ providentiâ gubernare vellet, omnes essemus beati, & felices, ac cænaremus in Apolline.

Ibid. 19.

Opera Dei perfectissima.

6. Exemplo creationis mundi, idem confirmari potest; cùm enim à Deo creatus sit, adeò ex omni parte perfectus est, ut nihil ipsi desit. Cœli sunt perfecti; quia *Perfecti sunt cœli, & omnis ornatus eorum*; perfecta sunt elementa, quia omnibus necessariis qualitatibus prædita, perfecta sunt animalia, quia nihil ipsis nec in victu nec vestitu deest: omnia denique bona, & perfecta sunt; quia, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; unde meritò subscribere poterat; *fecit*, & *creavit*, non verò sicut aliqui pictores faciunt, qui opera sua imperfecta cognoscentes, subscribunt; *faciebat*, in præterito imperfecto. Quis autem nescit non minùs conservationem quàm creationem necessariam? Si Deus ita mundum regeret, sicut creavit, non tanta essent inconvenientia, & absurda; nullus fame, aut frigore periret, nullus esset persecutus, aut afflictus, non ita bonus esset depressus, & malus exaltatus: nulla denique esset tribulatio in mundo.

Gen. 2. 1.

Gen. 1. 31.

Si Deus cuncta regeret, non esset tribulatio.

7. Præsentia regis animalium, propter generositatem, & fortitudinem suam, secura reddit loca in quibus ipse dominatur; nullus siquidem non timet, quando ille rugire incipit, unde S. Jeronymus inquit; *Dum Leo est in suo cubiculo, nulla bestia audet accedere.* Solo siquidem rugitu omnes exterret, dicente Amos Propheta; *Leo rugiet quis non timebit?* Et forsitan ultra præsentiam, occultam quandam habet vim, per quam omnia animalia exterret; ipso quoque mortuo, pinguedo ejus tantam habet virtutem, ut sit contra omnia venena antidotum, hac siquidem quispiam inunctus, à serpentum morsibus illæsus erit, & pellis ejus non solùm à tinea libera manet, verùm etiam omnia in ea voluta, à tineis secura sunt. Sed quid hæc fortitudo regis bestiarum cum potentia, & virtute regis cœlorum? Si illa ab omni corruptione, & tribulatione defendat, quid hæc non efficiet? quomodo ab omnibus inimicis, & verme conscientiæ non liberos reddet? Qua de causa redemptor noster vocatus est Leo, *Vicit Leo de tribu Iuda*; nisi ad hanc insuperabilem ejus fortitudinem indicandam? Dum ergò nos regere voluerit, nil nobis nocere poterit.

S. Ieron. in Ierem. epistol. 25. c. 38.

Amos 3. 8.

Apoc. 5. 5.

8. S. Joannes Chrysostomus dubio illi communi, & antiquæ querelæ

Deus hominis defensio.

querelæ, cur animalibus potiùs ab omnibus necessariis esset provisum, quàm hominibus, qui omnibus inimicis videntur inermes expositi, respondit, sic Deum voluisse fieri hominem absque ulla defensione hostibus expositum, ut sciret Deum virtutem & defensionem suam esse, in eoque solo confideret. *Hominem*, inquit, *sic disposuit, ut virtus ejus sit ipse.* Civitas quæ contra hostes externos, & internam seditionem bene munita esse cupit; multis indiget militibus, quorum aliqui in mœnibus, aliqui in locis internis excubias agant, ne quis tumultus inscienter oriri possit. Deus noster solus pro omni defensione sufficit, ut per Zachariam Prophetam dixit: *Ego ero ei dicit Dominus murus igneus, in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.* Contra inimicos terribilis ero ut ignis, inimicis autem gloriosus & beatus.

S. Chrysost. Hom. 18. in Mat.

Zachar. 2.5

Dei societas nos beatos reddit.

9. Hanc Scripturam alii diversimodè explicant, legunt enim: *Ero ei in jecur*; ab hoc salus hominis maximè dependet, in eo siquidem calor hominis naturalis residet, & ab eo ad alias corporis partes dirigitur: in eo formatur sanguis, qui postea ad cor dirigitur. Pari modo à Deo tota salus nostra dependet, ipse amore suo nos fovet, omnibus potentiis, & membris nutrimenta, & vigorem tribuit, cor nostrum lætificat, & fortificat; idem denique est dicere, Deus nobiscum est, quàm dicere, nobis omnia bona tribuit. Si hoc ita verificatum non esset, non conveniret Propheta Isaias, à Deo missus sedente inter Cherubim, & Seraphim; & Angelus qui Josepho nomen Salvatoris intimat; ille eum vocandũ dicit Emmanuel, quod est *nobiscum Deus*: Angelus autem Josepho postmodum loquens ait; *Vocabis nomen ejus Iesum*; sed quomodo ô Angele sancte, verificabitur illud Isaiæ Prophetæ, ubi dicitur; *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*? Si autem hæc prophetia non verificetur in nomine, quomodo in factis verificabitur? Rectè verificabitur assereret Angelus, quia Emmanuel, & Iesus nõ sunt duo nomina diversa, sed eadem, idem quippe est dicere, Deus nobiscum, quàm Deus nos salvat.

Isa. 7. 14.

Lucæ 1. 32.

10. Gentiles quoque hujus divinæ providentiæ effectum rectè cognoverunt, ideoque illam depingere volentes, sub specie pulcherrimæ adolescentulæ effinxerunt. In cujus dextera craterem, in sinistra spicam & florem papaveris ponebant. Adolescentulam fingebant, quia numquam senescit, nec minorem modò curam gerit omnium quàm ante mille annos, aut à mundi exordio gessit. Craterem, spicam, & florem papaveris

Quomodo gentiles prudentiam depinxerint?

fis confert, quia nobis de cibo, potu, & somno necessario providet; in cratere vinum, in spica granum, in papavere somnum exhibet. Vel etiam hac figurâ significare volebant, homines posse hilariter, & securè comedere, bibere, & dormire, cùm tali providentiâ regerentur. Si nobis igitur victus, & securus somnus desit, quid aliud cogitare possumus, quàm divinam providentiam deesse, nec ullam de rebus nostris curam gerere.

An Deus terræ curam gerat, sicut cœlorum?

11. Videtur tandem Deus egisse instar matris, quæ cùm duos pepererit filios nec lac sufficiens pro utrisque habeat insigniorem sibi reservat, alium verò nutrici alendum præbet. Instar duorum filiorum Dei sunt cœlum, & terra; *In principio creavit Deus cœlum & terram*: Considerans autem cœli pulchritudinem, sibi illud conservare statuit; terram autem utpote deteriorem, hominibus tradidit. Id præclarè testatur Propheta David dicens: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: Hinc aliqui apud S. Job dicebant: *Circa cardines cœli perambulat*; illud semper ipsi curæ est, unde nullus in eo umquam apparet defectus: sed *nostra non considerat*; de nobis & terra vix umquam cogitat, sed illam volentibus frui donat, ita ut impiis quoque illam offerat: dicente Propheta Job: *Terra data est in manus impii*: ideoque in illa tanta confusio.

Gen. 1. Psal. 113. 16. Job 22. 14. Job 9. 24.

Homines ut pecora morti destinata.

12. Pastor universalem, & particularem curam pecorum suorum gerit, dum sub manu illius sunt, dum verò Lanioni traduntur, & ad mortem ducuntur, non ampliùs ipsi cura est, occidantur, excorientur, in partes scindantur, nil curat. Deus noster insignis & bonus pastor est; *Ego sum pastor bonus*: pecora sub manu illius custodita, sunt Angeli, & sancti omnes; *Dimittit nonaginta novem in deserto*: nos verò mortales ut pecora Lanionum, morti destinata: teste Psalmista: *Dedisti nos tamquam oves escarum*; licet enim hic conculcetur, alter affligatur, alius siti, alius fame pereat; nihil ipsi curæ est. Parum dixi, ovibus quandoque quis compatitur; sed ut pisces, & serpentes nos omnes æstimati sumus; sicut enim illi quia muti & veneno infecti, pessimè ab omnibus excipiuntur; dicente Habacuc Propheta; *Facies homines quasi pisces maris, & velut reptilia non habentia ducem*: Sic nos quia duce & protectore caremus, omnibus injuriis, & calamitatibus expositi sumus. Pejores denique sumus omnibus bestiis, quibus à Deo & natura, de omnibus necessariis, & remediis abundè provisum est, dicente Psalmista: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Luc. 15. 4. Psal. 43. 12. Habacuc. 1. 14. Psal. 146. 9.

Cervis

Cervis aliisque montes & sylvas attribuit: *Montes excelsi Cervis, & petra refugium Herinaciis.* Feris silvestribus, & indomitis noctem, aliaque victui necessaria tribuit teste Davide: *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ; catuli Leonum rugientes ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi*, potum quoque sufficientem dedit: *Emittens fontes in convallibus, expectabunt Onagri in siti sua.* De volatilibus quoq; S. Matthæus ait: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, & tamen pater cælestis pascit illa*: Homo verò nisi sibi victum multâ sollicitudine acquireret, moreretur fame.

Psal. 103. 18.

Ibid. 20.

Ibid. 10.

Mat. 6. 26.

Deus nostra curare non videtur,

13. Dico insuper non solùm illi de necessariis non providet, sed ne quidem videtur semel attendere; qui enim res mortalium tam diversimodè, & miserabiliter geri conspicit, ad compassionem, aut indignationem commoveri oportet; sed in Deo nullus horum affectuum reperitur. Deus in cœlo est, extra illud, & nubes, nil ultrà considerat dicente Psalmista: *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes*: Veritas idem est quòd sapientia, & hæc nubes transire non videtur. Quid de distributione miseriarum, & calamitatum referam? Illæ magis bonis, quàm iniquis, magis innocentibus, quàm nocentibus adveniunt. Nolo tamen his discursibus, & variis sermonibus diutiùs inhærere, vix enim tempus revertendi superesset; unde tribulationes bonorum & malorum, sequentibus discursibus remitto; hîc autem de tribulatione in genere sermonem instituere cupio. Quis non videt quàm insipienter inde argumententur in Deo nullam fore providentiam harum rerum sublunarium? Ego potiùs dicere auderem nullam fore in Deo prudentiam, si tribulatio in mundo non esset: de quo latiùs hîc agere aggredior.

Psal. 35. 6.

Mundus absque tribulatione confunderetur.

14. Quid mundus hic esset, si nulla in eo foret tribulatio, aut contrarietas? non aliud certè quàm confusum, & inordinatum Chaos; omnia siquidem in seipsis confusa, & inordinata essent. Cœlum uniretur terræ aqua igni, omnia denique permixtim fluerent: sola quippe contrarietas unum ab alio distinguit. Hinc Empedocles non omninò insipienter dixit Chaos originem amicitiæ, & discordiæ originem mundi pulchritunem, & bonam dispositionem esse. Sed homo nónne pars mundi est, nónne parvus mundus? oportet ergò illum contrarietatibus suppositum esse; & hæ sunt tribulationes. Nónne insuper videtis non solummodo existentiam, verùm etiam conservationem, & totum bonum mundi à contrarietate dependere? aër

siquidem

ſiquidem peſtilens eſſet, niſi à ventis agitaretur, maris aqua corrumperetur, niſi ſalſedine condiretur, & tempeſtatibus quateretur: Terra ſpinas & tribulos ſolùm produceret, niſi ligonibus, & aratro proſcinderetur. Mixta non generarentur, niſi ab elementis inter ſe pugnantibus, contemperarentur. Animalia vivere non poſſent, ſi partibus contrariis non conſtarent. Cur creditis hominem inter omnia nobiliſſimum? quia pluribus contrariis conſtat; elementa ſolùm contraria extrinſeca habent, mixta verò etiam intrinſeca ſed de qualitate tantùm; homo autem nihil aliud eſt quàm cumulus, & epilogus contrariarum qualitatum, accidentium, humorum, appetituum, potentiarum &c. quibus ſublatis, ſubitò homo moritur.

15. Dum Deus diabolo licentiam dedit vexandi S. Prophetam Job dixit: *Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva*; optima certè commendatio, committere pecora Lupo; *ſerva*, inquit, S. Gregorius, id eſt non noceas illi, aut non auferas vitam, bene quidem; ſed detis mihi licentiam, ut verbum illud in propria ſignificatione accipiam, quantò ſiquidem à propria ſignificatione abſtrahitur, tantò minus intelligitur. *Serva animam*, idem eſt ac dicere, vitam illius conſerva. Sed quomodo diabolus id efficere poterat? Tribulatione, dolore, & afflictione, quæ pro conſervatione hominis ſunt optimum remedium. Id S. Paulus teſtabatur dicens: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi Angelus ſatanæ, qui me colaphizet*: ut me humilem, & ſanum conſervem, permiſſum eſt diabolo ut me cruciet, & affligat. Tribulatio ergò mirabilis eſt medicina, quam pro conſervatione ſanitatis Deus nobis porrigit; teſte Iſaia: *Ego Dominus qui ſervo eam, repentè propinabo ei*, medicinam nempè ſalutarem; de qua S. Jeronymus ſic ſcribit: *Apud medicos quædam medicina antidotus noxios humores temperans, ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis oſtenditur, reſtituens ſanitatem*. S. Bernardus humiliter ſed ſapienter de ſe loquens ait: *Ego plagis conſcientiæ meæ nullum video accommodatius medicamentum probris, & contumeliis, non eſt proinde quòd promovear homuncio, omni opprobrio dignus, & deſpectione*. Sed de tribulationis fructibus alibi fuſiùs diſcurremus; hîc verò ne à propoſito providentiæ divinæ diſcedamus, quis non videt illam vix fuiſſe cognitam niſi tribulatio eſſet.

Iob 2. 6. *Tribulatio hominem conſervat.*

2. Cor. 12. 7.

Iſa. 27. 3.

S. Ieron. epiſt. 127. ad Fabiol.

S. Bernard. epiſt. 280.

16. Dum mari quieto, undiſque ceſſantibus, leviter ſpirans ventus, naves in portum propellit, non cognoſcitur valor, aut induſtria Naucleri, & unuſ-

Prudentia naucleri in tempeſtate.

unusquisque licèt inexpertus, in puppi sedendo gubernaculum tenere, & navem dirigere potest. Dum verò mare turbatum, venti furiosi, cœlum indignans, fulmina, ac tonitrua in navem dejiciens, illam undique exagitat, jam jamque ruinam minatur; tunc mirabilis naucleri apparet prudentia, si navigando undas disrumpere, vela dimittere, & accommodare novit; nunc remis, nunc alio modo utendi, ita navim dirigere sciat, ut non tantùm integra, & illæsa permaneat, verùm etiam ad locum destinatum non obstante adversitate perveniat.

Prudentia divina in tribulatione agnoscitur.

17. Pari modo in hac mundi machina, & magna navi evenit, in cujus gubernatione supremus mundi Monarcha sedet; dum quippe undique pace, & quiete fruitur, cœlum ac elementa ordinem æternum sequendo stationibus debitis inter se concorditer omnia peragunt, & homini tamquam illorum principi promptè deserviunt; licèt totum hoc à paterna providentia divina proveniat, vix tamen cognoscitur. Dum verò fulmina decidunt, terræ motus insurgunt, inundationes confluunt, aëris infectiones sentiuntur, bella, sterilitates, pestesque mundum undique perturbant, & exagitant, nec his ruinis homo deprimitur, nec mundus totaliter perit, sed vegetior, ac pulchrior postmodum resurgit; tunc unumquemque confiteri oportet, mirabilem Dei providentiam hanc navem gubernantem. Hoc rectè Propheta David intelligens, paucis sed efficacibus verbis exprimit dicens: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*: quantò nempe altiùs maris undæ elatæ sunt, tantò mirabilior providentia divina se exhibet. Psal. 92. 4.

18. Cur creditis corvos particulariter nobis propositos ad divinam providentiam cognoscendam? *Considerate corvos*, inquit Salvator, *quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos*; David quoque ait: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. Dicere possem idcirco esse, quia corvi sunt volucres inutiles, gustui insuaves, carnem duram habentes, nec oculis delectabiles; nigri ac deformes, qui potiùs nauseam, quàm gustum pariant. Si Deus ergò animalis adeò abjecti curam nutriendi suscipiat, potiorem curam nostri geret. Vel etiam dici potest, corvos insatiabiles esse, cùm enim se mortuorum cadaveribus cibent, & singula arripiant, gulosi ac rapaces sunt, ideoque difficulter saturari videntur. Meliùs tamen dicamus necessitatem illorum, ac calamitatem potiùs divinam providentiam indicare, cùm enim in nido albi-

Luc. 12. 24.

Psal. 146. 9.

Corvi exemplar providentiæ divinæ.

albicantibus plumis appareant, pro illegitimis deseruntur, omnique subsidio destituuntur; idcircò Deus non desinit necessarium illis subministrare cibum, quod rectè S. Job explicat dicens: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagantes eò quòd non habeant cibos?* Quis certè dicere posset quoties Deus hanc misericordiam cum servis suis exercuerit, & effectus paternæ providentiæ exhibuerit: necessitatibus illorum succurrendo, à periculis, peste, fame, morbis, tormentis, morte ipsa liberando, cùm se omni ope, & auxilio destitutos crederent? Historiæ sanctorum his exemplis scatent. Non mirum ergò si Deus toties in religionum institutione providentia sua adeò mirabiliter semper adfuerit, ut sine ullo bonorum adjuvamine, aut usu, in sola Dei misericordiâ confisi tot monasteria diversa hucusque honestè degant, & floreant. De institutore modernæ cujusdam religionis inter alia præclara facta memoriæ proditum est; quòd dum Mediolanensis Dux sub titulo eleemosinæ, ingentem pecuniæ summam offerret; licèt tunc maximè indigeret, adeò tamen constanter recusavit, ut post multas, iteratasque oblationes, liberalitas ducis, servi Dei paupertati cedere deberet; non aliis quàm his verbis se excusans; non se velle providentiam divinam, sub cujus protectione ordinem suum instituisset, sibi propterea diminuendam, cùm necessaria suppeditarentur.

Job 38. 41.

19. Quantò igitur tribulatio major, tantò amplior providentia divina elucet, qui enim hoc experti fuerint, hilariores in mediis periculis se sentiunt. David in maximis periculis constitutus, securiùs dormiebat: *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me*; Sciebat enim divinum auxilium numquam sibi defuturum. Idem quoque ni fallor, doctor gentium his verbis indicare volebat. *Cum infirmor, tunc potens sum*, propriâ quippe fortitudine deficiente, novam Dei protectionem acquirebat. Si quis olim nudis pedibus incedebat, signum erat illum incurium, & negligentem esse. Hinc sponsa cælestis à sponso suo ad vitam activam, & animarum conversionem invitata, se excusabat dicens: quod nudis pedibus esset, se nimirum omnia alia dereliquisse, ut Dei servitio, & amori se totam traderet; *Lavi pedes meos*, inquit, *quomodo coinquinabo eos?* S. Paulus quoque exhortabatur concionatores dicens: Vt haberent *Calceatos pedes, in præparationem Evangelii pacis*; ut summâ nimirum diligentiâ fructuosè prędicarent evangelium. Virgilius etiam introducit Didonem

In majoribus periculis major providentia divina.

Psal. 3. 6.

2. Cor. 12. 11.

Cant. 5. 3.

Ad Ephes. 6. 15.

Quid significet nudis pedibus incedere?

donem sibi necem inferentem, uno pede nudo. *Unum exuta pedem.* Significare volens illam de duabus curis, amoris nempè, & vindictæ, amorem solum deposuisse; sed vindictam retinuisse. Dicere ergò alicui ut se discalciet, juxta hanc intelligentiam tantum est ac si diceret, ut se omni curâ & sollicitudine privet: Dicere autem ut se uno pede discalciet, est dicere ut partem sollicitudinis, & curæ deponat.

Omnibus abdicatis Deus providet.

20. Quis modò nudare pedes debebit, omnemque deponere sollicitudinem? An qui opibus mundanis, amicis, favoribus undique scatent? vos ipsos decipitis; quin imò tales ut inter spinas ambulantes, quales sunt omnes mundi divitiæ, teste Salvatore, calceati esse debent; sed ille qui omnibus rebus spoliatus & ab omnibus derelictus est, tunc siquidem Deus curam illius geret. Quando Moyses populum Israël ex Ægypto in desertum ducere debebat, ubi vix aquam ad bibendum reperiebant, omnibusque necessariis privati erant; dixit illi Deus: *Solve calceamenta de pedibus tuis,* quasi diceret, nunc tui curam gerere debebo, ideoque dimitte omnem sollicitudinem, & curam terrenam. Dum verò Josuè terram promissionis lacte, & melle manantem intrare debebat, dixit illi Angelus; *Solve calceamentum tuum*; sed cur unum calceamentum? quia non ampliùs manna de cœlo expectandum, non coturnices volantes habendæ, non petra aquam plus datura; sed ille cum populo universo, sibi terræ fructus colligere debebat, & victum procurare: sicque uno pede calceatus esse debebat. Sed cur non duobus? quia terra promissionis à plurimis gentibus possessa erat, qui bella, & persecutiones populo moverent, ideoque ad illas debellandas Deus populum accingebat. Quantò ergò majus instat periculum, tantò majori providentiâ Deus nos regit, & veri servi Dei in illo confisi, securiùs absque omni sollicitudine vivunt.

Exod. 3. 5.

Josuæ 5. 16.

Quid sit providentia.

21. Quandoquidem verò adversarii definitione providentiæ usi sunt, iisdem quoque armis illos oppugnare possumus, Quid ergò est providentia? sollicitudo, & cura alicujus rei? id non sufficit, sed adjungendum, ut debito modo, & mediis congruis, intentum finem consequamur; ita Hortulano non sufficit curam gerere, ne arbores præscindantur, sed ut fructum bonum deferant; Ludimagistro non sufficit ut pueri nullas exerceant petulantias, sed ut docti evadant; quis verò prudentior habebitur, qui meliùs finem intentum consequi noverit? Hortulanus scindit, verberat, & malè excipit.

excipit arbores, unde si sensu præditæ essent, dolerent, & conquererentur, non tamen dicere possent nulla ipsarum cura geri, imò majorem curam esse quàm oporteret. Præceptor discipulos suos lusibus, jucunditate, & deambulatione privat, illos continuò in studiis desudare cogit, & quandoque verberibus adigit; an idcircò dicemus illum nullam eorum providentiam gerere? Quin imò si taliter non procederet, non esset providus. Deus noster agricola est; *Pater meus agricola est*, ideoque tribulationis ferro nos affligit, præscindit, & quandoq; ex uno in alterum locum transfert, ut majorem afferamus fructum. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat.* Si sol continuò hortum illustraret, arbores, & herbæ siccarentur; si semper foret calida æstas, arbores frondescerent solùm; ut fructus ergò boni producantur, oportet habere solem, æstatem, pluviam, & hiemem. Christus de dilectione inimicorum loquens dixit: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii patris vestri, qui solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos.* Non sufficiebat solis mentionem facere, sed pluviæ quoque recordari voluit, ut tacitæ cuidam objectioni responderet, cur Deus persecutiones, & inimicos perferat; quasi diceret, velles sole amicitiæ tantùm frui, non verò injuriæ pluviâ; sed nónne videtis ad perfectionem universi pluviam, & solem necessarium, ut terra fructum copiosum gignere posset: sicque unum, & alterum ad divinam pertinet providentiam. Non ergò mirandum si in te quoque tales effectus producat. Deus insuper magister scholarum est; *Vos vocatis me magister, & domine, bene dicitis*; quid mirum ergò si mediis ad doctrinam consequendam ordinatis utatur? & quod melius ad hunc finem remedium, quàm tribulatio? Hoc præclarè docet Isaias dicens: *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*

Si non esset tribulatio, non esset providentia.

Ioan. 15. 1.

Ibid.

Matth. 5. 45.

Ioan. 13. 13.

Isa. 28. 19.

22. Finis denique propter quem nos Deus creavit, est, ut fruamur gloria cælesti; ad hunc finem, nullo meliori modo conducimur, quàm tribulatione, quæ nos eò impellit. S. Bernardus ait: nos quatuor modis cælum consequi posse; *Alii siquidem violenter illud rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur.* Vi arripientes, sunt pauperes spiritu, illud emunt eleemosinarii, illud furantes humiles, afflicti autem, vi ad illud compelluntur. In hoc sanctus Bernardus mirabilem Dei agnoscit providentiam, hisce verbis dicens: *Compelluntur multi, in variis necessitatibus,*

Tribulatio ad gloriam cælestem ordinata.

S. Bernard. in senten.

& oppreßionibus afflicti; *qui mirâ Dei providentiâ dum temporalem pœnam, si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.* Sicut ergò venatori laqueus inservit, ut volucres aut feras capiat; ita Deo animarum nostrarum venatori, tribulatio optimum est remedium; ideoque nomine laquei à Davide vocatur;
Psal. 65.11. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.* Licet enim Deo non desint alia media, ut animas nostras lucretur, præcipuè autem prædicatio verbi Dei, hæc tamen non vocatur laqueus, sed rete:
Matt.13.47 *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, inter rete, & laqueum insignis est differentia; licèt enim in reti sint capta animalia, movere tamen se possunt, comedere, & bibere; in laqueo autem taliter sunt ligati, ut movere se non possint. Pari modo tribulatio non tantùm efficit ut contra Deum anima se movere non possit, verùm etiam non audeat divinæ voluntati ejus resistere.

Tribulatio musica divina.

23. Ex artibus quoque insignem probationem de providentia divina in tribulatione colligere possumus. Inter omnes siquidem nulla major inimica tribulationi quàm musica, quia
Eccli.22.6. *Musica in luctu, importuna narratio*; lætitiæ & gaudii socia, & amica est, plures tamen divinæ providentiæ monstrat effectus; si enim Citharæ pulsator, aut musicæ cantor eodem semper modo sonaret, & cantaret, diceretis utrumque musicam non intelligere, quia juxta varietatem notarum, sonus & vox moderanda sunt, ut modò altè, modò submissè, modò hilariter, modò dolenter notæ proferantur. Mundum hunc respectu Dei quid esse creditis? Instrumentum musicum, vellésne igitur Deum semper eumdem modum observare? Non intelligis ordinem musicæ. Optimè illam intelligebat Sapiens, hacque similitudine in principio allegatâ, eam rectè expressit: *In se enim* Sap.19.17.
elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur; quasi diceret, videtúrne tibi extraneum si mutationes in mundo reperiantur, si modò sit serenum, modò nebulosum; nunc aliqui ægroti, nunc sani; nunc aliqui pauperes, nunc divites? sic sonus organi mundani requirit; ubi quoque nos in proverbiis legimus; *Ludens in orbe* Sap.8.30.
terrarum, Philo Hebræus legit; *Choreas ducens*, quod est officium musici, aut sonatoris. Non ergò prætendere debes, ut semper eodem modo, sonus & musica dirigatur; aliquando enim notæ albæ, aliquando nigræ occurrunt, aliquando modestè, aliquando cantatur celeriter, non semper vox hilariter extollitur, sed quandoque mœsto sono dimittitur.

24. In

Tribulatio nos regit, & coërcet.

24. In animalibus quoque idem observandum, si quippe equum fręno, Ephippio, aliisque ornamentis decoratum conspexeris, colligere soles, illum ad dominum quemdam pertinere; si tamen liber & solutus per campos discurrat, neminem illius curam gerere arbitramini. Qualiter ergò velles esse dispositus? ut equus indomitus sine fręno discurrens, quò te cupiditas impellit? Si ita esses, signum esset neminem tui curam gerere, nec esse providentiam in mundo. Quid ergò Deus efficit? frænum in os tuum mittit, teque alligat ne discurrere possis quocumque placuerit, eoque modo se tui curam habere demonstrat. Quale est hoc frænum? non aliud quàm tribulatio; ita David cùm omnes exhortatus fuerat, dicens: *Nolite fieri sicut equus, & mulus*; subjunxit dixitque Deo, si tales fieri voluerint; *In camo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sed quodnam fręnum intelligit, tribulationem credo, ita enim se explicat dicens: *Multa flagella peccatoris, sperantes autem in Domino misericordiâ circumdabit.*

Psal. 31. 9.

Ibid. 10.

Tribulatio effectus divinæ misericordiæ.

25. Cùm ergò cognoveris Deum multo tempore tecum misericorditer egisse, cave ne flagellum arripiat; si autem flagellatus fueris, recognosce hoc esse fręnum quod Deus tibi apponit, ut te à peccatis abstineas. Infirmitate te visitat, ne libidini & crapulæ te dones; pauperem te efficit, ne divitiis ad animæ tuæ detrimentum utaris; cùm enim sis pauper, & victum lucrari debeas, attamen pecunias tuas vanè ac indebitè expendis; quid faceres si copiosas obtineres divitias? Humilem te efficit, ut fręnum superbiæ tuæ injiciat; cùm enim sis aliis subditus, tantâ inflaris superbiâ, ut ab omnibus revereri, & honorari desideres. Permittit tibi mulier ut malè à marito excipiaris, quòd filii tui te despiciant, ne vano amore erga illos efferaris. Permittit res temporales non tibi bene succedere, ne omni conatu, & affectu in illas feraris; si enim afflictus illas concupiscis & prosequeris, quid efficeres si tibi bene omnia succederent, si filii, & maritus juxta desiderium te amplecterentur? Tribulationes ergò sunt effectus mirabilis providentiæ divinæ; particulariter autem pauperes, & egenos esse permittit, ut occasionem benefaciendi semper habeas, & per illos cœlum conquirere possis.

SECVNDA PARS.

26. RECtè dixi, paupertatem divinæ providentiæ præcipuum effectum esse, illa siquidem omnium tribulationum *Paupertas multorum bonorum occasio.*

num epilogus, licet à multis incognita, & inconsiderata; dici non potest quantis bonis spiritualibus, & temporalibus mundus privatus esset, si paupertas defuisset. Primò quippe quomodo campi florerent, nisi paupertas esset? nullus terram excolere, nullus vitem accommodare, nullus messem colligere vellet, hæc enim sunt opera pauperum laboratorum, divites enim huic labori se submittere nequaquam volunt. Omnis ergò terra maneret inculta, vel omnes rustici esse deberent. Nec meliùs civitates florerent, sunt enim abjectæ quædam, & viles artes, quæ quantò sunt necessariores, tantò sunt viliores, quis ergò illas exercere vellet? Quis caminos purgare, loca sordida evacuare, carbones præparare, vilia domus obsequia exequi, calceos, vestesq; reficere, & mundare, quis justitiæ minister & executor esse vellet, nisi pauperes essent? quotidie videmus pauperes has artes exercere, nullus alioquin manum admovere vellet. Dico insuper ne quidem artes insigniores futuras, vel ad minùs non adeò excellentes; paupertas siquidem industriæ mater, & vexatio dat intellectum; illa artifices ad novas inventiones reperiendas, antiquas perficiendas, subtilioresque modos pecuniam congregandi, merces vendendi, aliosque artifices miro opere superandi excitat. Illa homines patriâ expellit, inque longinquas regiones remittit, ut novas nec umquam visas merces adducāt; teste poëta:

Impiger extremos currit mercator ad Indos, Homer. lib. 1. cap. 1.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

27. Omnes denique artes in schola paupertatis addiscuntur, & scientiæ quoque; nam multos Oratores, Philosophos, Poetasque paupertas effecit: dicente Horatio.

Et laris, & fundi, paupertas impulit audax, Horat. lib. 2. epist. 2.
Vt versus facerem.

Virtutis schola paupertas.

Quin imò virtutis schola aliquibus dicta fuit; ita Archesilaus apud Stobæum inquit; *Est efficax virtutis gymnasium*, etiam nolentes ad discendum cogens. Quomodo tandem paupertas radix omnium bonorum, & malorum omnium fugatrix non erit; si otium, & luxuriam omnium vitiorum sentinam domo expellit, in qua commoratur; illucque laborem, & industriam omnium bonorum comites introducit? Si paupertas non esset, tolleretur pulcherrima illa varietas, & mirabilis ordo qui inter homines reperitur, quod præcipuum politicæ & œconomicæ gubernationis fundamentum. Si pauperes deessent, quis servus esse vellet, quis ab alte-

rius imperio dependeret, nullus quoque præcipere posset, non essent frequentes principum aulæ, non servorum comitatus, nō ædes adeò superbè ornatæ, non tanta commercia, non commoditates, & ornamenta, qualia in præcipuis civitatibus videmus.

Paupertas ingens bonum mundo affert.

28. Quis ergò non admirabitur providentiam divinam, qui mundo paupertatem licèt omnibus odibilem, & execrandam introducens, tantum bonum & varietatē tribuit? Moyses ex parte Dei populum Hebræum alloquens, dixit: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*: quæ insignis Dei benedictio fuit, quasi Moyses dicere voluisset; licèt audiveritis terram promissionis ad quam properatis adeò abundantem esse, ut in ea fluant rivi lactis, & mellis; non tamen opinamini in ea pauperes deesse debere, hoc enim ingens malum esset. Divina tamen providentia tantum efficiet, ut licet bonorum omnium reperiatur copia, numquam tamen pauperes desint.

Deuteron. 15. 11.

Tribulatio non repugnat officio principis.

29. Quid modò dicitis principem à subditis, & pastorem ab ovibus omne malum propellere? Quin imò dico ego non posset gubernare princeps, nisi mala plurima comminaretur, diversaque pœnarum genera intentaret. Pastor non bene officio suo fungeretur, nisi forficibus ad pecora tondenda uteretur, & virgâ percuteret dum hærendo non sequuntur. Hortulanus etiam negligens æstimaretur, qui vitem non putaret, arbores à malis ramis non purgaret, aut præscinderet superflua: quæ omnia tribulationi conveniunt. Quid dicitis Davidem dixisse sibi nihil deesse, cùm Deus omnia sibi providisset? rectè dicitis, sed inter hæc tribulatio numquam illi defuit: quod in eodem psalmo præclarè testatur dicens: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*: per quæ SS. Patres tribulationem intelligunt. Clariùs quoque idem repetit dicens: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus omnes qui tribulant me.* A Deo ergò & ab hominibus tribulationem accipiebat, si enim absque illa fuisset, meliori re totius mundi orbatus fuisset.

Psal. 22. 4.

Deus omnia videns, omnia punit.

30. Quid dicitis Deum nullas excusationes aut prætextus adducere posse? rectè quidem, dico ergò Deum diligenter nos curare, quandoquidem nullam rationem, aut excusationem adducere possumus cur non faciat. Princeps excusari potest, cùm omnia non videat, Deus autem non, quia, *Omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus*; ideoque antiquitus providentiæ tres oculos tribuebant, quibus in cælo, in terra, & sub terra videat. Princeps propter multitudinem negotiorum quandoque se excusat,

Ad Hebr. 4. 13.

cusat, sed non ita Deus, quia virtute infinitâ pollet, unde nullis negotiis distrahitur, aut fatigatur. Sic respondet Propheta
Isa. 40. 27. Isaias dicens: *Quare dicis Iacob & loqueris Israel abscondita est via mea à Domino? numquid nescis? aut non audisti?* Quid audiret?
Ibid. 28. *Deus sempiternus Dominus qui creavit terminos terræ non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus.* Quod S. Bernardus solitâ suâ eloquentiâ declarat dicens:
S. Bernard. serm. 69. supra Cant. *Deus nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diversitatem divisus, nec restrictus ad unum, nec anxius ad curas, nec perturbatus seu turbulentus ad solicitudines. Sic sanè uni intentus, ut non detentus, sic pluribus ut non distentus.*

Dei præsentia tribulationem adducit. 31. Quid dicitis præsentiam principis sufficere ut aliquem à satellitibus liberum reddat? verum est si de præteritis delictis loquamur, si tamen de culpis in præsentia principis commissis agas, hæ non solùm defendunt reum, verùm etiam magis aggravant. Ita Aman accidit, de
Esther 7. 8 quo rex Assuerus dicebat: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente;* unde subitò captus, & ad patibulum conductus fuit. Tu verò quando umquam desinis Deum offendere, in sua præsentia? Quid mirum ergò, si satellites ejus, qui sunt tribulationes te arripiant, & castigent? Quid dicitis providentiam divinam instar scuti esse, sed nescitis, inquit S. Bernardus scutum superiori parte largum, inferiori autem constrictum esse? Talis ergò erit providentia divina, ad defendendum partem superiorem, quæ est anima, cui abundanter de gratiis & bonis inspirationibus providebit: sed pro inferiori parte carne videlicet, restricta est, unde non mirum si hanc partem inimici quandoque lædere possint. Ratio autem cur scutum in parte inferiore magis constrictum sit, est, ut sit levius, & quia pedes & crura minùs sunt larga. Sic Deus, ne aggravemur abundantiâ rerum temporalium, & quia tribulationes potiùs sunt utiles quàm nocivæ; non extendit providentiam suam, ut ab omnibus illis nos defendat; unde Sanctus Bernardus concludit dicens: S. Bernard. serm. 5. in Psal. 90. *Militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem, magnam (ut ita dixerim) strictitatem, atque penuriam rerum temporalium donat, nec vult eos illarum multitudine prægravari. In superioribus verò ampliorem latitudinem & abundantiam gratiæ spiritualis.*

32. Quid dicitis, Deum solem esse, ideoque omnes tribulationis tenebras depellere debere, & qui cum illo est semper lætari oportere? Sed nonne videtis differentiam esse inter solem fixum, & solem procedentem? *Deus sol procedens diversitatem causat.*

ubi

ubi sol firmiter illuminat, numquam sunt tenebræ; sed sol procedens, diversitatem temporum, & stationum causat. Nunc noctem, nunc diem efficit, nunc serenum, nunc turbidum tempus. In hac vita quomodo sol nobis elucet? ut procedens, licèt enim Deus in seipso sit immobilis, respectu tamen nostri semper procedit, quia non semper eodem modo & situ se exhibet, nunc diem prosperum exhibet, nunc noctis adversitatem; non poterat hoc Apollo Luculli istius exhibere, quia depictus non vivus erat. Ut autem cognoscas Deum esse solem vivum, & verum, ideo varietatem sæpius demonstrat. Sicque providentiam suam cognoscere facit; sicut dum in cœlo ad modum solis immutabilis se exhibet, gloria suâ, & felicitate perfrui sinet. Quid dicitis in creatione nullum fuisse defectum? verum est, sed nec in conservatione, quantum ad Deum attinet. Nónne videtis in creatione mentionem fieri lucis, & tenebrarum? Matutini, & vespertini temporis? ab aquis pisces, & aves productos fuisse? creationis altorum montium, & humilium vallium? Quid ergò mirum, si in mundo lux prosperitatis, & adversitatis tenebræ reperiantur? Matutinum lætitiæ, & vesperæ tristitiæ? aliquos instar avium in altum elevari, alios instar piscium, in aquis morari? ibi maria tribulationum, montes hominum superborum, & humilium ac pauperum valles. Si ita non fuisset, conservatio creationi non corresponderet, unde nulla in Deo providentia esse videretur.

33. Quid dicitis; locum illum securum esse ubi commoratur Leo? & securiorem in quo habitat Deus? verum est dum Deus se ut Leo gerit, sed nescitis quod licèt fortitudinem habet leoninam, non tamen ita demonstrat, sed veste ovinâ quandoque se tegit? Sic in cœlo vidit S. Joannes lætum diem agi, & cantari; *Vicit Leo de tribu Iuda aperire librum, & solvere septem signacula ejus*: dum autem hunc leonem expectaret, apparuit Agnus; *Et vidi, & ecce Agnum stantem, & cùm aperuisset librum &c.* Sed numquid dictum erat, Leonem debere aperire librum, quomodo ergò ab Agno fieri videtur? ut scias Leonem, & Agnum eumdem esse; est fortis, mansuetus, terribilis, patiens, tremendus, & amabilis. Modo ut Leo nos ab omnibus inimicis defendens, modò ut Agnus nos affligi, percuti, & tribulari permittit; ut sciamus omnia divinæ providentię maximè conjuncta. S. Joannes inquit, Agnum septē habere oculos; *Habentem oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram*, hi autem sunt

Deus Leo, & Agnus.

Apoc. 5. 5.

Ibid. 6.

Ibid.

sunt divinæ providentiæ ministri.

Deus leo, & & columba. Ierem. 35. 38. 34. Cum S. Joanne Jeremias Propheta convenit, dum de Deo loquitur dicens: *Dereliquit quasi leo umbraculum suum*, ut autem sciamus non tantùm illum fuisse leonem, subitò illum columbam vocat, dicens: *Quia facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ.* (Ibid.) Explicans autem qualis illa columba fuisset, subjunxit; *Et à facie iræ furoris Domini.* Dum ergò videtur Deus nullam habere tribulatorum providentiam, cùm instar leonis non defendit locum suum; ostendit tamen maximam suam providentiam, dum irâ columbæ nos percutit; dum nempe mitiùs nobiscum agit, quàm peccata nostra merentur; ita ut ira quâ ad puniendum nos utitur, in comparatione istius, quâ à nobis recedit, videtur ira columbæ respectu furoris leonini.

Dei providentia castigatione figurata. 35. Quid dicitis? quod possit securè dormire, qui sub umbra providentiæ divinæ requiescit? bene quidem, nam sub umbra spinosæ juniperi requiescit Elias à Jezabele persecutus. Nescitis quoque providentiam olim depingi solitam, cum baculo in manu supra mundum requiescens, ad significandum, baculum, castigationem videlicet præcipuum esse divinæ providentiæ instrumentum. Quid dicitis Deum in cœlo tantùm suos alere, & lactare? vos ipsos decipitis, quia nutrix est totius mundi: *Cum eo eram cuncta componens,* (Sap. 8. 30.) dicitur de æterna sapientia; juxta Hebraicam versionem propriùs idẽ dicitur: *Eram apud eum nutricius, aut nutrix*; qui nimirum proprio pectore lactat. Inter nomina Hebraica Dei, unum est *Sadai*, quod significat *Deus uberum*; apud gentiles quoque Deus uberibus plenus depictus erat, ex quibus omnes creaturæ dependebant. In Isaia quoque clariùs idem habetur; *Ad ubera portabimini*; & alibi, *Ego* (Isa. 66. 12.) *feci, ego feram*; quasi diceret, *Ego* (Isa. 46. 4.) *mater exstiti, etiam nutrix ero.* Sed nónne videtis infantes à nutricibus fasciis stringi, & manus ligari? dum autem ablactandi tempus advenerit, quòd absynthium circa ubera ponitur? quòd relinquantur quandoque lacrymari? Aristoteles ait id quandoque infantibus convenire, ita enim caput humore superfluo evacuatur. Pari modo Deus efficit, nónne videtis illum cœlum tot circulis quasi fasciis involvisse? & mare nubibus cinxisse? quæ fasciæ à beato Job vocantur: *Cùm pannis infantiæ eum involverem*; (Iob 38. 9.) & tu liber, ac dissolutus esse velles? non hoc tibi utile, & conveniens foret, ideoque te fasciis strinxit; sed nobilioribus, & pulchrioribus, nam ipse fascia tua est, dicente Jeremia Propheta: *Numquid obliviscetur* (Ierem. 2. 32.) *virgo*

virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus verò meus, oblitus est mei, diebus innumeris; in Hebræo habetur, *Ligaculorum suorum*; ut autem argumentum bene fluat, intelligendum est, quid sint vincula ejus. Sed quando hæc vincula stringuntur? quando es in tribulatione, tunc enim tibi Deus propiùs, & viciniùs adest: *Cum ipso sum in tribulatione*; licèt quoque lamenteris, & plangas, nil refert, totum ad tui utilitatem conducit.

Psal. 90. 15.

Circa cardines cœli providentia divina.

36. Quid dicitis Deum circa cœli cardines ambulare, nec hæc inferiora curare? Quin imò dico ego dum cœli cardines perlustrat, non potest quoque hæc inferiora non considerare, & curam nostri gerere. Quid enim per cardines cœli intelligitur? Abulensis, Liranus, Glossa ordinaria, aliique volunt illas esse quatuor partes principales mundi; Oriens, Occidens, Aquilo, & Meridies; sed ab his quis nescit totam mundi gubernationem dependere? Hinc veritas temporum, diversitas climatum, temperies aëris, fœcunditas terræ, generatio, & corruptio cunctarum rerum; hinc particulariter venti, iisdem nominibus appellati, à quibus non tantùm maris tempestates, & cœli conturbationes, verùm etiam serenitas aëris, pluviæ, aliæque mutationes temporum derivantur. Dicere ergò Deum esse circa cardines cœli, tantum est dicere, quòd bene cuncta advertat, quomodo venti dirigendi, ac universa pro varietate temporum ac locorum distribuenda: quia verò venti symbolum sunt tribulationis, in his emittendis, Deus maximè providentiam suam demonstrat.

Cardines cœli quatuor virtutes cardinales.

37. Nec extra propositum erit nomen ventorum, à quatuor cœli cardinibus desumptum. In hoc siquidem quatuor virtutes cardinales optimè repræsentantur. In Oriente unde lux super omnia spargitur, prudentia ponenda, cujus lumine omnes nostræ actiones diriguntur. In Occidente versus quem sol rapidè pergit ut occidat, fortitudo, quæ nos audacter etiam contra mortem impellit. In meridie à qua per lineam meridionalem tempus diurnum rectè distribuitur, justitia, quæ jus suum unicuique tribuit. Et in gelido Aquilone temperantia, quæ superfluū libidinis calorem, frigiditate suâ temperat. Hæ autem virtutes à ventis tribulationum mirabiliter adjuvantur, hi siquidem nos prudentes efficiunt, quandoquidem; *Qui tentatus non est, qualia scit?* fortes præstant, quia *Tribulatio patientiam operatur*, justos reddunt, quia, *justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*, dixit impius, & injustus Antiochus à tribulatione eru-

Eccli. 34. 11.
Rom. 5. 3.
2. Machab. 9. 12.

ne eruditus. Temperantes denique faciunt, teste Sapiente: *Infirmitas gravis, sobriam facit animam.* Ut ergò omnes istæ virtutes in nobis generentur, excitat Deus à quatuor cœli cardinibus ventos tribulationis, qui est præcipuus providentiæ divinæ effectus.

Eccli. 31. 2.

Quæ animalia in vita, & morte utilia.

38. Quid dicitis nos esse ut pecora ad macellum destinata? insignem ergò nostri curam gerit. Quatuor sunt animalium genera, aliqua sunt bona, & utilia in vita, sed non post mortem ut equus; aliqua in vita non valent, sed post mortem sunt utilia, ut sunt illa, quæ tenentur solùm ad impinguendum, ut porcus: aliqua nec in vita, nec in morte sunt bona, ut lupus; alia denique in vita & morte sunt bona ut bos, & pecora; Inter hæc autem de quibus majorem curam habet Deus? De his ultimis arbitror, quia semper & ubique sunt bona. Illud ergò significat nos esse ut pecora ad macellum destinata, nos nimirum in vita & morte Dei servitio destinatos esse, nos ipsos in cibum suavem per tribulationem præparando, ut de se ajebat S. Martyr Ignatius; *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar:* quæ omnia sunt divinæ providentiæ effectus. Quid dicitis, nos ut pisces esse? bene quidem, sed nónne videtis quod quamvis horum nullam curam homo gerat, Deus tamen illis providet? Nónne cognoscitis pisces marinos grandiores, meliorisque saporis esse quàm pisces fluviales? ex hoc providentiæ divinæ effectus magis elucet, qui mundum ut mare salsum efficit, ut nos majores, & meliores sumus. Quid dicitis feris & avibus meliùs provisum esse quàm nobis? Sed nónne videtis omnem illam providentiam in nostram utilitatem cedere, cùm omnia ad nostrum servitiũ sint creata? Non advertistis Dei providentiam versùs suos minorem videri, quia subtilior, nobilior, & mirabilior est? providit Deus animalibus unam vestem, & unicum cibum; sed homini cuncta reliquit, ut juxta beneplacitum, & voluntatem suam, vestes & cibos assumat, quod multò majus beneficium exstitit: illis omnia unicâ vice dedit, ac si vellet à se dimittere, ne occasionem habeat illa ampliùs videndi, homini autem singula paulatim tribuit, ut particularem ergà eum providentiam magis exhibeat.

Cuncta in utilitatem hominis ordinata.

Quomodo Deus ad indignationem commoveatur?

39. Quid dicitis, Deum propter res humanas non commoveri ad indignationem vel commiserationem? Verum est quantum ad affectum ejus internum, quia immutabilis est, sed non quantum ad affectum externum & tribulationem quam immittit,

tit, quæ hujus rei certissimum est argumentum, nam propter peccata nostra sæpissimè tribulationes erga nos excitat. Quid dicitis misericordiam, & justitiam divinam non transire nubes? Hæc verba incredulorum, & Atheorum sunt, quos ut confundat, sæpissimè Deus tribulationes in mundum mittit, quas misericordiâ suâ temperat. Philosophus quidam Theodotus, qui primò Deum negaverat, diuturnâ infirmitate castigatus, non solùm confitebatur Deum esse, verùm etiam plurima illi offerebat sacrificia pro salute consequenda. Magis tamen S. Ephrem divina providentia innotuit, in casu quodam quem illi Deus accidere permisit, qui cùm ita sit notabilis, & huic materiæ convenientissimus; illum breviter & dilucidè hîc referemus.

S. Ephrem conversionem suam enarrat.

40. Eram, inquit, puer, & intra me dubitabam, an res humanæ casu, vel à providentia divina regerentur, à quo dubio placuit suæ divinæ majestati me eripere, non verbis, sed factis. Cùm enim à parentibus in agrum missus essem, obviam habui iuvencam gravidam, quam persequendo, & lapidibus appetendo, occasio fui ut fugiendo in feras silvestres incidens, ab illis devorata fuisset. Paulò pòst occurrit mihi dominus ejus, quem interrogantem si quid de juvenca scirem, verbis malignis abegi. Mense transacto, denuò in villam à parentibus missus, nocte superveniente à pastoribus in tugurio admissus, accidit ut feræ silvestres ea nocte irrumperent totumq́; gregem dispergerent. Unde à dominis apprehensus, & accusatus, quod latrones in ovile intromisissem, judici traditus, & in carcerem conjectus fui. Cùm autem quadraginta diebus ibi commoratus fuissem, ecce dormienti juvenis aspectu terribilis adstat, dicitque mihi quid in hoc carcere agis? Cui cùm innocentiam meam indicassem; scio, inquit, te hac in re innocentem, sed præteritorum recordare; scisne te mensibus elapsis iuvencam viri pauperis ad bestias impulisse, ab iisq́ue occisam fuisse; ut autem divinam providentiam, & justitiam meliùs addiscas, illos duos tecum captivos interroga, quorum unus propter homicidium, alter propter adulterium falsò accusati sunt; intelligesq́ue non sine causa hîc esse. Sed nec veri harum culparum auctores sine supplicio transibunt; quo dicto disparuit. Manè facto, ad socios meos conversus dico cur hîc estis in carcere? quorum unus ajebat; ego certè de peccato mihi imposito innocens sum, sed à pauco tempore cùm quidam ab inimicis ex ponte in flumen dejectus esset,

S. Ephrem divinam providentiam ediscit.

cui

cui succurrere poteram neglexi, ipsumque flagitantem perire permisi. Alter verò dicebat ego quoque innocentiam meam in hoc facto confiteri debeo; sed non à multo tempore à duobus militibus quinquaginta nummos recepi, ut jurarem sororem ipsorum adulterium commisisse, quo facto innocentem puellam, & bonis, & honore spoliavi, quæ fratribus donata fuerunt. Cùm postmodum de mea incarceratione interrogassent, casum juvencæ, & captionem meam exhibui: tuncque verè compungi, & de peccatis pœnitere cœpimus, cogitantes nos justè hæc pati, licèt delictorum ob quæ capti fueramus innocentes essemus.

Deus ob peccata præterita sæpe punit.

41. Altero die omnes judici oblati fuimus, cumque socii examinati, & torturæ traditi innocentes judicati fuissent, liberi dimissi sunt. Ego autem cùm tantum quadraginta diebus in carcere mansissem, denuò inclusus fui; aliique tres ligati adducti, quibuscum dum triginta dies mansissem; juvenis ille qui mihi alias in somnis apparuisset, rursum astitit, dixitque quid facies Ephrem? nónne justum Dei judicium consideras? ut autem cognoscas quinam tres illi sunt qui tecum ligati tenentur, scias duos ex illis esse, qui sororem suam falsò de adulterio accusaverant, & paternis bonis expoliaverant: tertius autem est, qui ex ponte inimicum suum in flumen præcipitaverat, quibus dictis disparuit. Mane elucescente interrogavi comites, quam ob causam incarcerati essent, duo autem confitebantur, falsò sororem suam accusasse; tertius autem dixit, se hominem ex ponte in flumen præcipitasse. Ego quoque casum meum, & incarcerationem illis exhibui pariterque de aliis præcedentibus dixi. Ex his ergò narratis magnum Dei timorem concepimus, & defluentibus lachrymis peccata nostra deflevimus. Die sequenti omnes judici oblati sumus, ut tormentis interrogati, veritatem confiteri cogeremur; & duo fratres ultra jam declarata delicta, cum propriâ confessione adulterii & homicidii rei inventi fuissent, morti traditi sunt: alteri quoque ob duo homicidia idem supplicium inflictũ. Postmodum præcepit judex me quoque adduci, qui amarè flendo, & lamentando, Deum precabar, ut ab illo periculo me liberaret, ut Monachus fieri, illique dignè servire possem. Præcepit deinde judex, ut me nudum distenderent, & bovinis nervis acriter cæderent: sed assessor judicis ait, reservemus istum ad aliud usque tempus jam enim hora prandii est. In carcerem ita denuò deductus, catenisque constrictus fui, ubi iterum

Quomodo S. Ephrem è carcere liberatus?

rum sine sociis viginti quinque dies peregi. Et ecce tertiò idem juvenis mihi apparens dixit: scísne jam certò Deum justo judicio mundum gubernare? Omninò certissimè domine; sed precor te humillimè ut me ex hoc carcere educas, ut merear Domino meo Jesu Christo fideliter in monasterio deservire. Cui juvenis hilari facie ait: unicâ adhuc vice ab alio judice examinaberis, sed adverte bene oculum Dei esse ubique cuncta intuentem. Post octo dies timore, & anxietate plenos transactos, novus judex me examinandum suscepit, qui falsam accusationem, & innocentiam recognoscens, liberum dimisit. Exinde ad montem subitò ascendens, pedibus venerandi abbatis advolutus, in monachum recipi supplex postulavi, à quo benignè receptus fui. Ecce quàm bene in tribulatione divina providentia elucet, & quomodo hic sanctus optimum suæ sanctitatis fructum haurire noverat. Addiscamus quoque nos, non solùm divinam providentiã in tribulatione agnoscere, verũ etiam fructũ optimũ colligere.

In tribulatione gaudendum, quia Deus curam gerit.

42. Ex his dictis ergò primò colligere poterimus, nobis summoperè lætandum, dum à Deo affligimur, certissimè quippe cognoscimus Deum nobis bene velle, & curam nostri gerere. Inter aves domesticas, nulla pejùs excipi videtur, quàm accipiter, videtur compedibus vinctus, oculis velatus, baculo alligatus, exiguoque cibo nutritus, quid pejus illi accidere posset? An idcircò minùs æstimatus quàm aves liberæ, quæ per domos vagantur, cibo abundantiori fruuntur, aut aviariis includuntur? Nequaquam, quin imò majore in honore habetur, à regibus quippe Neapolitanis tanti æstimatus erat, ut lege sancierint, currus illos à Gabellis exemptos esse, qui accipitrem in summitate tenerent. Omnia ergò ista effectus amabilis providentiæ sunt signa; ut volatui, & venationi aptior reddatur: ille verò licet ratione, & discursu privatus, non inde dolorem contrahit, sed propria voluntate ad manum Domini illum ita excipientis, libenter revertitur. Pari modo inter homines agitur; sunt enim quidam magis quàm alii afflicti, qui compedibus vinciuntur; teste S. Job: *Posuisti in nervo pedem meum*; oculis Iob 13. 27.
& facie velantur, uti David: *Operuit confusio faciem meam*; exiguo cibo sustentantur, ut idem Psal. 68. 8.
ait: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Psal. 79. 6.
Non ideo tamen aliis minùs æstimantur, sed à Deo majore favore excipiuntur, quia ut cœlum rapiant conservantur; Matth. 11. 12.
Regnum quippe cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

43. Hanc

Tribulationes prosperitates sunt.

43. Hanc quoque veritatem inter densas errorum tenebras gentiles cognoverunt; inter reliqua quippe auguria, fulgura potissimùm observata erant, quando siquidem à sinistra parte apparebant, felicia erant; quando verò à dextra infausta. Hujus rei rationẽ reddit Alexander ab Alexandro dicẽs: *Quæ nobis leva, diis dextra sunt*: quasi diceret illa quæ nobis adversa & infausta videntur, in oculis Dei qui mentiri nõ potest, prospera sunt. Idem S. Paulus asserebat: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Lætamini ergò, & consolamini afflicti, Deus siquidem vobis favet, & protegit, particularem de vobis curã gerens. E contrà autẽ qui nullis umquam tribulationibus vexantur, condolere debẽt, quia pessimum est signum quòd Deus illos dereliquerit, & tamquam infirmos incurabiles dimiserit, quibus medicus omnia concedit, quæ appetunt; vel sicut animalia quæ in pascuis divagare sinuntur, ut impinguentur, & macello destinẽtur. Vel sicut vitis, quæ nõ putatur, nec purgatur, quia igni reservatur. Vel sicut aulicus à principe derelictus, cui nihil ampliùs præcipitur, nec onus aliquod imponitur. Vel ut uxor repudiata, quam sponsus non ampliùs zelatur; vel ut vestis admodum trita, quæ non ampliùs reparatur, aut mũdatur. Vel ut campus sterilis, & infœcundus, qui non ampliùs aratro scinditur, aut foditur.

Alexand. libr. genitalium dierum.

Ad Philip. 3. 7.

Tribulationis expertibus dolendum.

44. Mulier uberibus lacte repletis si à nullo sugentur, dolet, quia periculum infirmitatis incurabilis incurrit. Nos omnes lacte deliciarum, & voluptatum pleni, væ nobis si nullis tribulationibus, quæ puerorum instar illas exsugunt, oppressi fuerimus. Ideoque rectè dicebat S. Job: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum*: Spiritus meus sugit lac illud quod mihi aliàs nocere posset. Plangite ergò vos omnes qui hîc consolationibus, & deliciis abundatis, quia pessimum est signum, quòd in altera vita lugebitis; *Væ vobis divitibus qui hîc habetis consolationem vestram*: signum est vos de hoc mundo esse, ideoque mundus vobis arridet. De Phocione licèt gentili, mirabile quid legitur, dum enim populus illi applaudebat, dolebat dicebatque; mali quidpiam dixisse me arbitror, alioquin populus non mihi applauderet. Tu verò quando à mundo ablandiris, time te peccatum aliquod commisisse, illamque divinam esse castigationem; dum verò affligeris, hilaris esto, Deus enim te ut filium suscipit; tribulationesque in hac vita immittit, ut consolationes in altera vita tibi reservet: quod Deus nobis concedat. AMEN.

Iob 6. 4.

DISCVR-

DISCVRSVS XXXV.

Providentia divina in tribulatione bonorum particulariter elucet; quibus ut omnes afflicti annumerentur curandum est.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

De quo & quibuscum in hoc discursu agendum? num. 1. 2.

Deus nullam providentiam erga justos exercere videtur, à num. 3. *usque ad* 7.

Cuncta æqualiter omnibus evenire videntur. num. 8. 9. 10.

Deus justos affligendo providentiam suam maximè exhibet. à num. 11. *usque ad* 17.

Deus percutiendo sanat. num. 18. 19. 20. 21.

Tribulatio justorum sceleratis utilissima. à num. 22. *usque ad* 27.

Tribulatio fortitudinem, & victoriam inimicorum confert. num. 28. 29. 30. 31.

Tres differentiæ inter tribulationes justorum, & iniquorum. à num. 32. *usque ad* 36.

Finis tribulationis attendendus. nu. 37. 38. 39.

Pati cum bona conscientia delectabile. num. 40. 41.

Præcedenti discursu cum Philosophis:

1. Il magni nos egisse dicendum est, si præcedenti discursu victoriam ab inimicis reportaverimus; id siquidem non tam nostræ virtuti, quàm rei veritati nobis conjunctæ, & contrariæ partis debilitati adscribendum esset. Contra quos enim nobis confligendum fuerat? Contra Epicureos Philosophos gentiles, imò Philosophorum nomine indignos, qui potiùs ventri implendo, quàm ingenio acuendo; potiùs gustui oblectando, quàm intellectui pascendo; potiùs conviviis, quàm disputationibus; potiùs poculis evacuandis, quàm libris evolvendis; potiùs Bacchi, quàm Minervæ instrumentis; potiùs voluptatibus quàm scientiæ attendebant. In præsenti autem discursu cum generosis ducibus sincerè nobis confligendum est. Scitis quibuscum hic conflictus ineundus? Cum prophetis, cum Dei servis, cum sanctis. Sed quid? numquid conclusiones catholicas defendimus? numquid Dei providentia certissima? Omnino; quo-

Hic cum sanctis agendum.

modo ergò à Prophetis, à veritatis oraculis, à sanctis qui firmissimè illi adhæserunt, & in seipsis experti sunt, impugnabuntur? Non vobis id extraneum videatur, mos siquidem scholarum est, quòd quantumvis discipuli doctrinam magistri sequantur, ut meliùs tamen se exerceant, inter se mutuô exercitiô conclusiones sustinent, & discutiunt, ita ut uno magistri doctrinam sustinente, alii illam impugnent. Pari modo hîc accidere dicendum est: Prophetæ, sancti, & nos omnes unius scholæ discipuli sumus, omnes eumdem habemus magistrum;

Matth. 23. 10. *Magister vester unus est Christus.*

Quid in hoc discursu agendum?

Ego in hoc discursu conclusiones defendam; & particulariter illam, quòd Deus tunc maximè providentiam suam in bonis & justis hominibus demonstret, quãdo illos summoperè affligit, aut permittit multis calamitatibus opprimi. Plurimi sunt oppugnantes, inter alios autem duo doctissimi, & sanctissimi; Propheta David, & Jeremias; sed quãtò doctiores, tantò modestiores, semper enim ut duæ charæ sorores, simul incedere solent, modestia, & doctrina.

Propheta hanc conclusionem oppugnant.

2. Quando duo inimici simul contendunt, malis, & injuriosis verbis se mutuò lædunt; quando verò amici de re aliqua inter se disputant, aut aliquid inquirunt, se mutuò benevolè excipere solent, & declarare, se disputationem hanc, non odio, sed sciendi gratiâ suscipere. Propheta David cum Deo quadam vice contendere volens; præfatiunculam in laudem ejus præmittit dicens: *Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*: in Hebræo habetur, *certè bonus est Deus*; confiteor Deum summè esse bonum, postmodum dubia quædam proponere cupiens ait: *Mei autem moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei*, hacque præfatiunculâ præmissâ, dubia sua proponit dicens: *Pacem peccatorum videns*. Pari modo Propheta Jeremias, cum Domino disputare volens, primò protestatur dicens: *Iustus quidem es Domine si disputem tecum, verumtamen justa loquar ad te*: quasi diceret, non adeò sum stolidus ut in hac disputatione prætendam obtinere palmam, verumtamen non omnino extra propositum loquar. Quandoque etiam accidit, quòd inter disputandum, quidam alius difficultatem non plenè solutam, aut explicatam videns, se erigens, aliqua proponere cupiat, & tamdiu inclamet donec audiatur. Talem se demonstrat Habacuc, qui argumenta aliorum Prophetarum resumens, videnſque se tali attentione non audiri ut par erat, vocem elevans, clamare incipit; *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, &* non

Psal. 72. 1.

Ibid.

Ier. 12. 1.

Habac. 1. 2.

non salvabis? postmodum argumentum subjungit dicens: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces conculcante impio justiorem se?* Demus ergò in hoc discursu gratam attentionem argumenta proponentibus, & ope divinâ, ac Spiritus sancti gratiâ annuente, illa solvere conabimur.

Duo sunt contraria negativa, & positiva.

3. Ut argumenta igitur contraria intelligamus, præsupponenda primò est doctrina Philosophica; duo esse contrariorum genera, positiva, & negativa; negativa formam oppositam solùm excludunt, positiva autem ultra hoc formam oppositam præsupponunt. Illa præsupponunt contrarium non esse; hæc verò si adsit illud destruunt. v. g. negativum lucis sunt tenebræ, positivum est fumus. Negativum caloris est non calor, positivum est frigus. Numquid in divina providentia hæc duo contraria reperiemus? omninò, negativum siquidem est nil cogitare, nec bonum nec malum; positivum autem, cogitare malum. v. g. personæ incognitæ, nullam habes curam, par etenim tibi est utrum bene vel malè sit. Sed inimico tuo, non solùm non optabis bonum, verùm etiam plurima mala imprecaberis; sicque contra illum, contrarium providentiæ exercebis, quale diabolus contra nos exercet. Deus quandoque contra nos contrarium negativum providentiæ suæ exercet, dicens: *Auferetur à te zelus meus*, & alibi; *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Quandoque etiam contrarium positivum; cùm dicit: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Nulli insuper dubium est, providentiæ divinæ magis repugnare contrarium positivum, quàm negativum. Quomodo ergò Deus se habet, cum bonis? tali modo, ut non solùm ullam videatur de iis habere curam; verùm etiam omninò persequi, & contrarium positivum contra illos exercere videatur; prout dixit magnus ille Politicus: *Non esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem.*

In divina providentia reperiuntur.

Ezech. 16. 42.
Psal. 80. 13.
Psal. 33. 17.
Tacit. lib. 1. hist.

4. Qui directè sagittam emittere, addiscere cupit, scopum aut signum aliquod sibi proponit, contra quod ut inimicum sagittas jaciens se exercet; nec illud attingere sufficit vult medium ejus aliquoties configere. Deus nullo exercitio indiget, sed ut nobis sapientiam suam, & artem mirabilem indicet, sagittas emittere delectatur, aliquem sibi scopum præfigens, in quem directè tendat. Qualis autem hic scopus? justus; ita de seipso S. Jeremias testatur, qui adeò justus fuit, ut in ventre matris sanctificatus dicatur: *Posuit me*, inquit, *quasi signum ad sagittam*; & de sancto sanctorum dictum est;

Iustus scopus divinarum sagittarum.

Thren. 3. 12.

Luc. 2. 34. est; *Positus est hic in signum cui contradicetur* : hinc Deus maximè indignatur, dum nos in tribulatione deficimus, aut impatientes sumus. Dum princeps magnus sagittādo colliniare cupit, temerarium esset auferre scopum, aut immutare; pari modo Deus dum justum tribulationis scopum proponit, non vult quod moveatur, aut conturbetur. S. Paulus Thessalonicenses
1. Thessal. 3. 3. de hoc commonens aiebat: *Nemo moveatur in tribulationibus istis*, quare hoc? *Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus*; in signum nempe, & scopum sagittis Dei; utque videamus, illum rectè colliniare, oportet nos solidos, & constantes permanere.

Crudele exemplum Cambyses. 5. Cùm justis Deus agere videtur, sicut Cambyses Persarum Rex, cum filio Parasaspis egisse legitur, petebat quadam vice Cambyses ab illo quid de se sentiret populus; at ille, omnes rectè de te sentiunt, sed cùm simpliciter hoc regi dixisset, suspicatus est rex aliquid latere, ideóque replicans ait, ne abscondas à me veritatem, sed sincerè indica quid de me dicant, at ille coactus, licet aulicus esset, non tamen ex iis erat, qui cuncta bona, & placita regi annuntiant, sed incautè dixit; nimium te quandoque bibere aiunt. Quo dicto Cambyses cor accendere sentiens, ut par pari redderet, dixit, licèt potui quandoque indulgeam, non tamen judicium umquam perturbo, nec manus trementes gero; quod ut experiaris, fac, inquit, filium tuum huc venire, illumque in signum pone; at rex primo ingenti scypho vino pleno exhausto, arcum sumens cor filii intendens, rectè medium trajecit, & mortuum in terram dejecit. Ad patrem deinde reversus ait, quid tibi videtur, nónne rectè attigi, licèt primo largo potui indulsissem? In posterum dicere scies mihi vinum non nocere; sicque ne potator diceretur, maluit potiùs crudelis, & fatuus videri. Simile quid (demptis tamen imperfectionibus) Deus efficere videtur; aulici ejus, sancti videlicet, numquam amorem ejus amplificare cessant, dicuntque Deum tam immenso amore hominem prosequi, ut vino se inebriasse videatur; *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino*; sed quid efficit? Ne quis me ebrium reputet, neque directè sagittas emittere posse videat, probationem in corde justorum exhibere cupio. Sic quadam vice Ezechielem dilectum suum vocabat dicens: ut hic populus cognoscat me directè cor transfigere posse; volo ab illis auferre, quod magis amant, *Ecce ego tollam à te desiderabile oculorum tuorum, & non planges, neque plorabis* : ad quem finem? ut sciat populus me rectè

Deus præ amore ebrius videtur.

Psal. 77. 65.

Ezech. 24. 16.

ctè colliniare posse, sic enim illis accidet. Sed quæso Domine, nónne aliam probationem adhibere posses? omninò, sed ita complacet mihi, patienter sustinere oportet. Deus Abraham probare volens, ita illi dicebat;
Gen. 22. 2. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac*; filium à te dilectum in signum sagittarum mearum constituere te volo, quia chariora mihi semper placent. Videtur denique aliud efficere non posse, quàm justos affligere, & in eos sagittas emittere, dicente Jeremiâ Pro-
Thren. 3. 3 phetâ: *Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die.*

Deus feriendo dolorem excitat.

6. Dices fortassis Deum propter bonum nostrum hoc agere, sicut Chyrurgus vulnus aperit, ut illud sanet. Id verum esset, si tali modo perageret, sed omninò contrariè peragit. Chyrurgus siquidem omni modo curat, ne dolor sentiatur, ideóque inopinatè, ac subitò ferit. Deus verò ut inimicus agere videtur, qui non solùm vulnera infligere, sed dolorem, & tormenta addere cupit. Crudelissimus Imperator Tiberius, non tantùm alicui mortem infligere cupiebat, verùm etiam ministris dicebat: *sentiat se mori*, non subitò moriatur, sed lentâ morte crucietur. Pari modo Deus agere videtur, non sufficit illi vitam subitò auferre; sed doloribus consumere nos cogit, & in tormentis nostris delectari videtur; unde Propheta Job dicebat: *Solvat manum suam, & succidat me, & non de pœnis innocentum rideat*: subitò perficiat quod intendit, nec tam diu torqueat, sicque apparebit, quod in pœnis innocentum non delectetur. Iob 6. 9.
David hujus vitæ miserias describens, mortem misericordiæ attribuit dicens: *Quoniam superveniet mansuetudo, & corripiemur.* Psal. 89. 10.
Pari modo Cajus Imperator agebat, qui advertens quòd loco inimici amicum torqueret, volens illi misericordiam exhibere, subitò occidi curavit.

Deus pastor videtur iniquus.

7. Nulla similitudine Deus frequentiùs providentiam suam explicat, quàm boni pastoris; nunc dicit; *Ego sum pastor bonus*; Ioan. 10. 11.
nunc, *Quis ex vobis homo habebit centum oves*; Luc. 15. 4.
nunc, *Sicut pastor segregat oves ab hœdis*; Matt. 25. 32.
aliisque similibus modis. Quid de illo pastore diceretis, qui loco quòd pecora à lupis defenderet, illos in medium illorum dirigeret? se magis inimicum quàm pastorem ostenderet; tale quid Deus agit ipso dicente: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: Sed quid ipsis erit, an arma defensiva tribuet? *Estote ergo*, inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Ut Ovis in medio Luporum consistens salvetur, aliis armis quàm prudentiâ opus est. Quia tamen dicere possemus, Deum omnia illa propter bonum nostrum agere; transeamus Matt. 10. 16.

transseamus ad contrarium negativum, quod nullum admittit responsum.

Deus æqualis omnibus. 8. Nónne clarè videmus, omnia indifferenter, tam bonis, quàm malis evenire? Ubi ergò divina providentia? Quod gentiles olim fortunæ ascribebant, nos Deo attribuimus; sed illi fortunam cæcam fingebant, quia bona, & mala sine discrimine immittebat: idem ergò de Deo dicendum erit, illum nimirum providentiæ suæ oculis occlusis, in hæc inferiora bona, & mala absque distinctione immittere. Dices fortasse, Deus se omnibus æqualem exhibere cupit, cùm sit omnium dominus, sed nónne vides hanc æqualitatem injustam esse? Sic quidam ingeniosus similem abusum carpere volens, manum depinxit, omnibus digitis æqualem, hoc dicto addito; *Inæqualis æqualitas.* Sed nónne digiti omnes æquales erant? quomodo ergò inæqualitati locus erat? erat æqualitas Arithmetica, sed inæqualitas Geometrica, proportionis videlicet. Hoc emblemate indicare volebat, magnam fieri injustitiam, omnes æqualiter excipiendo; cùm ratio postulet, ut magis merenti, majus tribuatur præmium. Sed hoc rectè in mundo accidit teste Salomone dicente: *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.* (Eccles. 9. 3.) Clariùs idem his verbis testatur. *Omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant, justo, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo.* (Ibid. 2.) Quidam apud Malachiam conquerebantur nihil illis prodesse, se bonos esse; *Quod emolumentum*, dicebant, *quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino? Ergò nunc beatos dicimus arrogantes?* (Malac. 3. 14)

Cur mali feliciores justis. 9. Quomodo ergò dicimus justos magis esse afflictos, si cuncta indifferenter omnibus eveniunt? Respondebunt illi, hoc ab ipsa natura, & conditione humana evenire; quia mali, per fas, & nefas quærunt divitias, & honores; boni non illa quærunt, vel saltem licitè, & honestè: quid mirum si illi ditiores, & honoratiores sint? Boni nemini injuriam inferunt, & offensi patienter sustinent; mali injuriam inferunt, & persequuntur bonos, & si unam recipiunt injuriam, quadruplicem reddunt; quid mirum ergò si magis affligantur boni, quàm mali? Boni sunt modesti non se ingerunt, domi prosperitatem advenientem expectant. Mali se ubique ingerunt, arrogantes, importuni, si quid ipsis utile conspexerint, omni vi, & modo sibi attrahere nituntur; quid mirum ergò, si hi feliciores, quàm illi videantur? Ita ut quantum ad Deum attinet, videntur omnia æqualiter procedere, illum-

que

esse non habere tantam de bonis providentiam, quantum bene dicitur. Hæ ſunt præcipuæ difficultates, quæ in hac materia oboriri poſſunt; licet tamen videantur aliquo modo excedere, non ideò deſperandum; quia divino muniti auxilio, non tantùm non ſuperabimus, verùm etiam contra ipſos adverſarios retorquebimus.

Cur juſtis mala accidant. 10. Ad hoc intentum noſtrum probandum afferre poſſem, quod Seneca licèt gentilis multâ diligentiâ opuſculum compoſuerit, inſcriptum; *Quare bonis viris, mala accidant, cùm ſit providentia*; poſſem, inquam, cum hoc Philoſopho probare, tribulationes, pœnas, afflictiones, injurias, mortem ipſam, non eſſe malam. Ratio autem hujus rei ab ipſo aſſignatur; quia *nihil accidere bono viro mali poteſt*: mala, & bona inter ſe convenire nequeunt, cùm inter ſe magis ſint contraria, quàm calor & frigus, aqua & ignis, lux & tenebræ: cumque contraria ſe mutuò ex eodem ſubjecto expellant, bonus nullo malo vexari poterit. Ante Senecam quoque David idem dicebat: *Non accedet ad te malum*, Pſal. 90. 10. hoc autem malum tribulationem non excludere probatur, quia poſtmodũ ſubjunxit Deus; *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Pſal. 90. 15. Poſſet tamen aliquis dicere, illud non ſufficere, ſicut enim non eſt mala, ſic etiam non eſt bona; unde illius ſicut rei alicujus impertinentis, quæ nil refert ſive contingat, ſive non contingat, faciliter dicere poſſumus, Deum nullam curam gerere.

11. Meliùs ergò dicamus, Deum, juſtis tribulationem immittendo, maximam ſuam demonſtrare providentiam. *Tribulatio divinæ providentiæ effectus.* Primò ergò ſupponendum eſt, quod adverſarii primis ſuis argumentis probare conabantur, juſtos tribulationibus magis affligi, quàm malos. Quid dicitis ergò, hunc effectum exiguæ eſſe providentiæ? Et ego dico illum ſummæ providentiæ eſſe. Nónne recordamini Salvatorem noſtrum dixiſſe, ſe eſſe noſtrum præceptorem, & Magiſtrum; *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus*? Matt. 23. 10. Sed quid docet nos magiſter? non eloquenti diſcurſu verba proferre, ſed bene operari & contra inimicos confligere. Sic David inquit; *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Pſal. 143. 1. Gladiatorem ſe exhibet Deus, non ſolùm quippe nos docet quomodo manus dirigere, verùm etiam qualiter digitos inter lanceas, & gladios tenere debeamus; ideoque Iſaiãs illum magiſtrum appellando, ducem quoque nominat dicens: *Dedi eum ducem, & præceptorem gentibus*; Iſa. 55. 4. antiquitùs enim moris erat, ut duces milites ſuos artem militarem docerent. Magna tamen

est differentia, inter conflictiones veras cum inimico, & illas quæ exercitii causâ fiunt; in illa, quia lædere, percutere, & occidere volunt, gladiis ex utraque parte acutis utuntur; in hac autem quia exercere se volunt, & addiscere, gladiis utuntur obtusis, & acumine privatis, qui percutiunt quidem, sed non lædunt. His gladiis utitur exercendo servos suos; etenim si ita non foret, non minatus fuisset se gladium suum exacuturum dicens: *Si acuero ut fulgur gladium meum*; quasi diceret, modò gladiatoris instar gladio obtuso percutio, sed cave ne irascar, quia gladium tunc acuam & vulnerando percutiam.

Deuter. 32. 41.

Arma Dei non nocent, sed sanant.

12. Quandoque tamen gladiatorum arma, licet non ita vulnerent, si tamen partem aliquam delicatiorem corporis attingant, illam offendunt, vel oculum, aut dentem eruunt, si arma dirigere non norunt. Hæc autem pericula, nullo modo cum Deo timenda, quin imò loco quòd oculum perdemus, novum ac divinum acquiremus: Dei siquidem gladius adeò est obtusus, ut virga potiùs quàm gladius appellandus sit. In summitate quoque oculum divinæ providentiæ defert, ut Jeremiæ demonstrata fuit; ideoque dixit; *Virgam vigilantem ego video*, virgam nempe oculatam, in hac autem oculum divinum fuisse, exinde probari potest quòd Deus subjunxerit dicens: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo*; ita ut Deus hac virgâ percutiendo, nobis oculum suum communicet, & novâ luce videntes efficiat. Quod autem magis proposito nostro inservit est, quòd licet magister discipulos inter se confligere, & digladiari sinat, si tamen aliquem præ omnibus excellentem viderit, quique frontem cunctis porrigere audeat; ipsemet gladium arripiens, illum aggreditur. Hujus rei ignarus, putaret ex odio magistrum discipulum aggredi, sed expers, & gnarus, scit illi favorem præstare, licèt percutiat; cuncta siquidem agit, ut valorem ejus innotescere faciat. Pari modo Deus quandoque justum affligere, & persequi incipit; & cur ipsum hoc facere creditis? quia illi malè vult? Nequaquam, sed quia generosum, & exercitio suo dignum videt. In S. Job clarissimum habemus exemplum; Diabolus gloriabatur se totum mundum peragrasse, nec quempiam invenisse, qui illi resisteret; *Circuivi terram, & perambulavi eam*; sed quid illi dixit Deus? *Numquid considerasti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* quid per hoc indicare volebat? In hoc alludere videtur, consuetudini veteri, dum enim in lucta, aut conflictu plures simul erant pares viribus,

Ierem. 1. 11

Ibid.

Deus se gladiatorem exhibet.

Iob 1. 8.

ribus,

ribus, pariter luctabantur; quasi diceret, Job neminem in terra sibi similem habet, cum diabolo ergò ipsi confligendum erit; quo devicto, Deus non dedignatur cum illo confligere, prout ipse testatur dicens: *Posuisti me contrarium tibi*; ut adversarium meum te constituisti. Idcoque rectè inquit Seneca: *Bonum virum in deliciis non habet Deus; experitur, indurat, sibi illum præparat.* Iob 7. 20.

Deus castigans se patrem exhibet.

13. Dico insuper non solùm dum illis pro exercitio, verùm etiam pro punitione tribulationes immittit, summâ uti providentiâ. De M. Bruto qui Tarquinios Româ expulit me legisse memini, quòd dum ejus filii, cum aliquibus aliis contra patriæ libertatem conjurassent, ipso consule existente; filios suos ad mortem condemnavit, alios autem senatui commisit; sed cur potiùs hos, quàm alios? quia ad illum horum cura particulariter pertinebat. Nec exigua est providentia peccata commissa punire, Deus enim quandoque plurimos se graviter offendere conspicit, nec illos castigat; postmodum autem justus minimum committens errorem, severè punitur. Quid hoc sibi vult? Deum justum ut filium punire, de eoque particularem curam gerere. Nec mea hæc excogitatio, sed ipsius Dei per Amos prophetam rationem reddentis, cur gentiles non ita essent puniti quàm Judæi, cùm majora peccata commisissent, dicitque se hoc ideò fecisse; quia, *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, propterea visitabo super iniquitates vestras.* Amos 3. 2.

Deus cum justis pilâ ludit.

14. Adjungendum quoque, tantò libentiùs Deum hoc exequi, quantò magis justos ex tribulatione fructum collegisse videt. Ut hoc meliùs explicare possim, vestra bonâ veniâ exemplo quodam humili, meo tamen proposito accommodato, uti licebit. Si quis pilâ ludere velit, oportet eam, non solùm rotundam esse, verùm etiam ex tali materia confectam, ut in terram cadendo resultet, videbitisque lusores gustum capere si pilam sæpius in terram dejiciendo æqualiter resultet. Si autem pilam accipiant, quæ in terram decidendo non resultet, sed ibi hæreat, ut inutilem abjiciunt. Pari modo Deum agere dicite, nec extraneum vobis videatur, si Deum lusori assimulemus, ipse enim de se ait: *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Prov. 8. 30. Hunc locum Liranus exponens dicit; *Ludens, id est, ludum faciens de orbe terrarum,* qui similis est ludo pilæ: nec ulli dubium esse potest, quin hæc ingens mundi Machina, exigua pila dici potest respectu manus Dei. Homo quoque parvus mundus dictus, pila quoque est; ju-

Iustus pila resultans. stus autem pila est resultans, non una aut altera vice sed pluries; ita quippe testatur Sapiens dicens: *Septies cadet justus, & resurget*; ecce quomodo pila resultans Deus hoc lusu summoperè lætatur, ideoque sæpius illum in tribulationem incidere permittit, ut fructum majorem percipiens, se versus cælum ferventiùs erigat; hæc terrena despiciens, & cælestia suspirans: sicut enim inquit S. Gregorius in hunc locum Job scribens: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Quod in avibus alæ*, inquit, *hoc in justis labores sunt, qui illos ad superna excitant.* Peccator autem qualiter se gerit? est pila non resultans, dicente Amos Prophetâ: *Domus Israel cecidit, & non adjiciet ut resurgat.* Dices fortassis, leviter cecidit, nec impetu à lusore projecta fuit; sed audi prophetam iterum dicentem: *Virgo Israel projecta est in terram, & non est qui suscitet eam.* Quid ergò Deus efficit? Tales à se ut indignos abjicit, & in terra jacere permittit; quod summam felicitatem æstimant, sed maxima illorum est miseria. Hujus rei pulcherrimam vobis scripturam Isaias Propheta exhibet; Sobnam quippe templi præfectum alloquens ait: *Quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam, ibi morieris*: Nota bene *quasi pilam*; cùm enim cadens in terram resultare non possis, ibi quiesces, & morieris. Iusti autem resultantes, semper in manu Dei sunt, quia illis delectatur ludere: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.*

Proverb. 24. 16.

S. Gregor. 6. Moral. cap. 14.

Amos 5. 2.

Ibid.

Isa. 22. 18.

Sap. 3. 1.

15. Meliùs tamen dicamus Deum non tam propter delectationem suam, quàm propter utilitatem justorum frequenter justos affligere. Vas commune, vili servitio deputandum, repentè formatur, quia non multo indiget ornamento; parum terræ coagulatur, & in rota semel atque iterum vertitur, & subitò perfectum est: vas autem pretiosum argenti vel auri quod mensis principum inservire debet; multò majus tempus, & exercitium requirit. Nec artifex umquam sufficientes malleorum ictus, aut incisiones adhibuisse videtur. Si verò ab eo inquiris, cur toties hoc vas percutis? respondebit, quia omni perfectione possibili adornare cupio, cùm mensis principum inservire debeat. Omnes homines tot vasa dicere possumus; teste S. Paulo Apostolo, Romanis scribens, qui aliud vas in honorem aliud in contumeliam fieri asserit: alii siquidem bonis & honestis operibus destinati sunt, quales sunt justi; alii verò vilibus, & iniquis operibus famulantur, ut sunt peccatores; quid mirum ergò si non bene formentur, vas vile, non tantam meretur diligentiam. Iusti autem mensæ cælorum destinati, numquam sufficienter

Iustus vas pretiosum tribulatione perficitur.

Rom. 9. 22.

cienter à Deo formantur, & perficiuntur malleorum ictibus, & incisionibus, ut pulchriores semper evadant: ideoque Jeremias Propheta dicebat: *Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die*: tota die me exercet, & perficit. Thren. 3. 3.

Deus non vult justos tangi.

16. Hinc intelligemus responsionem ad pulcherrimum dubium, cur Deus se adeò zelosum circa hæc vasa gerit, ut non velit ab aliquo illa attingi: *Nolite tangere Christos meos*, &, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. 8. Sed quæso Domine, nónne tu quotidie illa percutis, & efformas, & postea non vis, ut alius illa tangat? Quid sibi hoc vult? quia ille non ex odio illa percutit, sicque vellet ut tu quoque ageres, sed ex amore, ut pulchriora, & insigniora evadant: quia verò tu hanc artem ignoras, & percutiendo illa rumpere posses, ideo non vult ut illa tangas. Nónne hoc clarè probatum vides, si enim aurificis officinam ingrediaris, velisque vasa aurea percutere, ut ipse solet, subitò dicet, noli vasa illa tangere, non enim est hoc officium tuum, nec artem percutiendi calles. Si verò dicas tu aliud non efficis quàm percutere, cur ego idem perficere nequeo? quia, inquit, sum artifex, & scio modum percutiendi, ut pulchriora evadant, quod tu ignoras. Propter eumdem ergò finem Deus suos percutit, & affligit, ideoque majorem erga eos providentiam demonstrat.

Ficta principis prodigalitas.

17. Ad nostrum intentum meliùs probandum, dicere possumus, Deum cum justis agere, sicut de magno quodam principe in aquis convivante legitur; sedebat hic pro gustu suo in navicula cum amicis, comedens in patinis aureis & argenteis, & portione finitâ, non illas deferri, sed in aquis projici curabat, ad nihil ultra attendens. Non tamen illas perdebat, sed reti supposito immittebat, unde aquâ defluente purgatas iterum colligebat. Pari modo, inquam, Deus, cùm justis agit, qui vasa aurea, & argentea sunt in honorem facta: illos siquidem in aquis tribulationum projiciens, non ampliùs curare videtur, sed reti divinæ providentiæ immittit, unde postmodum rursus colligi possint, ne pereant. Probaverat illud Propheta David, ideoque dicebat: *Factus sum tamquam vas perditum*, ita ut plures me diripere parabant, putantes me omninò derelictum; Psal. 30. 14. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt*; sed decepti fuerunt, quia spe, & providentiâ suâ Deus me securè conservavit; Ibid. *Ego autem in te speravi Domine, in manibus tuis sortes meæ.* Ibid. 15. Aliquibus minùs sapientibus videbantur perire; *Visi sunt oculis insipientium mori*; Sap. 3. 2.

Iusti vasa aurea quasi derelicta.

mori; sed in majori pace, & quiete securi erant; *Illi autem sunt in pace.* Hoc egregiè expertus est Jonas Propheta, videruntque omnes quàm mirabiliter divina providentia illum gubernaret: in mare quippe ut vas perditum dejectus, ecce à Deo piscis ingens ut rete præparatus, qui illum deglutiret, & conservaret;

Ionæ 2. 4. *Projecisti me*, inquit, *in profundum, & ego dixi, abjectus sum à conspectu oculorum tuorum.* Sed advertit subitò divinam providentiam se conservare velle, nec ut perderet, sed ut mundaret in mare

Ibid. projecisse, ideoque dicebat: *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Ezechiel quoque

Ezech. 22. 15. idem clarè expressit, dicens: *Dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam à te.*

Deus percutiendo sanat.

18. Parum dixi, non solùm Deus justos percutiendo pulchriores reddit; sed ubi aliæ percussiones vulnerant, Dei percussiones vulnera sanant. Ad hoc intentum probandum, mirabile quid de Jasone quodam Thessalonicensi narratur, qui cùm apostema in pectore incurabile gestaret, & quadam die ab inimico adorsus, se ita defendere non posset, quin læderetur, mirabile quid accidit, quod inimicus nimirum rectè apostema feriens, illud aperuit, & fœtido humore defluente, illi vitam tribuit, qui mortem inferre cogitaverat. Quod tunc casu actum est, ordinariè solet Deus suis efficere dum aliquo ambitionis, aut superbiæ apostemate inflantur, ipsos siquidem tribulatione percutiendo sanat. Hoc artificium optimè S. Job intelligebat, ideoque tribulationes suas sagittas, aut lanceas appellabat quæ sanguinem apostematis exsugentes illud intumescere non sinebant: *Sagittæ Domini*, inquit, *in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Iob 6. 4.

19. Taliter Christus cum discipulis suis egisse videtur, quando post miraculum multiplicationis quinque panum, in navem ascendere, & magnam subire tempestatem compulit. Cùm enim Apostoli illo tempore necdum perfecti essent, fortè ex miraculo præcedenti vanam gloriam hauserant, quia non solùm panis in manibus Salvatoris, verùm etiam in manibus Apostolorum multiplicabatur, cui Christus remedium afferre volens, exortâ tempestate, in naufragii periculum adduxit, nisi à Salvatore liberati fuissent. Subtilitas quoq; expositorum quorumdam hîc notanda, qui miraculum panum, ex conversione aëris vicinioris in panem contigisse aiunt, unde Apostoli superbiâ inflati, Deus eodem remedio illos sanare voluit, ne crederent se aëris esse dominos, quia illum in panem converterant.

Cur Apostoli tempestate quassati?

rant. Quia verò pisces eodem miraculo multiplicaverant, in escam piscium fermè devenerunt; sicque mare intrantes; *Navicula jactabur in medio mari, erat enim contrarius ventus.* Matth. 14. 24.

Tribulatio pondus est ne nimiùm efferamur.

20. Tribulatio ergò instar ponderis est, ad ima trahentis, ne à vento vanæ gloriæ, & superbiæ in altum feramur. Elianus de quodam Phileta nuncupato, rem admirandam & pæne incredibilem refert, ipsum adeò macilentum, & levem fuisse, ut metuens ne à vento deportaretur, ferreis calceis alioque pondere corpus gravaret. Pari modo Deus cum suis agit, videns enim servos suos omni terreno affectu spoliatos; ac paupertate spiritus, & abstinentiâ corporali leviores redditos; pedum affectus tribulationis ferro & pondere gravat, ut humiles redditi, nullo vanæ gloriæ, & superbiæ vento eleventur. Hunc autem insignem esse favorem ostendit Patriarcha Moyses, dum benedicendo filios Israel pervenisse ad Aser dixit: *Ferrum, & æs calceamentum ejus, sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua:* pedes tui ferro, & ære cingentur, ne à vana gloria, & superbia eleventur, unde in bono perseverare poteris, nec umquam dicetur, quod propter senectutem virtus diminuatur. Deut. 33. 25

21. Levis quoque erat S. Iob, de quo Deus dixit: *Erat vir simplex & rectus,* multò ergò levior hominibus duplicis corde, qui pondere suo ad ima feruntur. Iob 1. 1.

S. Iob & S. Paulus tribulatione depressi.

Ne ergò à vana gloria sublevaretur, Deus illi pondus ad pedes alligarat, ut ipse testatur dicens: *Posuisti in nervo pedem meum, & consideraſti omnes semitas meas;* quasi diceret, compedibus me vinxisti, non propterea, quia incedere non possum, cùm velles me in conspectu tuo ambulare, sed ut pondere depressus, in altum elevari non possim. Iob 13. 27.

Clariùs tamen S. Paulus idem probat dicens: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet:* quod S. Joannes Chrysostomus de pondere tribulationis intelligit. 2. Corinth. 12. 7.

Idem S. Job sub metaphora vulneris, & medicinæ ejus intelligebat dicens: *Ipse vulnerat, & medetur.* Carnem vulnerando, animam sanat; vulnere tribulationis apostema superbiæ sanat; ita ut multò meliùs de hac, quàm de hasta Achillis alius dixerit, non solùm illam virtutem habuisse vulnerandi, verùm etiam sanandi. De tribulatione ergò hoc dictum asserere possumus; *Vulnus, opemque gerit;* vel cum patiente Job: *Vulneraꞇ, & medetur.* Vt nimirum S. Gregorius explicat dicens: *Foris vulnera admovet, ut intus vulnera delictorum curet.* Iob 5. 18. S. Greg. 6. moral. c. 18

22. Nec

Tribulatio etiam illæsos sanat.

22. Nec hîc tribulationis plaga se sistit, verùm etiam sæpius alius illæsos sanat; non tantùm bonis afflictis prodest, verùm etiam in prosperitate, & felicitate constitutis; magnam siquidem timendi occasionem affert, ne illis similia contingant, quæ severè in aliis puniri videntur; si enim, inquiunt, Deus bonos adeò affligit, quid de nobis iniquis erit? Si levia filiorum peccata ita puniantur, quid servi scelerati expectare debent? Idem argumentum S. Petrus formabat dicens: *Tempus est ut incipiat judicium à domo Dei, si autem primò à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio? & si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Ante ipsum quoque magister ejus Christus idem argumentum formaverat dicens: *Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si in me videlicet, qui arbor vitæ sum fœcundissima, ita rigorosè peccata aliorum puniuntur, quid de illis erit, qui instar arboris aridæ, ad nihil quàm ad ignem utiles sunt?

1. Pet. 4. 17.

Luc. 23. 31.

Si innocens punitur quid scelesto fiet?

23. Propter eandem rationem, S. Joannes Baptista baptismum pœnitentiæ prædicare veniebat, & adeò asperam vitam ducere, ut ferarum potiùs quàm hominum videretur. Vt peccatores hoc considerantes inde argumentari possent, si innocens in ventre matris sanctificatus, & in gratia confirmatus, qui plus quàm Propheta, & Angelus Domini est; adeò asperam ducat vitam, quid nobis agendum erit, qui quot vitæ dies tot scelerum testes habemus. Cur justum Abel primò mortis sententiam subiisse creditis? Mirabile quid profectò videri posset, quòd cùm mors sit pœna peccati, primò illam pati debuisse, qui inter omnes tunc viventes, innocentior esset? Sed hic mirabilis divinæ providentiæ effectus. S. Athanasius ingeniosè hoc inquirit dicens, illud Deum permisisse, ne mors nimiùm in mundo dominaretur, quin imò sciret, se citiùs destruendam, cùm ejus petra fundamentalis, non ita firma & stabilis esset; nec talem locum mereretur, cùm injustè morti condemnatus esset. *Non voluit Deus*, inquit, *mortis fundamentum esse firmum; nam si Adam primus fuisset mortuus, firmam illa certè basim habuisset, tamquam quæ primùm mortuum eum, qui peccasset, arripuisset. Quia verò eum qui injustè fuit interemptus primum recipit, lubricum habet, & debile fundamentum.*

Cur Abel primo mortuus?

S. Athanas. q. 93.

24. Proposito tamen nostro convenientiùs dicendũ videtur, Deum hoc permisisse, ut peccatores hoc videntes cogitarent, quid ipsis eventurũ erat, qui magis mortem quàm Abel promerebantur. Hanc argumenti vim optimè

Vt peccatoribus metus incuteretur.

optimè Cain percipiebat, ideoq; subitò subjunxit; *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Eandem conclusionem ex martyrio S. Joannis Baptistæ elicere docet S. Gregorius dicens: *Hinc ergò unusquisq; colligat, quid illic sint passuri, quos reprobat, si hîc sic cruciat quos amat, aut quomodo ferientur, qui in judicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso judice teste laudantur?* Tantò quoque mirabilior divina providentia advertitur, quantò peccatoribus è contrà gratias singulares sæpius confert. Tales fuerunt amplexus filii prodigi, & promissio latroni exhibita; *Hodie mecum eris in Paradiso*; ut tribulationes, & castigationes justorum, cum favoribus sibi factis simul ponderantes, nec timore justitiæ desperent, nec de misericordia divina nimiùm præsumant.

Gen. 4. 14. S. Greg. Papa lib. 3. moral. c. 4. Luc. 23. 43.

Tribulatio justorum iniquis multum prodest.

25. Tribulatio quoque justorum, peccatoribus afflictis multum prodest; hi quippe considerantes, quantâ patientiâ tribulationes suas sufferant, licèt sint innocentes; nec conqueri nec lamentari audent, cùm propter peccata sua affligantur. Ita Theodoretus notat Danielem justè in Babyloniam fuisse conductum, ut alios adjuvaret: *Non propter propria peccata*, inquit, *permisit Deus illum* (Danielem videlicet) *bello capi, sed populi prospiciens utilitati, & veluti curatorem, & magistrum cum illis mittens.* Pari modo inter eos qui in Syriam captivi conducti fuerunt, permisit Deus Tobiam quoque conduci. Nùmquam denique Deus populum suum in adversitate absque aliquibus bonis dereliquit, ut verbis, & exemplo malos erudirent.

Theod. orat. 10. in c. 10. Daniel.

Tribulatio justorum divino honori conducit.

26. Hoc denique medio, honori suo providet, & os præsumptuosorum murmuratorum occludit; ne obmurmurent, dum ingentes favores, justis exhibitos conspiciunt. In aulis principum si aliquem præ cæteris nimio favore prælatum conspiciant, obmurmurant, & invident; unde prudens princeps hoc advertens, difficile quidpiam aut magnæ molestiæ illi imponit, ut hac occasione valorem, & fidelitatem demonstrans, omnes cognoscant, non sine ratione à principe præferri, & favoribus prosequi. Ita Deus qui ultra modum servis fidelibus favet, ut omnes cognoscant, illum meritò hoc facere, aliique non conquerantur; illos tribulationibus affligi, in quibus patientiam, & fidelitatem mirabilem exhibentes, Deum in causa sua justificant.

Tribulatio occludit ora obloquentium.

27. Propter hanc rationem, inquit Theodoretus, præcepit Deus Abraham ut sacrificaret filium suum, nimirum; *Vt ignorantes doceret, quàm justa de causa Patriarcham diligeret.* Cùm enim multis favoribus Abraham prosequeretur,

Theod. q. 72. in Gen.

sequeretur, illique plurima dilectionis signa exhiberet; nullus obloqueretur, aut miraretur, si adeò promptũ in re tam ardua conspexisset. Quid amplius? nónne hoc modo Deus diabolo os occlusit? De favoribus siquidem Job exhibitis obmurmurans, dicensque; *Numquid frustrà Iob timet Deum? nónne tu vallasti eum, & domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus, benedixisti, & possessio ejus crevit in terra.* Ut ergò, inquit Deus, cognoscas, quòd meritò diligam Job, quodque plurimis favoribus prosequi mereatur, quia omnia mei causâ agit; contentor ut illum quantum placeat affligas, & excrucies. Acceptâ hac responsione diabolus, omnique modo Job exagitans, & affligens; cùm æquè patientem, & in Dei voluntate resignatum videret, confusus remanens, nil obloquendum reperit, ideoque illi S. Ambrosius improperat dicens: *Quid fuit illa tentatio, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosa, schola virtutis, confeßio plena victoriæ, ut qui ante contradicentem haberet diabolum, postea non haberet.*

Job 1.10.

S. Ambros. serm. 4. in Psal. 118.

Tribulatio fortitudinem præstat.

28. Sed vos omnes qui providentiæ divinæ diffiditis; quid dicitis? quando Deus vos affligit, non instar Chyrurgi vulnerat, quia non subitò sed paulatim, majorem dolorem excitans? Respondeo idipsum propter majus bonum nostrum efficere, ut patientiam exerceat, & virtutem probet. Spartiatæ crudeliores in filios, quàm in servos erant; illos siquidem primò natos, aquâ frigidâ abluebant, voluptatibus, & delitiis privabant, & grandiores effecti, conflictibus inter se exercebant: servos verò ebrietati, & voluptatibus attendere sinebant. Cùm ergò Agesilaus Spartiatarum rex, à Persis lautissimâ cænâ exceptus esset, nec ille, nec populum gustare voluit, sed omnia servis remisit; non quia hos magis, quàm illos diligebat; sed quia populum suum deliciis & voluptatibus enervare nolebat, sed duriores, & fortiores reddere. Pari modo Deus cum suis efficit; voluptates & delitias perversis relinquit, quos ut servos habet; tribulationes autem filiis reservat; quia *Flagellat omnem filium quem recipit*, inquit Apostolus. Seneca quoque proposito nostro congruit, dicit enim: *Prospera in plebem, ac vilia ingenia deveniunt; & calamitates, terroresque mortalium, sub jugum mittere, proprium magni viri est.*

Hebr. 12. 6.

Iustos affligit, ut eruat.

29. Quid dicitis illum justos ut pecora in medio Luporum mittere? verum est, sed hinc clarior ejus providentia elucet, quia non obstante, illos defendere, & victores efficere novit. Quis enim hoc efficere posset,

nisi

nisi potentissima manus dexteræ excelsi? Dico insuper, licet in ore Luporum, aut Leonum essent, inde tamen eripere posset, & salvare, ut per Amos testatur dicens: *Quomodo si eruat pastor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruam vos dicit Dominus*; non dicit; *Eruam crura vestra*, aut *auriculas vestras*, sed *eruam vos*: vultque dicere, se illos integrè, & intactos liberaturos. Quin imò licet permittat pecora sua à lupis occidi, de illis tamen victoriam reportare sinet, & gloriosiores reddet. Ad hoc dubium ingeniosè notat S. Petrus Chrysologus dicens: *Pastor ab ovibus non recessit, nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donavit, suos eludere sic prædones, ut occisæ viverent, laniatæ resurgerent, sanguine suo tinctæ, fulgerent regali purpurâ.*

Amos, 3.12

S. Petrus Chrysol. serm. 40.

Non æqualis bonis ac malis tribulatio.

30. Quid dicitis omnia æqualiter bonis, & malis succedere, ad minus quantum ad Deum attinet? Ignoscite mihi, non enim intelligitis, hoc quippe solùm patet iis qui rem intimè penetrant. Adeò siquidem divina providentia est admirabilis, ut cùm summè fortis & suavis sit, omnia ad libitum, absque ulla voluntatis resistentia efficere potest; quin imò sic agere, ut ipsamet cooperetur. Hoc similitudine cunctis nota, clarè patebit; magna est differentia inter victorem in prælio, & victorem in lusu, v. g. taxillorum, aut chartarum; in illo fortitudine vincitur, in hoc ingenio: in illo adversarius non cooperatur, quin imò omnem resistentiam possibilem adhibet, in hoc adversarius quandoque victoriam adjuvat, movendo siquidem taxillos, aut chartas suo modo dirigendo, adversario occasionem præbet, illum dextro modo superandi, & incautè præveniendi. Quomodo creditis divinam providentiam victoriam obtinere, omniaque efficere quæ desiderat? Non ut ille qui in prælio vincit, sic enim voluntati humanæ vim afferret; sed sicut victor lusus relinquit te taxillos disponere, & chartas dirigere, juxta beneplacitum tuum, attamen non tantùm efficit quæ vult, verùm etiam tuis actionibus utitur, ut te sibi copulet, & dextrè in aliquo apprehendat. Non meministis me paulò antè vobis dixisse, providentiam divinam summè delectari ludere in orbe terrarum? Ingeniosus lusor adversario quandoque dicit, attende bene, hoc taxillo minimo te decipere, & negotium exhibere cupio; ille autem quantum potest attendens, aut se defendens dum minùs cogitat, illum tali loco figit, ut alter devictus cedat.

31. Sic fratribus Patriarchæ Joseph evenit; Deus illis per somnia Josephi prædicit, quòd

Fratres Ioseph qualiter decepti?

minimus omnium princeps, & dominus illorum erit: illi ut hanc prædictionem vanam efficiant, Josephum genti extraneæ & incognitæ, in mancipium divendunt, unde putant se nihil umquam audituros, sed dum minùs cogitant, in principem recipiunt, videntque se illi viam aperuisse ad talem gradum consequendum. Idem quotidie accidere videmus, licèt non semper advertimus; sunt enim quidam qui sapientes videri volunt, & mundum suo modo regere intendunt, ac Dei providentiam derident: postmodum verò Deus illos per viam sibi cognitam & ad finem intentum directè adeò scit ducere, ut ipsimet obstupescant. Si mihi in hoc non creditis audite S. Job idem asserentem; *Adducit consiliarios in stultum finem, & judices, in stuporem*; non dicit trahit illos, aut arripit, sed *adducit*, spontè eos advenire curat; & quos? *Consiliarios*, qui tantùm sciebant, ut aliis quibusvis sufficere videbantur; illos qui statum rerum, & politiam universi se cognoscere profitentur; qui cuncta nutu suo regere intendunt, & quò illos conducit? *In stultum finem*, quia ubi minimè cogitabant, ibi decepti sunt; efficit ut illis omnia contraria quàm putaverant, eveniant. Quia *non est consilium, non est prudentia, non est fortitudo contra Dominum*: avarus ille frumenta conservat, ut pretium augeatur, & cariùs vendat; sed ecce deforis unde minimè suspicabatur aliud advenit, sicque viliori pretio vendere cogitur; unde lamentatur dicens, non credebam hoc eventurum; *Adductus est in stultum finem*. Aulicus ille diffamando proximum, gratiam principis amissurum credebat; sed detegitur diffamator, & ille perdit quod alium perdere cupiebat: *Adductus est in stultum finem*. Quid creditis hoc esse? divinæ providentiæ effectus tantò mirabiliores, quantò obscuriores, & secretiores.

Deus cuncta rectè dirigere novit.

Iob 12, 17.

Prov. 21. 30.

SECVNDA PARS.

An justis, & injustis æquè mala accidant?

32. INter argumenta conclusioni nostræ opposita, nullum, ut verum dicam, adeò efficax, quàm illud Salomonis dicentis; *Vniversa æquè eveniunt, justo, & impio*; infirmitates, & mortes, prosperitates, & adversitates. Non tantùm me vexaret, si tribulationes justorum fuissent multò majores, in hoc siquidem non deessent rationes, & providentia divina, multò autem minùs, si fuissent minores; sed cùm sint æquales, quid de justis proferam quod peccatoribus non conveniat? Hic locus adeò est difficilis, ut Olympiodorus aliique graves auctores dicant hanc sententiam non à Salomone

Ecclef. 9.

Salomone in propria persona prolatam, sed ipsum malos, & de providentia divina non rectè sentientes ita loquentes introducere, quæ responsio satis est probabilis. Alii dicunt Salomonem tantùm de morte locutum fuisse, quæ æqualiter omnibus accidit; cùm tamen dicat *universa*, videtur id parum probabile. Meliùs igitur alii dicunt;
Eccles. 9.2. *Vniversa æquè eveniunt justo, & injusto*: Nulla videlicet res peccatori accidit, quæ pariter justis accidere non possit, ita ut in hac vita discernere non possimus, quis justus, vel injustus sit: sicut
Ibid. enim Sapiens ait; *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit.* Si tribulationes solummodo justis vel injustis evenire solent, discernere possemus justos, ab injustis;
Ibid. sed jam *Omnia in futurum servantur incerta.* Æqualiter ergò omnibus tribulationes accidunt, non quòd tribulationes sint æquales, sed quia nullus à tribulationibus exemptus, nec ex illis de bonitate, aut malitia aliquorum argumentari possumus. Non tamen æquè eveniunt, in quantitate, aut qualitate tribulationum; vel etiam æquè eveniunt, in quantum ad tribulationes ipsas, non tamen in quantum ad providentiam divinam illas distribuentem, & in quantum ad justos illas recipientes. Notabiles tamen sunt differentiæ inter tribulationes justorum, & iniquorum, de quibus aliàs diffusè disseremus, hîc autem aliquas obiter assignabimus.

33. In primis ergò magna est differentia, quantum ad principium, & causam efficientem tribulationis; sicut est differentia inter venationem publicam, & venationem reservatam; in illa sunt feræ silvestres, sicut in hac, eodemque modo à canibus infestantur, & capiuntur. In illa majori libertate unusquisque venator intrat, quando cupit; in hac majori respectu, & cautelâ, non sine licentia principis, & similia loca quandoque spinosis sepibus aut muris cingi solent. Pari modo dicamus justis & injustis persecutis æquè accidere; illi tamen à Deo particulariter proteguntur, & sine expressa licentia nullus eos persequi potest. In S. Iob hujus rei clarissimam habemus probationem; quodam die Deus diabolum ad se venientem videns, dixit illi; *Vnde venis?* respondit ille; *Circuivi terram, & perambulavi eam*; Iob 1. 7. quasi diceret, per totum mundum venatus sum; cui Deus ait: *Numquid considerasti servum meum Iob?* Ibid. 8. Si per totum mundum venatus es, vidistine similem servo meo Iob? Cui diabolus, hæc, inquit, venatio reservata est tibi, sine licentia accedere non licet; *Nonne vallasti eum, & universam substantiam ejus?* Ibid. 10. Cinxisti muro, & sepibus omnia quæ ad eum pertinent,

Prima differentia inter tribulationes justorum, & impiorum.

pertinent, quomodo possum illac intrare. Dat illi Deus postmodum intrandi licentiam, sed
Iob 2. 7. limites præscribit, *Verumtamen animam illius serva.* Malorum venatio communis est, eoque mala abundè influunt, licèt enim requiratur permissio divina, non
Psal. 139. 12. tamen illa reservata est: *Virum injustum,* inquit David, *mala capient in interitu;* Hebræus textus proprius habet; *Mala venabuntur in interitum,* mali ab omnibus venabuntur, non cum reservatione, sed *in interitum,* ut illos affligant, & pessimè ad mortem usque excipiant.

2. Differentia justorum, & impiorum.

34. Secunda differentia est in tribulatione ipsa; justo siquidem tribulatio consolatione associata venit; nec Deus permittit, ut ab illa vincatur, sed quòd permaneat fortis & constans, nec perdat animo, quod malis non accidit. Numquid advertistis qualiter agimus dum in tabulam vel parietem clavum firmiter infigere cupimus? duabus manibus utimur, unâ clavum tenente, alia malleo percutit. Pari modo dicamus Deum cum justis procedere, vult ipsis ut clavo uti, ut ecclesiam suam, honorem, & gloriam firmam teneat; ideoque necesse est ut persecutionis malleo percutiatur. Sed quomodo hoc efficit? unâ manu illum solidum tenet, & aliâ percutit; ita ut ille firmus permaneat in Dei servitio. Ad hoc videbatur alludere S. Iob dicens: *Beatus homo, qui corripitur à Deo:* sed quare? *Quia ipse vulneratus, & medetur, percutit, & manus ejus sanabunt:* quasi diceret, unâ manu percutit, & aliâ sanat, & firmiter tenet. Clariùs quoque Propheta regius; *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, justitia, & judicium præparatio sedis tuæ:* quasi diceret, dum thronum tuum per justitiam, & judicium firmare cupis, non recuso; *Firmetur manus tua;* fac ut sinistra manus tua, firmiter me teneat, & tunc *Exaltetur dextera tua,* ut me percutiat, & malleorum ictus infligat.

Iob 5. 17. Iob 5. 18. Psal. 88. 15.

Consolatio justorum in tribulatione.

35. Quid demum de consolationibus quibus tribulationes justorum permiscet dicam? Tot sunt illæ, ut hæ non sentiantur, dicente Davide: *Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Notandum quoque est, dum duo contraria sunt æqualia, nec unum, nec alterum prævalet, sed se mutuò complectuntur, & resultat unum tertium, ex utroque participans; ut ex calido, & frigido tepidum. Si David ergò consolationes doloribus æquales habuit, cùm hi sint contrarii, ipse in medio remansit, nec omninò consolatus, nec omninò afflictus; si quoque ad aliquod extremum deflectere debebat, potiùs ad dolores quàm ad consolationes

Psal. 93. 19.

ſolationes deflexiſſet, cùm illi majorem habeant in nobis virtutem. Quomodo ergò dicit ſe omninò hilarem manſiſſe; *Lætificaverunt animam meam?* hîc conſiderandum quòd licèt conſolationes ipſius, numero æquales eſſent doloribus, virtute tamen ſuperiores erant. Quod idem Propheta rectè aſſignat, quia dolores ſuos vocabat; *Dolorum meorum*; ſed conſolationes divinas appellabat; *Conſolationes tuæ.* Sed quis ignorat, res divinas potentiores eſſe humanis? Quid mirum ergò ſi dolores humani taliter fugati, aut à conſolationibus ſuperati fuerunt, ut hæ ſolùm ſentirentur; atque ita meritò David dicere poterat: *Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

3. Differentia inter bonos & malos.

36. Sed ultima, & potiſſima differentia inter bonos, & malos, eſt in fine; quia bonis propter majus bonum, & ſalutem tribulationes immittuntur, unde etiam fructum hauriunt; malis autem ad punitionem illorum, & nil aliud quàm malum inde colligunt. Magna eſt differentia inter fructus acerbos ex arbore collectos, & inter ſponte ex nimia maturitate cadentes. Illi non perduntur, ſed à ſapiente patrefamilias colliguntur, & ſaccaro, ac melle condiuntur; atque ita honoratiùs, & meliùs conſervantur, quàm ſi omnino maturi eſſent. Hi verò non æſtimantur, ſed inter immunditias projecti animalibus dantur. *Boni fructus immaturi; mali fracidi.* Hanc rectè differentiam inter bonos, & malos eſſe dicite; illi licèt cadant, aut colligantur ante tempus, & morte, aut tribulatione ſuperveniente deficiant, non pereunt, ſed à Deo ſaccaro conditi pro cœlo ſervantur, & per tribulationem, omnis amaritudo tollitur. Rectè ad hoc propoſitum S. Gregorius inquit: *Idcirco ſic eos premit, in infimis, quia videt, quomodo remuneret in ſummis, & foras uſque ad deſpecta dejicit, quia intus uſque ad incomprehenſibilia producit.* S. Greg. l. 3. mor c. 4. Mali verò in terram ut fructus inutiles decidentes, & ob nimiam humiditatem deliciarum fracidi, à Deo reprobantur, & dæmonibus in prædam relinquuntur. Ne autem credatis hanc meam inventionem eſſe, audite Sapientem idem vobis intimantem; *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit*; Sap. 4. 7. quaſi diceret, ſi ex arbore immaturus deciderit; *In refrigerio erit*, non malè peribit, quia ſaccaro, & melle divinæ gratiæ, & miſericordiæ condietur; quia *Gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illius*: & magno honore conſervabuntur. Ibid. 15. De malis autem quid fiet? audite; *Erunt poſt hæc decidentes ſine honore*: ex ſeipſis ut fructus nimis maturi decident, & nullus illos reverebitur; Ibid. 19. *Et in contumelia inter mortuos in perpetuum.* Ibid. Hanc differen-

differentiam videtur S. Gregorius assignare dicens: *Omnis divina percussio, aut purgatio, nobis est vitæ præsentis, aut initium vitæ sequentis*: quæ vitæ præsentis, ad justos pertinet; quæ verò vitæ sequentis, ad malos attinet. De hac Propheta Jeremias loquens ait: *Plagâ inimici percussi te, castigatione crudeli*: in quem locum S. Jeronymus scribens ait: *Aliter amicus, aliter percutit inimicus, aliter pater, aliter hostis, ille cædit, ut corrigat; iste percutit ut occidat.*

S. Gregor. lib. 18. moral. cap. 13.

Ierem. 30. 14.

S. Ieron. Hom. 4.

Finis tribulationis attendendus.

37. Quid nobis igitur agendum dum affligimur? finis respiciendus ne defectu nostri eveniat, ut non simus ex fructibus saccaro conditis, & pro mensa cælesti reservatis. Tribulationes serpentes sunt dicente Deo per Jeremiam Prophetam: *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio*; Ideoque ad imitationem Moysis, per caudam accipiendi, finis videlicet considerandus. Tribulatio ad instar sceptri Assueri est, quapropter sicut prudens Esther summitatem ejus exosculans misericordiam consecuta est; sic nos quoque si mente tribulationis finem attigerimus, ingens consequemur beneficium. Ad hoc videtur Psalmista alludere, dum in secundo psalmo dicit: *Apprehendite disciplinam*, vel ut alii legunt; *Osculamini.* Hanc quoque considerationem Patriarcha Iacob habuisse videtur, dum moribundus à Iosepho filio suo visitaretur, & ut scriptura refert; *Adoravit fastigium virgæ ejus.* Ad quem siquidem finem creditis illum adorasse virgam? An divinitatem aliquam in ea cognoscebat? Nequaquam, quia non adeò stolidus erat; an virga illa oculum in summitate gerebat? quia virga oculata, antiquis symbolum prudentiæ erat; cùm autem Ioseph prudentiâ suâ totum Ægyptum salvaverat, credibile est illum virgam oculatam gessisse, quam Iacob videndo, providentiam divinam sibi exhiberi putabat. Recordatus quoque quàm benevola sibi providentia divina fuisset per omnes tribulationes, & pericula ducendo, pro tanto favore gratias agens, *Adoravit fastigium virgæ ejus.* Pari modo nobis afflictis agendum est, & considerandum, quid Deus à nobis hac tribulatione exigat? Ut nempe vitium illud eruam, ut terrenis affectibus me totaliter exuam, & inclinationem versus transitoria, ad cælestia dirigam. Sit benedicta talis inspiratio, gratias agimus maximas Deo omnipotenti, qui hoc modo salutem animarum procurat, & fervorem spiritus in nobis excitat.

Ierem. 8. 17.

Psal. 2. 12.

Ad Hebr. 11. 21.

Tribulatio divinam providentiam exhibet.

Ad Hebr. 11. 21.

Tribulatio virga florescens.

38. Dum Agricola Amygdalum floribus repletam videt, lætatur, signum quippe est, messem

Virg. I. Georg.

ſem fore abundantem, teſte Virgilio; nec ſignum fallax eſt, quia fructus uberrimi inde ſequentur. Tribulatio quid eſt? Virga amygdalina florens, ut Jeremiæ Prophetæ monſtratum fuit, ipſomet dicente: *Virgam vigilantem ego video*; id eſt virgam amygdalinam, ut Hebræus textus habet, quia hæc arbor primò omnium floret. *Virgam ex Amygdalo celeriter florentem ego video*: traduxit Pagninus. Dum ergò hanc tribulationis Virgam florentem vides, ſummoperè lætari debes, & Deo gratias agendo, ipſam ut Patriarcha Jacob adorare, quia ſignum plurimorum fructuum, meritorum, & præmiorum eſt. Rectè hoc intellexit S. Gregorius Nyſſenus dicens: *Bonorum quæ expectamus, flos eſt afflictio, quocirca propter fructum, florem quoque decerpamus.* E contrà verò dolendum nobis eſt, dum nos felices & proſperos eſſe conſpicimus.

Ierem. I. 12.

S. Gregor. Nyſſen. in feſt. D. Ioann. Dam.

In deliciis vivens miſerrimus eſt.

39. Hoc rectè intelligebat prudentiſſima mulier Abigail, quæ pluribus muneribus, ad placandum David proceſſerat, cùm ad internecionem mariti ſui pergebat. Inter cætera autem dixit illi: *Et nunc fiant ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.* Sed quomodo tunc erat Nabal? Sacra ſcriptura inquit, ipſum valde divitem fuiſſe, & poſſediſſe tria millia pecorum, & mille capras, illoque tempore fuiſſe convivium in domo ejus, ipſumque bene bibiſſe. David autem erat pauper, exul, à rege Saule perſecutus, in continuo vitæ periculo verſans; videbatur ergò Abigail dicere potiùs debuiſſe; Dominus te faciat ſicut Nabal dives, jucundus, & non faciat inimicis tuis ut Nabal. Nihilominus prudentiſſimè hæc mulier locuta eſt: nullum ſiquidem majus malum alicui accidere poteſt, quàm temporalis felicitas, delitiis mũdanis abſque ulla conſideratione periculi immerſum eſſe; dicente S. Auguſtino: *Nulla major eſt infelicitas, felicitate peccandi.* Nec diſtulit Deus Nabal exhibere felicitatis ſuæ ſtatum, quia poſt decem dies à Deo percuſſus repentè mortuus eſt. Ita ut ſimiles felicitates plurimùm timendæ, & in tribulationibus maximè ſit lætandum.

I. Reg. 25. 26.

40. Aliud documentum ex hoc diſcurſu nobis colligendum eſt; ut non tã fugiamus afflictionem, quàm ne iniquorum inſtar puniamur, ſed potiùs bonorum inſtar remuneremur. Optimè idcircò aiebat Seneca; *Non quid ſed quemadmodum feras intereſt.* Nil refert quòd hoc aut illud patiaris, ſed quomodo patiaris refert. Sæpius fortè expertus es, quid ſibi velit pati cum mala conſcientia; experire modò quid ſit pati cum bona conſcientia, ſine culpa, cum reſignatione

Pati cum bona conſcientia deſiderabile.

gnatione in divina voluntate; talemque experieris consolationem, ut nullo modo statum tuum commutare velles, cum aliquo totius mundi principe. Numquam considerasti vitam militum, excubias agentium quàm infelix illa videatur; loco quòd alii quietè in lecto dormiant, illi in medio camporum die noctuque omnibus temporum injuriis expositi vigiles persistere coguntur, & inimicum quandoque insurgentem expectare, & si à Capitaneo dormire inveniuntur, occiduntur. O qualis miseria! si tamen ad illos accedas, cantare, saltare, ambulare, & inter se ludere reperies, absque ulla invidia, aut consideratione aliorum quietè dormientium. Vitam justorum qualem esse creditis? Ut militum excubantium, ideoque videtis Salvatorem tantopere vigilias
Luc.12.37. commendare; *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes; & si in secunda & tertia vigilia venerit, beati sunt servi illi*; Secunda & tertia vigilia stationes militares sunt, quibus nocturnas excubias dividunt. Propheta quoque Habacuc ut bo-
Habac.2.1. nus vigil dicebat: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum, super munitionem.* Quomodo hæc vita justorum à mundanis æstimata? miserabilis, afflictione plena; semper se continere, sensuum custodiæ semper attendere, omnibus voluptatum deliciis se privare, ô quanta infelicitas? sed accedite, & interrogate illos & jucunditate repletos invenietis.

41. Propheta Isaias mirabiliter deceptionem talium exhibet, introducendo aliquem vigilem alloquentem, & deridentem: *Custos quid de nocte, custos quid de nocte?* O vigil quid fit de nocte, quomodo illam transigis: *Dixit custos, venit mane & nox.* Quid hoc sibi vult? An ipse quoque nugando respondit, ut se hilarem exhiberet; sed meliùs dicamus, diem succedere nocti, & nocti diem; prosperitatibus peractis, adversitates appropinquant. Vos igitur qui felices esse putatis; cavete vobis, & plangite propter adversitates quæ vobis appropinquant; nos verò qui patimur, hilares simus, quia his transactis dies felicitatis appropinquat. Cùm Sanctus Franciscus plurimis doloribus affligeretur, lætus semper canebat; quia verò frater aliquis quadam vice illi dixit, ut Deum precaretur ut mitiùs secum ageret, sancta indignatione repletus dixit: si te propter simplicitatem non excusarem, taliter punirem, ut bene sentires, quid sit murmurare de divinis judiciis: & subitò in terram prostratus, illam exosculans Deum precabatur, ut dolorem augeret. Hæc creditu difficilia

In tribulatione summopere lætandum.

Isa.21. 11.

Post dolores lætitia.

ficilia apparent, in doloribus tantas consolationes reperiri: sed cum Propheta Isaia vobis di-
Isa. 21. 12. cam; *Si quæritis quærite, convertimini, & venite.* Si inquiratis qualiter hoc esse possit, ex animo quærite, quod erit si à peccato, ad virtutem, à mundo ad Deum vos convertendo, veneritis gustare quàm suavis sit dominus. Placeat divinæ majestati nobis omnibus concedere gratiam, & intellectum, ex animo convertendi, & potiùs in hac vita, tempus patiendi, & cum justis tristandi, quàm cum malis gaudendi. Amen.



DISCVRSVS XXXVI.

Quomodo tribulationes malorum sint effectus providentiæ divinæ, ipsique non minùs quàm boni, insignem fructum colligere poßint.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Divinæ providentiæ adscribenda videtur castigatio malorum. num. 1. 2.

Malorum in hac vita punitio iniqua videtur. à num. 3. *usque ad* 11.

In punitione cunctorum divina providentia clarior elucet. à nu. 12. *usque ad* 18.

Tribulatio iniquorum est punitio, & medicina. à num. 19. *usque ad* 23.

Cur aliqui hîc puniti, aliqui non? num. 24. 25. 26.

Qualis tribulatio medicina? num. 27. 28. 29. 30.

Tribulatio ut fornax probat vasa bona vel mala. à num. 31. *usque ad* 36.

Duo documenta ex hoc discursu colligenda. à num. 37. *usque ad finem.*

Difficultas præsentis discursus.

1. I in præcedenti discursu difficile videbatur, summam Dei providentiam, infimis tribulationibus justorum accommodare; scire debetis multò difficilius nunc fore, tribulationes iniquorum divinæ providentiæ effectus asserere. Scio hanc propositionem vobis admirabilem videri, faciliterque vos dicturos, qualiter tribulationes iniquorum providentiæ divinæ attribuere poterimus; si de eo nullum clarius signum habeamus, quàm Deum altissimum res omnes mortales optimè curare? etenim quis Deum omnipotentem res humanas curare diceret, illique placere bonos, & displicere iniquos, nisi hos quandoque puniri, illos verò præmiari videret. Gentilis olim Politicus, videns bonos nimiùm affligi, dicebat; *Non esse diis curæ salutem nostram*; Cornel. Tacit. lib. 2. histor. quia verò impios videbat punitos, dixit, *esse ultionem*; ita ut providentiam divinam ex una parte negaret, ex alia concederet; quod autem illam non omninò negaret, tribulationi iniquorum adscribendum est. Et certè quam providentiam in Deo cognoscere

gnoſcere poſſemus, ſi flagellis ſuis non percuteret reum? Quis ſiquidem ignorat juſtitiam potiſſimùm in prudenti principe requiri? juſtitiæ autem quid connaturalius, quàm impiorum caſtigatio? ſine illa, quomodo regnum ſuum ſecurè gubernare poſſet?

Timore, & præmio mundus regitur.

2. Anaxagoras referente Plinio, duos ſolos Deos ſe cognoſcere dicebat; præmium videlicet, & caſtigationem; his ſiquidem mundus gubernatur, & ab his duobus cuncta dependent; & ſi veritatem fateri velimus, major pars, ſibi timor vindicat. Dum principes leges publicant, numquam audimus obſervantibus præmia promitti, ſed transgredientibus caſtigationes minari: princeps aliquis noſtro adhuc tempore, locum ſupplicii, & patibula erecta tranſiens, illis ſemper reverentiam exhibebat: interrogatus autem cur tanto honore locum illum infamem ab omnibus deſpectum afficeret; dicebat, quia per illum ego quietè regno. Alius quoque adorationem Deorum timori adſcribebat dicens:

Primos in orbem Deos
Invexit timor.

Meritò quoque laudatur dictum Spartani cujuſdam, qui audiens principem à bonitate laudari, quia nemini quidquam moleſtiæ exhibebat, dicebat; quomodo poteſt eſſe bonus, qui malis non diſplicet? Seneca etiam prudenter dicebat; *Nocet bonis, quiſquis parcet malis*; & alibi; *Tam impium eſt omnibus parcere, quàm nulli*. S. Paulus denique de principibus ſecularibus dicebat: *Non ſine cauſa gladium portant.* Sed, *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* De Deo quoque ait; *Credere enim oportet, accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ita ut ſi Deus non puniret impios dicere poſſemus, ipſum in vanum gladium omnipotentiæ gerere; videreturque Deus fictus, aut ligneus eſſe, & non vivus & verus qui ignis ardens vocatur. His tamen non obſtantibus, dicere audeo, ſi aliquid in hoc puncto providentiæ divinæ mihi difficile videtur, eſt caſtigatio impiorum in hac vita. Attendite ergò, primò juxta morem difficultates ſolvendas proponemus, poſtmodum autem ſolvemus; ut effugatis contrarietatis nubibus, divina providentia ſole clarior reſplendeat, & nos in tribulationum noſtrarum tenebris ejus radiis conſolemur.

Ad Rom. 13. 4. 1. Petr. 2. 13.

Ad Hebr. 11. 6.

Caſtigatio diverſa motiva habere poteſt.

3. In primis aliquid veriſſimum ſupponendum eſt, quòd ſicut quælibet actio ad diverſos fines poteſt dirigi, ſic etiam diverſa motiva habere poteſt; unde ſequitur, quòd licet punitio iniquorum ex natura ſua ſit effectus juſtitiæ, ex alia tamen ra-

dice prodire potest. In hominibus idem clarè patet, non enim semper zelo justitiæ ad puniendum procedunt, verùm etiam spe lucrandi. De quinto Aurelio refert Plutarchus in vita Scillæ, quòd cùm nomen suum inter proscriptos videret; miserum me, inquit, quòd villa mea me persequitur; quasi diceret, illum non zelo justitiæ, sed cupidine bonorum proscriptum fuisse. Quandoque quispiam propter indignationem, & appetitum vindictæ movetur, de quo S. Jacobus ait: *Ira viri justitiam Dei non operatur*; ira nempe humana, non est instrumentum justitiæ divinæ, vel non operatur illa ut justitiam divinam exequatur, sed ut proprio appetitui satisfaciat; ut de Nabuchodonosore dicitur; *Ad conterendum cor ejus erit*, licèt Deus illo utatur, ut instrumento justitiæ. Sicut ergò in aliis rebus finem consideramus, pari modo hîc quoque advertendum cur Deus in hac vita malos affligit? Si hoc ad divinam providentiam referre velimus, unum ex duobus necessariò dicendum; ipsum nimirum omnia in finem dirigere, vel ad puniendum, vel ad emendandum, hoc ut pater, illud autem ut judex agit: in primo justitiam comitem, in secundo misericordiam habebit: In primo se ut principem, in secundo se ut medicum geret. Si tamen hoc vel illud sit, in utroque maximam reperio difficultatem; ut hoc declarem, exemplo Turcæ infidelis, sed sapientis utar.

Iacob. 1. 20.

Isa. 10. 7.

4. Cùm hic Turca quadam vice ludo equestri sive aliis festivis lusibus Bacchanaliorum tempore, seu in nuptiis principum fieri solitis præsens esset, videretque equites undique armatos contra se invicem lanceis directis currere, nec tamen se mutuo graviter lædere, nesciebat si verè aut jocosè id fieret; interrogatus ergò quid sibi de hoc spectaculo videretur respondit; si equites illi verè confligunt, exiguum videtur, si jocosè nimium. Simile quid mihi de tribulatione malorum dicendum videtur, cùm illa talis lusus à Deo exhibitus appareat; teste Sapiente, & Isaia dicente; *Induet pro thorace justitiam, & opertus est quasi pallio zeli; Galea salutis in capite ejus. Acuet autem duram iram in lanceam.* Tali modo ad hunc ludum procedit, adversus impium, de quo S. Job ait: *Tribulatio & angustia vallabit eum sicut regem qui præparatur ad prælium*; Vatablus Hebræus interpres vertit; *Sicut regem qui præparatur ad hastiludium.* Si me igitur interroges quid mihi videatur de hoc lusu, dicam cum Turca; si Deus hoc verè putet, sicque castigare velit, exiguum videtur, si autem jocosè ut timorem incutiat, nimium videtur.

Argutum dictum Turcæ.

Tribulatio ludus equestris.

Sap. 5. 19.
Isa. 59. 17.

Iob 15. 24.

Hanc

Hanc opinionem S. Job quoque tenuisse videtur, dum se tantis doloribus afflictum videns ait:
Iob 9.23. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat*; quasi diceret, si Deus peccata mea verè castigare velit, parum est quod patior; *Occidat semel*, ita ut nulla ampliùs medicina adhiberi possit; si autem me tantùm probare velit, & jocosè agat, nimium videtur, nec deberet adeò frigidè procedere: *Et non de pœnis innocentum rideat.*

Castigatio divina exigua.

5. Parum certè est quod Deus ad veram impiorum castigationem adhibet, quid enim de judice illo diceretis qui pro crimine læsæ majestatis levem punitionem adhiberet, vel cùm reum in manibus haberet, statuã ejus comburere faceret? Absque dubio diceretis hanc nimis levem fore correctionem, nec dicere possemus, judicem illum justum judicium ferre. Peccata autem iniquorum quid aliud sunt quàm
Iob 24. 13. rebelliones; *Ipsi fuerunt rebelles lumini?* Sed quomodo in hac vita puniuntur? leviter, in terram
Psal. 72.18. videlicet projiciendo; *Dejecisti eos dum allevarentur*; vel imagi-
Ibid 20. nem illorum comburendo; *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges*;
Psal. 38. 12. vel corripiendo; *propter iniquitatem corripuisti hominem*; & S. Pau-
1. Corinth. 11. 32. lus ait: *Dum judicamur autem à Domino corripimur.* Dices fortassis has castigationes non esse punitiones completas, sed pignus eorum in altera vita sequentium. Quando populus Israël peccabat adorando vitulum aureum, inter alias punitiones quas Deus illi inflixit, præcepit Moysi aliisque Levitis, ut gladios arripientes obvios quosque interficerent, eoque completo dixit
Deus; *Ego autem visitabo & hoc peccatum eorum, in die ultionis.* Exod. 32. 34.
Quid ergò fuit illa occisio? Non vindicta, non plena castigatio, sed pignus solùm futuræ castigationis. Peccatores ergò in hac vita afflicti, in altera quoque vita affligi debebunt? Hoc mihi summoperè videtur mirandum.

6. De Alphonso rege Neapolis me legisse memini, quòd cùm ipsi relatum esset, nobilem quemdam mentis impotem redditum fuisse, ideoque amici rogabant, ut illum bonis spoliaret, cùm illa regere non posset. Rex sapienter respondit, quin imò idcircò illi cuncta bona relinquere volo; vultis enim, quòd illi bona auferam, quia natura ipsi sapientiam abstulit? non taliter procedendum, quia afflictio non addenda afflicto. Scelerati in pœnam peccati, æternaliter cruciandi sunt, absque ulla consolatione, non ergò hæc castigatio Deo sufficiet, absque eo quòd pœnam illorum in hac vita adaugeat, quasi tormentis illorum numquam satiaretur? Dum aliquis à justitia humana ad mortem condemnatus est, datur

Non videntur mali in alia vita castigandi.

datur ipsi vinum, & omne quod desiderat, cùm enim majorem pœnam totius mundi, mortem nimirum subire debeat, hæc exigua consolatio, ipsi concedenda videtur. Scelerati autem morte æternâ condemnati sunt, cur igitur illis hîc aliqua consolatio non videtur concedenda? Simile argumentum S. Job formasse videtur dum dixit: *Vsquequo non parcis mihi nec dimittis me, ut glutiam salivam meam, ecce nunc in pulvere dormiã, & si mane me quæsieris non subsistã.* Idem argumentum Abraham diviti Epuloni exhibuisse videtur, dum refrigerium ardoris sui quæreret: *Recordare fili quia recepisti bona in vita tua; Lazarus autem similiter mala, nunc verò ille consolatur, & tu cruciaris.* Quasi diceret, fili mi, qui in hac vita bonis fruitur, post mortem dolores sustinebit, qui verò mala hîc patitur, in alia vita bonis fruetur. Si tamen ita est, quomodo plurimi in hac vita maximè afflicti, in futura vita æternis pœnis addicentur?

Iob 7. 19.

Luc. 16. 25.

Iudicia Dei in castigatione occulta.

7. Hoc S. Gregorius Papa, prudenter dicebat, quod licet judicia divina sint plurimùm occulta, maximè dum boni affliguntur, & mali præmiantur, occultiora tamen sunt quando bonis prospera quæque eveniunt, & malis infelicia: *Cùm valde occulta sint*, inquit, *judicia divina, cur in hac vita nonnumquam bonis sit malè, & malis bene; tunc occultiora sunt, cùm & bonis hîc bene est, & malis malè.* Rationem quoque reddens ait: *Nam cum bonis hîc malè est, & malis bene, hoc fortaßis deprehenditur; quia & boni si quæ delinquerent, hîc recipiunt, ut ab æterna pleniùs damnatione liberentur; & mali bona quæ pro hac vita faciunt, hîc inveniunt, unde ad sola in posterum tormenta pertrahantur.*

S. Greg. l. 5. moral. cap. 1.

An Deus malos semper puniat.

8. Dum sententia in reum lata est, bene revocari potest; sed quòd rursus pro eodem delicto puniatur, numquam visum est; sic etiam de Deo dicitur; *Non judicat bis in idipsum*: ad idem quoque propositum dicitur: *Non consurget duplex tribulatio.* Si Deus insuper ad malorum punitionem tribulationes immittit, cur non omnibus peccatoribus illas immittit? Dum aliquis virtutem diligit, ubicumque illam diligit; qui verò personam aliquam ob virtutem se amare dicit, aliam verò meliorem odit, convincitur illam non ob virtutem, sed ob aliam rationem diligere. Pari modo qui unam personam odit, ob vitium aliquod, postea autem aliam personam ob majus vitium diligit, signum est se falsum dicere; quia juxta Philosophos, dum aliquid est objectum formale alicujus actionis, ubicumque illud reperitur, erit objectum istius. Si Deus ergò tribulationes sceleratis immittit, quia tales sunt, malitia

Nahum 1. 9.

An mali, ut mali puniantur? malitia illorum erit objectum formale tribulationis, ubicumque ergò erit, instar magnetis tribulationes attrahet; quomodo ergò tot reperientur mali qui bonis affluunt.

9. Si infirmus in præsentia medici dicit se nihil quàm liquidum deglutire posse, postmodum autem occultè capones, aliaque comedat, quid diceres? illum non fauces obstructas, sed appetitum inordinatum habere; quia fauces angustę potiùs capones quàm potiones medicas impedirent. Pari modo qui dicit se conscientiam adeò habere scrupulosam, ut ne verbum quidem otiosum proferre auderet, postea verò fornicationes audacter committeret; dici potest non esse scrupulosæ sed fictæ conscientiæ; & hypocrisim potiùs quàm scrupulos ostendere. Hoc modo Salvator Pharisæos confundebat, qui scrupulosi videbantur in minimis, in majoribus autem faciliores: *Excolantes culicem & camelum deglutientes*; Quomodo hoc ita, non est hoc angustis faucibus, sed fictæ sanctitati adscribendum. Liceat mihi ergò per modum dubii dicere, Deum nostrum idem videri facere; se inimicissimum peccatoribus profitetur; *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Uxori Loth una circumspectio molestiam præbuit, ipsamque in statuam salis redegit. Unus crinis extra ordinem positus, animæ devotæ cor ferit: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in uno crine colli tui*; ô quàm angustæ fauces? ne minimum quidem peccatum deglutire possunt; sed qualiter hoc, quomodo tot peccatores admisit, ut Neronem, Tiberium, Caligulam, aliosque plurimos? quomodo non solum Turcam admittit, verùm etiam prosperum & felicem reddit? An ipse quoque *Culicem excolat, & Camelum glutit?* Nequaquam, quia justissimus, & sanctissimus est; licèt quoque multoties judicia ejus sint occulta; sufficit modò nobis quod hæc argumenta difficiliorem & obscuriorem providentiam divinam reddant.

Matt. 23. 24. Sap. 14. 9. Psal. 5. 7. Cant. 4. 9. Matth. 23. 24.

Deus bonos præmiat, malos castigat. 10. Dicamus tamen illum omnes peccatores castigare, non idcirco divina providentia clarior evadet; hæc siquidem duo habet brachia, castigare, & præmiare; unum sine alio esse non potest; si ergò unum movet, sinistrum nempe ad castigandum impios, cur pariter non movebit dextrum præmiando bonos? qui medietatem throni principis solùm ornaret, non illum honore, sed dedecore afficeret. Thronus Dei duabus ornatur tapetibus, justitiâ nempe, & misericordiâ, teste regio Prophetâ; *justitia, & judicium præpa-* Psal. 88. 15.

ratio sedis tuæ. Et Prophetâ Isaiâ; Isa. 16. 5. *Præparabitur in misericordia solium.* Qui ergò illi solùm impiorum castigationem, non verò bonorum præmiationem attribuit, non præparat Dei sedem prout decet. Ad aliam fortè partem recurrendo dices; Deum non immittere tribulationes iniquis ut castigationes, sed ut medicinam; sed hinc majores exurgent difficultates, quis enim prudens medicus infirmo medicinam porrigeret, quam sciret ei mortem allaturam? *An tribulatio medicina?* Quanti blasphemant, quanti perjurant, quanti desperant? Ierem. 2. 30 *Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Sed nónne sciebas domine tribulationem non illis forè utilem, cur ergò immittis?

11. De impio rege Achaz dicitur; 2. Paral. 28, 22. *Tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominũ*; cùm affligeretur à Domino loco pœnitentiæ, despexit Dominum; ecce quantus pœnitentiæ fructus, quæ hujus medicinæ utilitas? Isa. 1. 5. *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem?* Quomodo vos ultra affligere potero, qui tantò majora committis peccata, quantò majores pœnas infligo? *Cur Deus tribulationem malis immittit?* Quin imò plures mortem corporalem appetunt, ac animam, & corpus perdunt, absque ulla spe seu remedio; Deus tamen illis tribulationes immittere non cessat. Quid de his difficultatibus dicitis? dicetis culpam afflictorum esse, verum est; Deus tamen illis occasionem auferre poterat. Hippocrates medicorum princeps dicit; in casibus desperatis nulla medicina adhibenda est; quia derogatur medicinæ, & fides illi aufertur, quasi defectu ejus infirmus non sanaretur. Deus tamen quoties medicinam suam desperatis adhibet? Pharao corde induratus, numquam convertendus erat; Deus tamen illi tot monitiones & signa exhibet. Judas de salute sua desperabat, & tamen Deus non cessat illi diversas adhibere medicinas. Ubi ergò divina providentia? hæc vult media ad finem dirigi, sed si finis non est consequendus, cur ergo media adhibenda?

12. Magnæ certè hæ sunt difficultates, non tamen desperandum, nec obstupescendum; sed divinâ favente gratiâ cunctæ solventur, & divina providentia clariùs resplendebit. *Si tribulationes non essent, non appareret justitia Dei.* In primis ergò dicite mihi, quid diceretis, si nullum umquam impium castigari videretis? omnes contra Deum clamarent, & conquererentur, dicentes; ubi est divina providentia? ubi justitia? si ulla foret, modò appareret; nec immeritò, quia de actu ad potentiam optimè argumentamur; ubi quoq; non videtur effectus, negatur potentia;

cùm

cùm *frustra sit potentia, quæ non reducitur ad actum.* David cùm Dei potentiam in se non experiretur, dicebat: *Exurge quare obdormis Domine?* non quia ignorabat Deum somno carere, sed quia signum aliquod istius videre cupiebat. Si ergò non castigat, nullam dicitur habere providentiam; si verò castigat, idem affirmatur, quid ergò faciendum? *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico*, qui Dei providentiam negare cupit, occasiones quærit. Dices fortassis, vellem Deum omnes peccatores punire; vide quid dicas, inter illos quippe tu quoque esses, nec tibi justitia divina placeret. Non vides insuper quòd esset mundum destruere, & consequenter contra veram Dei providentiam esse, quæ ad conservationem universi tendit? Dum exercitus integer errorem commisit, contra principem; non omnes simul occiduntur, sic enim nimis multam gentem perderent, sed decimum quemque eligunt, illumque puniunt. Sed hoc non æquè procedere videtur, sic enim ex duobus æquè sceleratis unus punietur, alter verò liber dimittetur; nil refert, ex duobus siquidem malis minus est eligendum; quia minus malum est aliquos tantùm occidere, quàm exercitum integrum. Simile quid agit Deus, si omnes culpabiles punire vellet,

Psal. 43. 23.

Prov. 18. 1.

Cur non omnes peccatores puniti?

quotidiè milliaria occidere oportere; sed prudenter agit, nollens perire omnes sed ad pœnitentiam converti. Audi Isaiam dicentem: *Adhuc in ea decimatio, & convertetur*: quasi diceret, omnis Jerosolyma in me peccavit, sed ego ne omnes perirent, decimam solùm partem requiro. In Apocalypsi quoque dicitur; *Decima pars civitatis cecidit.* Remanentes autẽ non impunè evadunt, tam propter timorem, ne illis idẽ contingat; quàm propter dolorem ob interfectionẽ amicorum: unde in Apocalypsi dicitur: *Reliqui in timorem sunt missi.*

Isa. 6. 13.

Apoc. 11. 13

ibid.

13. Hinc mirabiliter divina providentia elucet, cùm inter peccatores, & peccatores discernere norit; licèt enim omnes idem peccatum committant, quantum exteriùs apparet; in punitione tamen unius, & non alterius, ostendit se aliquam invenire differentiam humanis oculis incognitam; aliumque se intendere finem nobis incognitum, quàm punitionem peccati. Qui arborem fructibus spoliat, ex odio erga dominum, aut sicut fur non semper occasionem inveniens; non respicit, si maturos aut immaturos colligat, si ramos, aut fructus rumpat. Sed Dominus quia prudenter arborem, & fructus regere intendit, distinctè unum præ alio colligit, prout maturos, aut fini intento aptos esse advertit. Si Deus ergò

Deus inter peccatores discernere novit.

gò omnes simul puniret, arborem fructibus humanæ generationis privaret; nec suam providentiam exhiberet; Dum verò modò unum, modò alium punit; modò juvenem illum immaturâ morte perimit, quia saccaro gratiæ suæ condire desiderat; modò alterum ad senectutem usque in peccatis marcescere sinit; alterum pro semine conservat; alios colligit in ætate matura, ut merita eorum magis elucescant; illoque modo se rerum humanarum providentiam habere demonstrat. Talem ut mihi videtur se Deus per Prophetam Amos exhibere voluit, dum populum suum punire volens, se ut collectorem pomorum exhibuit, dixitque: *Quid tu vides Amos?* qui respondit; *Vncinum pomorum*; cognosce ergò, inquit Deus, quòd tempus poma colligendi, & populum castigandi advenerit; *Venit finis super populum meum Israel*: omnia ergò poma simul colliges? Nequaquam, sed *multi morientur*; quia prudenter ego colligo, & oportet relinquere semen.

Amos 8.2.

Ibid.

Nullus absque peccato.

14. Ad minus dices, cùm non omnes mali punientur, boni saltem eximentur. Sed quos bonos vocas? nescis nos omnes peccatores esse; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Quidam argutè dicebat, qui cuncta vitia odit, omnes homines odit, quia nullus sine vitiis degit. Mathematici dicunt, quòd inter centrum, & circumferentiam, nulla sit proportio; centrum enim, est punctum indivisibile, nullas habens partes, nec minus esse potest; circumferentia autem multò amplior est, habens partes infinitas. Quomodo creditis justos respectu malorum in hoc mundo esse? Instar centri circumferentiæ comparati. Propheta David idem de impiis affirmare videtur; *In circuitu impii ambulant*; non tantùm quia ebriorum instar caput, & pedes vertunt; nec quia inutiliter laborãt, ut qui in circuitu ambulant, post multum itineris ad idem revertuntur; verùm etiam, quia exiguum justorum numerum qui centrum sunt respectu illorum, circumferentiâ suâ concludunt.

1. Ioan. 1. 8.

Psal. 11. 9.

Bonos reperire difficillimum.

15. Dico insuper adeò difficile esse bonos aliquos in hoc mundo reperire, quàm sit difficile in fine autumni reperire flores primi veris. Deus per Micheam Prophetam conquerebatur dicens: *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.* Sed quis hic appetitus extra tempus; ficus primitivas, in primo vere provenientes, in autumno appetere, quando cuncta defecerunt? An docere nos voluit, quod ad spirituales fructus producendos, omne

Micheæ 7. 1.

omne tempus aptum est, nec ulla est distinctio primi veris, & autumni? fortè etiam de ficubus conquerendo, potiùs de vinea sua conqueri volebat; quasi diceret, non reperiendo uvas in vinea, tempore vindemiæ, mihi in mentem venit, quot ficus in primo vere habuerim, illudque tempus desiderabat? In quo alludere quoque videbatur ad fructuosa opera Patriarcharum, antiquorum, & ad sterilitatem populi Judaici; illi autem ficus vocantur, quia singuli arbores solæ erant, ab omnibus aliis separatæ; hi autem vinea, quia populus numerosus erat? vel per ficus primitivas intellexit illas quæ nimis tempestivè prodeunt, ideoque sunt immaturæ, & acrioris saporis? quasi diceret, non inveniendo uvas maturas ficus alioquin immaturæ mihi sufficerent, ob famem ingentem quam patior. Vel denique magis proposito nostro congruit; quod hac parabolâ ostendere voluit, quàm sit difficile reperire hominem justum; sicut enim tempore vindemiæ ficus primimi veris quærere, est operam perdere; sic illo tempore justum invenire impossibile erat. Quia autem desiderium ad rem facillimè inveniendam dirigitur; dum dixit se desiderare ficus, & non uvas, licèt harum, & non illarum tempus fuisset; indicare voluit, illi facilius fuisse, mutare omnia tempora, & mundum invertere, quàm illo tempore hominem justum reperire. In sensu etiam mystico idem hoc modo explicari potest; faciliùs nempe fuisse unum ex Patriarchis antiquis tunc resuscitare, quàm illo tempore hominem in bonitate & moribus illis similem reperire. Hujus opinionis Hebræi quoq; erant tempore Salvatoris, cùm tot miracula ejus videntes dicebant, illum ex prophetis antiquis jam resuscitatum fuisse: difficiliùs putantes illo tempore hominem adeò sanctū reperire, quàm resuscitare Prophetam, à tot centenis annis mortuum. Si adeò igitur difficile videtur reperire hominem bonum, cogita semel, si Deus omnes iniquos castigare vellet, quis liber evaderet.

Cur ficus in autumno desiderata?

Tempore Christi vix justus repertus.

16. Si denique omnes scelerati puniti, & boni à tribulatione fuissent exempti, pretium virtutis, & laus justorum fuisset ablata. Dum præpotentem divitem multis comitatum conspicimus, non ideò illum justum, aut virtutibus deditum judicamus; de suis quippè comitibus illud Senecæ dici potest: *Prædam sequitur turba ista, non hominem*; non personam honorant, sed divitias; si enim ab illo nil lucri sperarent, non sequerentur. Si è contra videremus pauperem malè vestitum, sed humilem, virtutibus deditum, plurimisque comitatū, colligeremus illū ho-

Cur non soli mali afflicti?

minem magnâ ſapientiâ, & virtute dotatum, eum quippe ſequentes, nil extra illum quærunt. Si virtus proſperitati conjuncta fuiſſet, omnes illam amplecterentur; ſed quid mirum, cùm illam non propter ſe, ſed propter lucrum ſequerentur: ſi quoq;aliquis illam propter ſe expeteret,non illi crederetur, ut S. Job accidit, qui Deum ex puro corde ſequens, à diabolo reprehenſus fuit, quaſi lucri causâ illud ageret: *Numquid Iob frustra timet Deum?* Volo ergò, inquit Deus, virtutem tribulationi, non proſperitati aſſociari, ut veræ virtutis amans cognoſcatur. Non tamen cupio vitium ſemper felicitati mundanę conjungi, in majus quippe præjudicium bonorum cederet, occaſionemque præberet virtutem deſerendi, & vitium ſequendi; ideoque virtus quandoque exaltata, & vitium depreſſum videri debet. Dicere etiam omitto, nos hoc modò locum miſericordiæ concedere, & fidem in nobis corroborari: dum hoc medio hominibus prudentibus judicamus ultra hanc vitam, aliam eſſe, in qua unuſquiſque pro meritis, vel demeritis præmiabitur, vel punietur: cùm illud in hoc mundo non fiat.

Cur virtus proſperitati non conjuncta?

Iob 1. 10.

17. Inſigne ergò divinæ providentiæ lilium, non minùs inter ſpinas tribulationum, quàm inter roſas divinorum beneficiorum floret. In viſione S. Joanni exhibitę idem clariùs patet; vidit ille; *In medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ, caput autem ejus & capilli, erant candidi, tamquam lana alba, & tamquam nix.* Hæc viſio abſque dubio, plena fuit myſteriis, non longè à propoſito noſtro, quæ modò brevitatem ſectantibus & capillis ſolùm inhærentes omittemus. Hi cani, & albi exhibentur, non quia de facto tales ſunt in Chriſto, qui in flore ætatis mortuus eſt; ſed, ut Robertus abbas inquit, ad ſignificandam antiquitatem, imò æternitatem eſſentiæ & æqualitatis, cum æterno patre; licèt ut homo ultimis temporibus natus ſit. Vel ad demonſtrandum, inquit Andreas Cretenſis; quòd licèt myſterium incarnationis tardiùs executioni mandatum fuiſſet, ante ſæcula tamen ordinatum erat. Vel ut S. Auguſtinus ait,ad docendum,quòd ſicut capilli naſcuntur, & pendent ex capite, ita juſti, gratiam & perſeverantiam, à Deo recognoſcere debent,juxta doctrinam S. Pauli; *In Chriſto radicati, & fundati.* Alii per capillos albos divinam intelligunt ſapientiam, juxta dictum Sapientis; *Cani autem ſunt ſenſus hominis,* & Sanctus Job; *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Hi omnes

Apoc. 1. 13.

Cur Chriſto capilli albi adſcripti?

Sap. 4. 8.

Iob 12. 12.

nes sensus pii sunt, & optimi, quibus si mihi aliquid adjungere liceat, sequentia adjungam.

Providentia divina in canitie figurata.

18. In his capillis albis, & canis, mihi repræsentari videor, altissimam Dei providentiam, & ingentem curam, quam de genere humano gerit; solemus quippe dicere solicitas, & frequentes cogitationes, hominem canum reddere; cùm ergò non potuerit Deus diu vivendo canus fieri, cùm ut Deus numquam senescat, & ut homo circa annos triginta quinque obierit; cui hanc canitiem nisi ingentibus curis, & magnæ sollicitudini adscribere poterimus? In canis capillis ergò, providentia divina monstratur; sed cur hi lanæ albæ, & nivi assimulantur? nónne una similitudo sufficiebat? Ad capillorum colorem indicandam sufficere poterat, nõ autem ad divinam providentiam erga nos explicandam; lana siquidem quæ calefacit, fovet, & suaviter cooperit, tactui est morbida; corpori se accommodat; ab injuriis temporis, & aëris inclementiâ nos defendit; auxilium, non pondus adfert; divinam quidem pietatem, & clementiam exhibet, à qua consolati, defensi, protecti, bonisque omnibus affecti sumus. Nix è contra quæ frigida, madefacit, & humore ac frigore cuncta replet, divinam indicat justitiam, à qua puniti, afflicti, timore concutimur. Ne ergò crederemus divinam providentiam se in donis tribuendis, & favoribus ac gratiis præveniendis solùm occupare; non autem in correctione peccatorum nostrorum; non tantùm lanæ, verùm etiam nivi capilli divini assimulati fuerunt. Primò tamen lanæ fit mentio, quia primaria Dei intentio est benefacere, & à nostris peccatis coactus, thesauros nivis aperit, & castigationes supra nos immittit.

Lana divina pietas.

Nix justitia.

Quàm graves divinæ castigationes?

19. Dices tamen, quid sunt tribulationes, & afflictiones iniquorum, punitiones, aut medicinæ? unum, & aliud sunt. Sed quomodo adeò exiguæ si sint castigationes? non rectè eas considerasti; ubi siquidem, in Job aliqui legunt *hastiludium*, alii legunt *Rotam*; tormentum videlicet crudelissimum, per quod in rota aliquis jacens, singula membra gravi pondere rumpuntur. Sciendum quoque nullum pondus adeò grave, quàm propriæ conscientiæ. Quoties videmus divites omnibus bonis, & delitiis abundantes, nullam animi quietem possidere? unde hoc fit? est propriæ conscientiæ pondus. Plutarchus de animi tranquillitate dicebat, multò magis calorem internum, febrem nempe torquere, quàm calorem externum; pari modo internæ animi percussiones majores sunt quàm externæ. Alii eumdem

Iob 15. 14.

Tormentum conscientiæ maximum.

eumdem locum Job, transferunt *ad pœnam*; alludendo ad servos, quos dum antiquitùs percutere volebant, caput intra pedes ponentes, globum efficiebant, talique modo juxta beneplacitum percutiebant. Castigatio siquidem peccatorum, non magna solùm, verùm etiam servilis est; non enim pro virtute patiuntur, sed quia ab inordinatis appetitibus arrepti, illis tamquam servi se submiserunt. Vulgata editio habet *ad prælium*, quia non unâ tantùm tribulatione, verùm ab integro exercitu circumdati. Dices, quomodo hæ translationes conveniunt? optimè dico, Philosophus quidam dicebat, pueros saxa, ad ranas jocando projicere, sed ranæ interim verè moriebantur. Pari modo tribulationes à Deo immissæ sunt, joci, quia non commovetur in his Deus, sed ut Dux militum agit, qui à pedite in duellum vocatus, dedignatur cum illo confligere, sed ludendo, & deridendo illum percutit; tantò magis, quòd *Quasi per risum stultus operatur scelus*; non mirum ergò si Deus quoque quasi per jocum illum punit. Ex parte autem peccatoris, non sunt tormenta, & castigationes per jocum inflictæ, sed veræ & magnæ: nisi dicere vellemus, omnia hujus mundi tormenta, respectu alterius vitæ, jocos, & lusus esse.

Prov. 10. 23.

20. Si peccatorum tamen afflictiones adeò sint magnæ, quomodo ergò de illis dicitur, quòd prosperè, & feliciter agant? *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui iniquè agunt?* Respondeo prosperitatem apparentem esse, dicente Seneca; *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis, & supputata justitia est*, & paulò pòst; *omnium justorum personata felicitas est, contemnes illos, si spoliaveris:* sunt ut Reges in comœdia, qui videntur montes, & regna possidere, vix tamen aliquid domi retinent. Si quoque aliquid felicitatis possideant, est ut majorem pòstea adversitatem recipiant. Aquila Testudinem in altum elevat, ut majori casu decidat; fur in altum fune elevatur, ut majori dedecore, & dolore cadat. Pari modo David procedit, postquam impiorum felicitatem narraverat, tandem concludit; *Verumtamen propter dolos posuisti eos, dejecisti eos dum allevarentur*; quasi diceret, quia illi alios decipere delectant, nec ad promissiones suas attendunt, idcircò tu Domine permisisti, quòd decepti, & exaltati sint, ut majori ruinâ cadant. Idem alibi quoq; meliùs explicat dicens: *Vidi impium superexaltatũ*; Sed quamdiu sic mansit? *Transivi, & ecce non erat*, subitò transeundo, non ampliùs illum vidi, oportuit igitur valde celeriter cecidisse.

Cur peccatores adeò felices?

Ierem. 12. 1.

Seneca c. 80.

Psal. 72. 18.

Psal. 36. 35.

21. Mi-

In qualitate punitionis mirabilis Deus.

21. Mirabilior quoque providentia divina in qualitate punitionis apparet, tali modo siquidem ordinem rerum dispoſuit, ut caſtigatio peccatoris directè opponatur motivo quod in peccando habuit; & terminus peccati ſuo principio, &c. Hoc in omnibus peccatorum generibus clarè demonſtrare poſſemus; ſed ne diſcurſum noſtrum nimiùm extendamus, in principalioribus ſolùm id exhibere cupio. In primis ergò videamus quid ſapientes Hebræorum de Chriſto judicabant? Phariſæi mortem Salvatoris procurabant, ſed cur, quod illorum motivum? Vt ſeipſos in dignitate conſervarent, nec occaſionem Romanis darent ſubjugandi; ita
Ioan. 11. 48 quippe dicebant: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Qualem hoc exitum ſortitum eſt? omninò contrarium, quod enim timebant, evenit illis; Romani ſiquidem venientes illos omni dignitate, & patriâ privarunt. Quid fratres Joſeph in venditione ejus prætendebant? ut vanitas ſomniorum probaretur; qualis hujus rei ſucceſſus? hac viâ veriſſimè illum ad regnum, & dominium ducebant. Saul perſequitur David, quis ejus finis? illum humiliare, & omnem ſpem regni auferre; quis rei eventus? quòd illo motivo apud Deum, & homines glorioſior evaſerit, & regnum conſecutus fuerit.

Vnde idololatria orta?

22. Unde creditis idololatriã principium, & ortum habuiſſe? Ex inordinato filiorum amore; Pater ſiquidem ob mortem filii vehementer afflictus, imaginem illius effingere curans, illam inſtar Dei honorari curavit. Sapiens id clarè nos edocet dicens: *Acerbo enim luctu dolens pater, citò* Sap. 14. 15. *ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Ob amorem ergò & honorem filiorum idololatria in mundum introducta fuit, ſed ad quem terminũ devenit. Uſque ad occiſionem filiorum teſte Davide: *Immolaverunt filios ſuos, & filias dæmoniis;* Pſal. 105. 37 quod ergò ad amorem filiorum inventum fuerat, in damnum illorum ceſſit? quod ad vivam illorum memoriam conſervandam repertum fuerat, ad vitam auferendam inſervit? Quis umquam finem magis principio contrarium vidit? Sed hic divinæ providentiæ effectus fuit, qui hoc modo peccatores caſtigare ſolet.

Quàm contrarii peccatorum ſucceſſus?

23. Nónne quotidie ſimiles videmus effectus? Avarus bona alterius aufert, ſanguinem ſugit pauperum ut diteſcat: Et ecce movetur ipſi lis, à principe in judicium vocatur; perditque non ſolùm male acquiſita, ve-

rùm etiam quod justè antea possidebat; *Divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet illas Deus*; dicebat S. Job. Hæc similitudo optimè illi convenit; sicut enim qui nimiùm comedit, & superfluo cibo stomachum aggravavit, postmodum non tantùm superfluos, verùm etiam alios cibos ejicit; sic qui plures appetit divitias quàm ipsi justè convenit; frequenter omnes justè perdit. Idem de ambitiosis, vindicativis, & sensualibus affirmare possumus; illudque semper in corde fixum tenere, ne fraudibus spiritualium inimicorum decipiamur; nec proprio appetitu ad illicita conquirenda feramur: securi enim sumus, quòd illo medio citò omnia amittemus: sic divinâ providentiâ ad castigationem malorum justè disponente.

Iob 20. 15.

Cur peccatores hîc etiam puniti?

24. Quid dicitis, tormenta futuræ vitæ illis sufficere debere? Respondeo, plurimis ad mortem condemnatis primò alia supplicia infligi, amputantur manus, forcipibus ignitis cruciātur, aliisque modis affliguntur. Numquid illis mors sufficiebat, quæ est omnium terribilissima? sunt diversa delicta, quæ unâ regulâ judicari non possunt; sed ad exemplum & timorem aliorum diversa infliguntur supplicia. Tantò magis quoque convenit Deum hoc facere, quantò magis tormenta alterius vitæ nobis sunt incognita, idcircò hîc aliquos in aliorum exemplum castigat. Per Nahum Prophetam Deus hoc egregiè testatur dicens: *Ecce ego projiciam super te omnes abominationes tuas, & ponam te in exemplum.* Principes quandoq; dum rigorosè quempiam ob gravissima scelera puniverunt, memoriam illius posteris derelinquunt, ut alii tali exemplo eruditi sese abstineant. Pari modo Deus cum uxore Loth peregit, quam in statuam salis commutatam, posteris in exemplum, & correctionem ignorantium dereliquit.

Nahum 3. 6.

Cur aliquos peccatores non castigat?

25. Quid dicitis, illum sæpius majores peccatores relinquere? verum est, sed in exercitationem bonorum eos relinquit; sicut viperæ conservantur, ut Theriaca formetur; qui est effectus majoris providentiæ. In argumentum patientiæ illos sinit teste S. Paulo; *Sustinuit in multa patientia vasa iræ.* Ad majorem pœnam vel hîc vel in alia vita illos diutiùs permittit; dicente Valerio Maximo: *Tarditatem supplicii, gravitate compensat*: unde non citò castigari, signum est majoris iræ Dei. Dum judex quidam carceres visitaret; rogabat illum quispiam, ut citò occideretur, at ille respondit, nondum ira mea in te completa est. Pari modo cùm Deus aliquem ingenti odio persequitur non subitò castigationem adhibet; dicente

Ad Rom. 9. 22.

Psal. 9. 4. dicente Psalmista: *Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret*: quem locum S. Augustinus exponens, optimè dicit; *Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator, major hæc ira Domini. Irritavit Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correctionis flagella non patiatur, multum irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata.* S. Augustino S. Thomas favet, qui breviùs, sed acutiùs idem exprimit: *Ex magna ira non punit modò, ut fortiùs puniat in futuro.*

S August. serm. 9. 4.

Quomodo Deus dicatur patiens redditor.

26. Noli ergò peccator securus esse, quia Deus non te punit, sed potiùs time, & plange, hoc quippe magnæ indignationis signum est. Idem Sapiens distinctis verbis exprimit dicens: *Ne dixeris peccavi, & nil mihi triste accidit, altißimus enim est patiens redditor*: Sed quid sibi vult patiens redditor? patientia se ex parte creditoris non autem ex parte debitoris tenere videtur; unde de servo illo qui decem millia talenta debebat, legitur quòd diceret: *Patientiam habe in me.* Potiùs ergò dicendum erat; *Altißimus est patiens exactor*: quàm dicere, *est patiens redditor.* Respondeo, duæ sunt species debitorum, aliqui non solvunt quidquam damni emergentis, aut lucri cessantis, ratione debitorum; & hi patientiâ non indigent, ut solutionem debitorum differant, cùm ex tali dilatione, nil ipsis mali eveniat. Alii debitores multum inde solvere tenentur, ut qui pecuniam mutuo à mercatoribus accipiunt; & illi quantò magis solutionem differunt; tantò plus debiti contrahunt, unde pecuniam undique conquirentes, debitum solvere procurant, & multâ indigent patientiâ ut solutionem differant; creditor autem sciens per dilationem debitum augeri, de solutione nil curat, nec patientiâ indiget. Deus noster multas castigationes peccatoribus debet, sed quod debitum est istud? quod tempore crescit, & patientiam in debitore requirit, ideoque meritò inquit Sapiens: *Altißimus est patiens redditor.* Pauper debitor, nullam solet habere patientiam, timet quippe ne postmodum facultates deficiant; sed dives parum curat; quia modus solutionis ipsi numquam deest. Homines exiguas habent vires, ideoque procurant quantociùs hoc debitum solvere, cùm non sint securi si tempus vindicandi supererit. Sed Deus noster cujus potentia diminui non potest, & cujus thesauri castigationis quantumvis ingenti debito sufficiunt; *est patiens redditor.* Cavete ergò vobis peccatores, quia debita vestra crescunt, procurate ut quantociùs

Eccli. 5. 4.

Matth. 18. 26.

Peccatum est debitum semper crescens.

ubi suprà.

cuncta solvatis, aliàs iræ divinæ thesaurus nimiùm accrescet. De hoc thesauro dicebat Apostolus: *Thesaurizas tibi iram in die iræ*: per totam quippe æternitatem solvere non poteris: potissimum autem remedium ad solutionem est eleemosyna, quam facientes redimere debita vestra poteritis.

Ad Rom. 2. 5.

SECVNDA PARS.

Tribulationis medicina, differt à corporali.

27. MAlorum igitur tribulationes, in quantum castigationes, clarissimi divinæ providentiæ sunt effectus: nec minus in quantum sunt medicina, quæ altera propositionis pars est. Advertendum tamen est hanc medicinam multum à corporali medicina differre; hæc enim licet sanet, vires tamen corporales aufert, ardorem febrilem extinguit, & humores malignos ejiciendo, bonos quandoque emittit, & viscera purgando, consumit. Quod pejus quoque est, animæ quandoque nocet, freno siquidem infirmitatis sublato, & occasione convalescentiæ licentioris quodammodo vitæ, delicatiùs carnem nutrientes, portã vitiis, & tentationibus aperiunt. Tribulationis autem medicina verè sanat, carnem mortificat, concupiscentiæ calorem extinguit, animam virtutibus corroborat, occasiones malè agendi tollit, calcaria ad bene agendum addit, peccata purgat, merita auget, ac omni denique temperantiâ, & fortitudine replet. Meritò igitur afflicto hoc emblema tribui posset, ubi ferrum candens in aqua ponitur, hoc addito dicto; *Extinguit & corroborat*: extinguit nempe ignem, & ferrum corroborat. Afflictus aquæ tribulationis immissus, teste Psalmista: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*; ardorem concupiscentiæ in se refrigerari, & valorem virtutis corroborari sentit. Idem S. Paulus confirmat dicens: *Virtus in infirmitate perficitur*, in infirmitate nempe carnis virtus animi perficitur, & fortior redditur.

Psal. 68. 1.

2. Corinth. 12. 9.

Medicina spiritualis sanat.

28. Medicinæ corporales recipientem lecto decumbere faciunt, spirituales autem è lecto surgere curant attestante Osee Prophetâ: *In tribulatione sua mane consurgent ad me*. De Elia quoque qui pluviam tribus annis prohibuit, & occasionem magnæ famis præbuit dicitur, quòd *Exturbavit gloriosos de lecto suo*. Medicinæ corporales non dantur in maximo febrium rigore; spiritualis omni tempore bona est, & S. Paulo Apostolo data, dum in pessimo statu erat, & subitò illum sanum reddidit. Illæ dantur infirmis, hęc autem ut infirmitas patefiat, dicente S. Gregorio Papa; *Numquam enim culpam*

Oseæ 6. 1.

Eccli. 48. 6.

S. Greg. 15. Mor. cap. 9.

culpam suam reprobi nisi in infirmitate agnoscunt, quia pœna differtur, culpa despicitur. Illæ carnem sanando, occasiones quandoque animæ infirmitatum sunt; dum siquidem infirmus mortis periculum evasit, timoris divini oblitus, sub specie sanitatis recuperandæ appetitum sensualem sequitur. Spiritualis mortificando carnem, illamque extenuando, vitam animæ dare solet; dicente S. Basilio: *Caro percutitur, ut anima sanetur, peccator perimitur, ut justitia vivat*; S. Bernardus quoque scribens Episcopo qui in infirmitate liberalis effectus fuerat, ait: *Percussit carnem, ut anima sanaretur, occidit avaritiam, ut justitiæ viveretis.* Ad hoc propositum probandum, solent sancti Patres adducere locum illum Job: *Ipse vulnerat, & medetur,* prout Anna Prophetissa dicebat: *Dominus mortificat, & vivificat*: & in Deuteronomio dicitur: *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Inter alios quoque S. Gregorius Papa inquit: *Vulnerando ad salutem revocat, dum electos suos affligit exteriùs, ut interiùs vivant*: & paulò pòst; *Occidit ut vivificet, percutit ut sanet, quia idcircò ferit, verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet.* S. Jeronymus quoque ad Marcellam scribens sic inter cætera ait: *Dominus te in laboribus hominum posuit & salutifero pietatis verbere salutavit, ut in paucis vexatam, in multis bene disponeret.*

S. Basil. homil. 9.
S. Bernard. epist. 23.
Iob 5. 18.
1. Reg. 2. 16.
Deut. 32. 39
S. Gregor. lib. 6. moral. cap. 14.
S. Ieron. epist. 4. ad Marcell.

29. S. Augustinus ulteriùs in hac materia procedendo ait, tribulationem non solùm medium, & medicinam esse ad salutem necessariam; verùm etiam tale medium ut sine illo vita obtineri non possit; ad hoc propositum explicat locum illum Psalmi: *Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me*; sic dicens: *Hoc non ita est intelligendum ac si diceret, si fortè ambulavero, sed nisi ambulavero in medio tribulationis non vivificabis me.* Cùm autem de Psalmis loquamur, notandum videtur, quod in Psalmo 13. dicitur, primò siquidem Deus vehementer conqueritur, neminem bene agere; *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*; nec solùm de malitia ordinaria conqueritur; sed *Corrupti & abominabiles facti sunt.* Paulò pòst idem Deus conquerebatur de crudelitate aliquorum, qui devorabant plebem suam; *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis.* Sed qualis est plebs vestra Domine? hoc nobili titulo certè non sunt digni, de quibus dixisti, quia abominabiles facti sunt in operibus suis; sed quinam erunt, si non est usque ad unum, qui faciat bonum? respondere possemus, Deum esse adeò misericordem, quòd licet aliqui sint iniqui, & scelerati, cùm tamen illos pessimè exceptos, & affli-

Tribulatio necessaria ad salutem.
Psal. 137. 7.
S. August. in psal. 137.
Psal. 13. 3.
Ibid. 4.

ctos viderit, ad compassionem illorum movetur, & populum suum vocans, de persecutoribus illorum conqueritur. Sed melius dicamus, quod licèt ante afflictionem nullus esset qui faceret bonũ, post tribulationem tamen ad pœnitentiam conversi, boni effecti sunt, & digni fuerunt, qui populus Dei vocaretur, adeò potens est hæc tribulationis medicina.

Tribulatio non causat, sed detegit mala.

30. Sed quid dicitis hanc medicinam multoties nocere? possem affirmare potiùs prodesse; nil siquidem adeò bonum quod malè habenti non noceat. Meliùs tamen dicamus, non esse verum hanc medicinam alicui nocere, quia malum tantùm detegit, sed non causat; sicut medicina quæ malos humores commovet, & indicat, non tamen causat. Si in laguncula aquam odoriferam retines, illamque commoveas, senties odorem latentem, primò non sentitum; non quia non erat, sed quia intus latebat. Dum vestes virgulâ percutis, omnem pulverem in iis latentem excutis, si quis verò diceret, quantum virgula illa causat pulverem, nónne eum stolidum reputares? Omninò, quia virgula, non causat, sed excutit pulverem, unde si eâdem percutis vestes pulvere carentes, ne minimum pulverem concitabit. Tribulatio quid est? virga. *Virgam vigilantem ego video*; hac Deo multos percutiente, pulverem concitat malorum verborum, blasphemiarũ, murmurationum &c. horúmne tribulatio causa? Nequaquam, sed cùm tu omnia in corde tenebas, tribulatio excussit; *Tribulatio*, inquit S. August. *non ponit pulverem, sed facit elevare, qui erat.* Si vasa plurima in fornace ardenti constituas, aliqua rumpentur, aliis manentibus integris; unde contingit illorum disruptio? ab igne? non, sed à materia vasis quæ non erat solida, & perfecta ut esse debebat.

Ierem. 1. 12.

S. August. serm. 11. de temp.

Tribulatio probat homines.

31. Tribulatio est fornax, vasa nos sumus, in hac fornace non reddimur mali, sed malitia nostra detegitur; *Vasa figuli probat fornax*, inquit Sapiens: *Sic homines receptibiles probantur in camino tribulationis.* Si mihi diceres prosperitatem nocere, corrumpere, & destruere, an bene diceres? adversitas hoc agit, cùm malum detegat. Optimè id S. Augustinus affirmabat, dicens: *Infelicitas non frangit, quem felicitas non corrumpit*, &, *Prius corrumpit prospera, ut inveniat quod frangat adversa.* Seneca quoque ejusdem videtur opinionis esse scribendo ad Heluidiam matrem; *Neminem*, inquit, *adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit.* Plutarchus etiam huic subscribit, in opusculo intitulato; *An vitiositas ad infelicitatem sufficiat. Fortuna mollit vitiis, quos adversitatibus*

Eccli. 27. 6.

S. August. in psal. 82.

Senec. ad Heluidiam matrem, cap. 5.

versitatibus vulnerat. In hoc exemplum ossium adfert, quæ primò aceto tenera redduntur, & postmodum scinduntur, sicut Adamantem findere non posses, nisi sanguine immundo primò tener redditus fuisset.

Oliva symbolum justi. 32. Naturalistæ de Oliva scribunt, si flores ejus à torrida æstate siccati non fuerint, fructus absque ossibus in gelida hieme retinebit. Pari modo homo, qui virtutibus in prosperitate floret; etiam operibus bonis in adversitate fœcundus erit. Meritò igitur David se Olivæ assimu-
Psal.51. 10. labat dicens: *Ego autem sicut Oliva fructifera in domo Dei.* Oliva quoque pro emblemate constantis, & justi tam in prosperitate, quàm adversitate depingi potest; si modò florens ponatur, hoc addito dicto; *Nec calor dissipat*; modò fructifera cum hoc dicto; *Nec frigus adurit.* De malo & perverso, verum emblema esse potest, mare tempestuosum, hoc subscripto; *Nunc fæces ostentat*, juxta doctrinam S. Gregorii Nazianzeni; sicut enim mare sordes quas in malacia abscondebat, in tempestate ejicit; ita impius in adversitate non incipit esse malus, sed malitiam quam corde abscondebat, tribulatione consurgente, ad littus labiorum ejicit, & operationibus externis cunctis patefacit. *Mare commotum symbolum iniquorum.*

33. Si ergò bonis deperditis ad impatientiam erumpis, est, quia superfluo affectu illa amabas. Si desperes dignitate aliquâ non obtentâ, est quia ambitioso, & inordinato amore illam appetebas. Si infirmus de Deo conquereris; est quia Dominus tuæ sanitatis esse volebas, nec Deum verum illius dominum cognoscebas: alioquin cum patiente Job dixisses; *Dominus dedit,* Iob 1. 21.
Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Hominibus accidere puto, sicut vasibus integris, & disruptis, totaliter in aquis immersis, æqualiter enim sunt plena; ex aquis verò educta, cognoscitur quæ integra, & quæ rupta sint, illa enim aquam retinent, hæc non. *Homines felices sicut vasa in aquis,* Si quis verò conquereretur vas suum disruptum esse, quia ex aqua sublatum; illi respondetur, rupturam illam non inde causatam, sed detectam fuisse. Non aliter hominibus accidit, dum quippe in suo proprio sensu, & gustu relinquuntur; non cognoscitur impatiens à patiente, bonus à malo: sed si à tribulatione extra statum, & beneplacitum suum eleventur, tunc cognoscitur diversitas; illi siquidem retinent innocentiam, hi verò in varias prorumpunt murmurationes, injurias, & blasphemias; quarum tribulatio non causa, sed detectio dici potest. S. Job afflictus & de aquis humanarum prosperitatum sublatus, à Deo laudatur,

laudatur, quia adhuc retinebat innocentiam; *Numquid considerasti servum meum Iob*, dixit Dominus secundâ vice ad diabolum: *Et adhuc retinens innocentiam?* quasi diceret, nónne observasti, quòd licèt ex aquis prosperitatum mundanarum sublatus sit, eâdem tamen procedat innocentiâ quâ primò pollebat.

Iob 1, 8.

Cur tribulatio infructuosa, immissa?

34. Dices fortassis si tribulatio multis non nocet, nec etiam utilitatem adfert; & licet malum non causet, ad minus detegit. Prudens medicus medicinam infirmo porrigere non debet, quæ nullum est allatura auxilium, licet non noceat. Non deberet ergò Deus tribulationem immittere, quam nullam utilitatem afflicto afferre conspiceret. Respondeo Deum id prudenter agere, ut causam suam justificet; quando autem Hipocrates dicebat, nullam medicinam in casibus desperatis dandam, bene dicebat, dum tales casus cogniti essent; si tamen amici infirmi judicarent, malum curari posse, aliquâ medicinâ adhibitâ, licet medicus sciret illam nullam utilitatem infirmo allaturam; ne tamen conqueri possent illum suo officio defuisse, ideoque mortuum fuisse, talem medicinam illi tribuit ne salutem ejus neglexisse videatur. Ne ergò dicatis si Deus mihi aliquâ tribulatione statum meum judicasset, & peccata corripuisset, emendatus fuissem, idcircò hanc tribulationem immittit. Milites qui Salvatorem nostrum in horto Gethsemani ceperunt, videntes in die judicii S. Paulum etiam Christi persecutorem, adeò glorificatum, quia se ad illum convertit, cùm ex equo dejectus esset; dicere possent, cur Deus nos etiam ex equo cadere non permisit, ut pari modo conversi fuissemus? Deus tamen vult eos illam excusationem non habere, & cognosci ab omnibus ex parte sua non deesse, quo minus peccatores cővertantur, sed ex parte illorum, ideoque affligit, licet prævideat non conversuros. S. Joannes Chrysostomus id ingeniosè notat dicens: *Vtrobique vincula, utrobique persecutio, simile utrobique virtutis Christi judicium, similiaque remedia; at non similis correctio, ægri enim multum inter se distabant*: quia S. Paulus correctionem suscepit, Judæi autem in sua malitia perseverarunt.

Ne Deus officio suo deesse videatur.

S. Chrysost. Homil. in convers. S. Pauli.

Deus citharœdus excellens.

35. Excellens citharœdus si antequam sonet, advertat instrumentum suum indispositum, & aliquas cordas nimis esse lentas; illas attrahere, & cæteris accommodare incipit. Dicet tamen aliquis rumpetur facilè corda, nil refert, inquit, minus siquidem est cordam rumpi, quàm dissonum audire instrumentum; ideoque si corda illa nolens se alteris accommodare

dare rumpatur, sibi imputet, non deficient aliæ cordæ. Hic mundus respectu Dei, aliud non est, quàm instrumentum musicum tot cordis insignitum, quot sunt creaturæ; irrationales numquam disconveniunt, semper in eo statu manent, quo à Deo sunt conditę; rationales autem sæpius discordant, & dilatantur. Deus verò ut rectum sonum suæ gubernationis retineat, illos per tribulationem attrahit; aliquæ rumpuntur, aliquæ desperant, nil refert, minus quippe malum est hominem perire, quàm Deũ tenere instrumentum dissonum; quia plures non deerunt, qui in locum ejus succedent. Ex Apocalypsi quoque idem approbare poterimus; dum quidam Angeli in terram castigationes mittebant, alii suaviter Cytharis ludebant; quasi dicerent, Cytharis cælestibus bene sonantibus, etiam terrestres accommodare debetis; ideoque tribulationes immittimus.

Tribulatione mundi citharam accommodat.

36. Dico insuper justos plurima inde bona colligere, dum quippe advertunt peccatores puniri, sese à talibus peccatis cavere addiscunt. S. Gregorius Papa infelicem casum peccatoris enarrans, qui se morti vicinum, in potestate dæmonum conspiciebat; clamare incepit; *Inducias usque mane, inducias usque mane*: sed non obtinuit: dicit visionem illam non ad ipsius sed aliorum utilitatem ipsi fuisse exhibitam. S. Augustinus quoque ait, uxorem Loth in statuam salis fuisse conversam; ut suâ castigatione aliorum exemplum esset. Pari modo justus purgat conscientiam, & lavat manus suas in sanguine peccatoris; juxta dictum Psalmistæ: *Lætabitur justus cùm viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Adjungendum insuper, quòd licet mali per tribulationes non convertantur, non tamen absque illorum beneficio esse solent; licet enim nil boni agant, ad minus vires malè agendi auferunt, otium vitiorum sentinam expellunt, carnem perpetuum inimicum nostrum mortificant, mortem corporalem inferunt, tempus in Dei offensione impendendum minuunt, & consequenter pœnas infernales mitigant, quod certè non minimum beneficium; nec obscurus divinæ providentiæ ergà illos effectus. Sed quidquid de his sit, nos juxtà consuetum agendi modum, aliqua documenta colligamus.

Boni ex tribulatione malorum perficiuntur.

Psal. 57. 11.

37. Primum ex dictis documentum colligi potest; ne umquam Dei secreta, & divinæ providentiæ effectus temerè judicemus. Magna insipientia illius foret, qui aliquid metiendo, aut ponderando, diceret mensuram potiùs, aut pondus deficere, quàm rem ipsam? providentia

Dei providentia non temerè arguenda.

dentia divina exactissima rerum omnium mensura est; quia
Sap. 11. 21. *omnia in mensura, numero, & pondere disposuit.* Dum ergò tibi videtur res humanas juxta hanc mensuram non rectè procedere, audebisne dicere, mensuram deficere, aut non esse æqualem? Non illa sed tuum judicium, actionesque humanæ deficiunt,
Prov. 16. 11. & fallunt. *Pondus & statera judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides sacculi.* Quid hoc sibi vult, quis iste loquendi modus? qui lapides sunt isti qui in sacculis conservantur? antiquitus lapides in sacculis tenebant, ut pondera efficerent, sicuti modò metallis utimur; unde Chaldæus interpres vertit; *Et opera ejus omnia pondera veritatis*: Septuaginta Interpretes vertunt, *Opera autem ejus, pondera justa.* Volebat igitur Sapiens affirmare, omnia opera divina adeò justa esse, ut juxta illa omnia alia mensurari, & ponderari deberent; ita ut nil justum aut rectum dici posset, quod illi adæquatum non fuisset. Terreni principes sapientibus, & bonis consiliariis indigent, ut juxta illorum directionem, cuncta ordinatè procedant. Deus verò nullo consiliario indiget, nec intellectus solùm, verùm etiam voluntas ejus errare non potest: ideoque de
Dei voluntas errare nequit.
Ad Ephes. 1. 11. illo dicebat S. Paulus; *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* Consilium apud nos est actus intellectus, & voluntas potentia cæca directione indigens, nec ad alium dirigendum apta: quomodo ergò Apostolus consilium voluntati tribuit? voluit in eo ostendere, voluntatem divinam adeò esse rectam, ut nullo modo errare possit, ideoque nullo indigere consilio, imò normam & directionem aliorum esse. Optimè hoc cognoscebat S. Augustinus dicens: *Iudicia Dei occulta esse possunt, injusta non possunt.*

38. Ne ergò ex illis simus, de quibus Seneca dicebat: *Sunt qui velint magis emendare Deos quàm se.* Similes hi sunt mulieri deformi, quæ deformitatem suam in speculo videns, non tamen se deformem, sed speculum falsò repræsentare dicebat; unde indignatione commota illud in terram projiciens, in plurimas confregit partes. Deus noster speculum sine macula est, omnia verè, & justè dirigens; nullâ ergò indignatione commoveri debemus, si non omnia juxta placitum nostrum procedant, sed nos ipsos arguere, & defectibus propriis cuncta tribuere. In hunc errorem operarius quidam in vinea incidit, qui de mercede omnibus æqualiter datâ conquerebatur, sed à Domino insigniter reprehensus fuit;
Deus speculum perfectissimum.
An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sed cur oculus hic reprehenditur, cùm lingua potiùs Matth. 20. 15.

tiùs ob murmurationem castigari debuisset, nùlla siquidem culpa oculo tribuitur. Non tamen hoc caret mysterio; oculus quippe ad speculum refertur; quasi diceret, quia ego sum speculum sine macula, & judico universa juxta illorum merita, idcircò oculus tuus non potest me sufferre; ideoque *Nequam est, quia ego bonus sum.*

Qualiter tribulationes malæ, bonæ sint reddendæ?

39. Aliud documentum utilissimum est, quod sive boni, sive mali simus, tribulationes immissas utiles vel nocivas reddere possimus; si nimirum hoc vel illo modo illas recipiamus. Inter plurima admiranda quæ in mari conspiciuntur, non minus est illud, quod eodem vento una navis ad orientem, alia verò ad occidentem perget; vixque conspici potest, qualiter idem ventus qui versus unam partem solummodo flat, naves in contrarias partes dirigat? totum autem id peragitur ex distensione velorum, quæ vento se accommodantes, necessariò procedunt. Tribulatio quid est? ventus in hoc mari tempestuoso sufflans: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone:* quò nos conducit? juxta quod vela tendimus; si vela impatientiæ, desperationis, & maledictionis extendimus, ad inferos tendimus; si autem vela patientiæ, & resignationis in divina voluntate, ad cœlos conscendimus. Propheta David hoc optimè in tribulatione intelligebat dicens; *Expandi manus meas ad te,* dum tribulationis ventum sufflare sentiebam, vela manuum mearum extendi; sed quomodo, versus quem locum? *Ad te,* per sinceram voluntatis resignationem, per amorem, & auxilium tuum, me direxi ad te; quid inde secutum? optimum iter; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Ezech. 1. 4.

Psal. 142. 6.

Ibid. 10.

In tribulatione ad Deum tendendum.

40. Parum dixi, in cœlum te volare faciet, & adinstar Dedali duas alas tibi affinget, quibus ex hujus mundi labyrintho, ad patriam cælestem securè pervenire possis. Poëtæ Dædalo alas affingunt, quia velorum in navibus inventor fuit; cùm enim classem navium regis Cretensis effugere vellet, vela navibus apposuit, sicque volare videbatur & regem cum omni exercitu deridebat. Nec mirum videri debet, Poëtas hoc effinxisse, cùm idem Psalmista de se affirmet dicens: *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris.* Idem cunctis tribulatis eveniet, si vela confidentiæ in Deo expandere rectè noverint. Audite Isaiam idipsum vobis clarè exhibentem; *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut Aquilæ, current, & non laborabunt.* Quid sibi vult, quòd in Domino confidentes mutabunt fortitudinem? An præ timore, iter

Psal. 138. 9.

Isa. 40. 31.

Duplex fortitudo in resistendo, & perferendo.

aliò deflectent? Sed meliùs dicamus; duas fortitudines assignant Philosophi, una consistit in aggressione inimicorum, altera in defensione; illa in actione, hæc in passione. Propter illam meritò laudatur Sampson, Iudas Machabæus, & alteri; propter hanc autem S. Job, Joseph, omnesque martyres. Mutabunt ergò fortitudinem; quia ubi primò se generosos exhibere cupiebant, cunctosque vindicare injurias; postmodum erunt patientes, & cuncta illata fortiter perferent. A prima denique fortitudine ad secundam nobiliorem transibunt. Meliùs quoque dicamus; *Mutabunt fortitudinem*, quasi diceret, numquam fatigabuntur, numquam deficient; sed semper erunt quasi de novo inciperent; sicut enim velocissimè iter conficere volens, sæpius equos permutat, sicque ad cursum semper æquè est dispositus, pari modo tales nullam defatigationem sentient, sed quasi indies mutarent fortitudinem, semper æquè robusti erunt.

ubi suprà.

41. *Assument pennas sicut Aquilæ*, ut ad cœlum evolent; *Current & non laborabunt*. Si tamen pennas Aquilæ habuerint, cur illas ad volandum nõ explicant? sancta Ecclesia hanc Antiphonam pro pluribus martyribus cantans, aliam versionem sequitur, legitque; *Volabunt, & non deficient*, sed cur hîc *volabant*, ibi verò *current*? fortè ad docendum, quòd licèt ratione sublimium meritorum, & contemplationis volabunt, non tamen ob humilitatem à terra se erigent? vel ne à proposita navis similitudine discedamus; dum navigantes ad locum destinatum citiùs pertingere cupiunt, non sufficit illis vento uti, sed remis se quoq; adjuvant: unde natũ proverbium; *Velis & remis*: sicut etiam propter vela navis volare dicitur, sic propter remos qui sunt quasi pedes navis, progredi dici potest. Volebat ergò Propheta Isaias dicere, quod alis divinæ gratiæ volabunt, & pedibus liberi arbitrii current; sicque velis, & remis, cum favore cælesti, & proprio labore ad portum æternæ salutis felicissimè pervenient. Hoc ergò nobis agendum, dum affligimur, per orationem ad Deum recurrendum, considerandum quid à nobis exigat, in illo confidere, totaliter nosipsos illi tribuere. Debiles quoque vires nostras impendere oportet, ut gratiæ ejus correspondeamus, pœnitentiam peccatorum agamus, ac bonis operibus inhæreamus; eoque modo non tantùm feliciter curremus, verùm etiam ad terminum æternæ beatitudinis volabimus; quod Deus noster per infinitam misericordiam concedere dignetur. AMEN.

Velis & remis ad cælum pergendum.

DISCUR-

DISCVRSVS XXXVII.

Tribulationes benevolè amplectendæ, quia sunt effectus misericordiæ divinæ.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Misericordia Dei thesaurus afflictorum. num. 1. 2.

Quomodo misericordia in tribulatione resplendet? à num. 3. *usque ad* 10.

Deus nos affligendo, se misericordem exhibet. à num. 12. *usque ad* 22.

Tribulatio præsens summæ misericordiæ effectus. à numer. 23. *usque ad* 26.

Misericordia Deo propria ideo illibenter punit. num. 27. 28. 29. 30.

Quomodo castigatio misericordiæ effectus? à num. 31. *usque ad* 35.

Quomodo Deus in tribulatione nostra lætatur, & quales ipsi gratiæ referendæ? à num. 36. *usque ad finem.*

Misericordia divina thesaurus.

1. Icut aqua sitibundis, libertas mancipiis, infirmis salus, pauperibus pecunia; talis absque dubio afflictis est misericordia; hæc siquidem est thesaurus omni illorum inopiæ subveniens; medicina salutem tribuens, vita, & clavis ex angusto tristitiæ carcere corda liberans; & aqua viva sitim extinguens. Thesaurus est, quia *Dives in misericordia*, teste S. Paulo; medicina est dicente Psalmista; *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam*: clavis nos à carcere liberans, quia, *Redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus*; & aqua cælestis sitim extinguens; teste Sapiente: *Misericordia Dei, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Sed quis homine miserabilior, qui ab ortu miseriis repletur? *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Inter hos autem afflicti sunt deteriores; *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus:* quid ergò illis gratius esse potest, quàm de misericordia divina sermonem instituere? Cùm de hac S. Paulus loqui vellet, breve, sed excellens præmisit encomium dicens: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.*

Ad Ephes. 2. 4. — Psal. 118. 77 — Psal. 135. 24 — Eccli. 35. 26. — Iob 14. 1. — 1. Corinth. 15. 18. — 1. ad Tim. 1. 15.

2. Sed quid sibi vult *fidelis sermo?*

De misericordia loqui dulcissimũ.

sermo? homines, & amicos, fideles appellare solemus, non autem verba, aut locutiones. Dicunt tamen SS. Patres fidelem hunc dici sermonem, id est securum, & certum. Sed alia quæ S. Paulus proferebat, nónne erant certa, & secura? omninò, quia verba divina erant; hæc autem multò magis, quia supra naturam Dei fundata; *Cui proprium est misereri semper, & parcere.* S. Augustinus legit *humanus sermo*; & sibi ipsi difficultatem movet; quomodo sermo humanus dicatur, cùm sit scriptura sacra? cui respondet, sicut Christus simul est Deus, & homo; ita sermo iste simul est divinus, & humanus; divinus propter auctoritatem, humanus, propter jucunditatem, & benevolentiam. Nec solùm divinus, & humanus, verùm etiam *omni acceptione dignus.* Sed quid acceptio significat? In sacris litteris pro partialitate accipitur, & sæpius reprehenditur; sic S. Paulus ait; *Non est personarum acceptio apud Deum.* Sed nónne hæc à Deo prohibita, nónne in Deuteronomio dicitur; *Non accipies personam divitis, vel pauperis*; verum est, sed hic discursus est extra omnem regulam, & omni acceptione & privilegio dignus; non solùm quia nobis misericordia utilior, & jucundior; verùm etiam quia Deo magis placet. Quando flores, aut fructus amico mittuntur, insigniores superiùs ponuntur, ut oculos amici rapiant; opera divina nobis exhibita, munera sunt; *Omnia nobis donavit*: inquit S. Paulus; sed quodnam munus magis acceptum? misericordia; *Miserationes ejus super omnia opera ejus*; ideò exaltatur, & super cuncta alia collocatur. Rationi ergò consonum erit, ut hunc insignem fructum afflictis offeramus; licet enim de amore divino, de potentia, de sapientia, & providentia Dei hactenus egerimus; dicere possumus nos de misericordia divina egisse; cùm his omnibus associata veniat. Videamus igitur quomodo in tribulatione particulariter resplendeat, & quem fructum inde particulariter colligere possimus.

ad Coloss. 3.25.

Psal. 144.9.

Quomodo misericordia Dei in tribulatione.

3. Antequam tamen hunc discursum aggrediar, timeo extraneum, & admirabile afflictis videri, Deum in tribulatione misericordem esse. Non ideò quia in Deo non concedimus misericordiam; quis enim adeò barbarus ut hoc non admittat? Nihil frequentius in scriptura sacra reperitur, effectus ejus sunt nimis evidentes; nimis intimè bonitati divinæ connectitur; Deum nostrum patrem, creatorem, dominum, ac redemptorem esse nulli dubium est. Verum quidem est dum Deum misericordem dicimus, non intelligimus

telligimus in eo esse affectum doloris, & compassionis afflictorum sicuti in nobis est, in Deo quippe nulla potest, alteratio reperiri: sed voluntas, & affectus, succurrendi, tantaque promptitudo subveniendi miseris, ut videatur ipsemet dolores sentire. Hoc omnibus clarè patet; quod autem difficile videtur est, quòd dicamus hanc misericordiam in tribulatione potissimùm elucere.

In Deo sunt diversa attributa.

4. Solent quandoque diversa officia, seu dignitates in eadem persona reperiri, v. g. erit princeps, sacerdos, dux, &c. juxta quas dignitates, munia singula exercebit; modò imperans, sacrificans, & regens. Cæsar Augustus in armis, & litteris excellens, cum libro & gladio in manu depingebatur, hoc addito dicto: *Ex utroque Cæsar.* Deus noster in se omnes dignitates, & excellentias imperfectionem non includentes complectitur. Ideoque tot nominibus præsertim in lingua Hebræa vocatur; Elohim, Adonai, Sadai, Jehova, Eli; omniaque officia tam exactè continet, ut dici possit; *Ex unoquoque Deus*; ex singulis nempe colligere possumus, ipsum esse verum Deum. Hinc sequitur ipsum non omnia juxta omnes titulos operari debere, quia non semper ut pater, sed quandoque ut judex, ut Deus exercituum, & ultionis, agit. Sed quinam erunt effectus talis operationis? An favores, & prosperitates? Certè non, hi siquidem propriè sunt effectus, misericordiæ, & liberalitatis. Castigationes igitur effectus ejus erunt; & si illæ quoque misericordiæ tribuantur, justitia, aliaque similia attributa, sine officio, aut effectu in Deo otiosa manebunt. Isaias Propheta rectè hos effectus distinguere noverat, quia castigationem iræ divinæ, & liberationem misericordiæ attribuebat; *In indignatione mea*, inquit, in persona Dei; *percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui*. David quoque in eo convenit dicens: *Ira*, effectus videlicet iræ, propriè calamitas; *In indignatione ejus, & vita*, Prosperitas nempe & salus, *in voluntate ejus*; quasi diceret, in quantum indignatus affligit, in quantum benignus dat vitam. Qui ergò castigationem misericordiæ attribuere vellet, quantum in se est, privaret Deum uno brachio, justitiâ nempe.

Isa. 60. 10.

Psal. 29. 6.

Deus naturâ mitis.

5. Magna est diversitas inter aliquem naturæ iracundæ, impatientis, & vindicativæ, & alterum benignum, & amabilem; si ille infirmus, & phreneticus minatur, & percutit, humori ejus cholerico adscribitur; diciturque quòd talia ageret, dum sanus esset. Si alius tali morbo laboret, & similiter agat, febri adscribitur

adscribitur quæ caput ejus turbavit; diciturque phrenesis illum ita turbavit, alioquin optimus est. Deus noster cujus naturæ est? Omninò amabilis, & misericors, ideoque vocatur; 2. Corinth. 1. 3. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: quando minatur, & castigat, quid dicitur? illum non talia operari, sed peccata nostra ipsum adeò exacerbasse dicente Isaia; Isa. 28. 21. *Peregrinum est opus ejus ab eo*; extra naturam, & solitum agendi modum procedit: est denique Psal. 29. 6. *Ira in indignatione, & vita in voluntate ejus*. Castigationes igitur nullo modo effectus misericordiæ, sed indignationis sunt. Cùm Deus Prophetam Eliam alloqui vellet; licèt ventum, terræ motum, & ignem præmitteret; illi tamen indicavit. 3. Reg. 19. 11. *Non in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus*; ad demonstrandum non ipsi terrores, & castigationes, sed amabilitatem, & benevolentiam placere, quia in aura suavi, & sibilo postea venit.

Non castigatio Deum misericordem exhibet.

6. Dicet fortè quispiam, verum est castigationes sunt effectus iræ divinæ, sed misericordiæ conjuncti, quæ illas diminuit, & minores reddit quàm bene meremur. Si tamen ita sit, non in castigatione peccatorum misericordia elucet, sed in retentione istius partis, quam per justitiam rectè infligere posset. Cùm aliquis abstinens dicitur, quia parum comedit, & unâ vice tantùm in die; non dicetur quòd exigua illa comestio illum reddat abstinentem, sed potiùs non comestio: si quoque ex duobus cibis unum comedat, alium non; non comestio illum abstinentem declarabit, non verò comestio. Castigationes ergò misericordiam divinam non exhibent, sed non castigationes; & si numquam castigaret magis misericordem se exhiberet. Dico insuper me nescire an verum sit castigationes divinas exiguas esse. Dum civitas rebellis intercipitur, si dux non sit omninò crudelis, vitam civibus, aut saltem mulieribus, & parvulis relinquit; sed omnes absque distinctione interficere, nimia foret crudelitas. Illud tamen Deus sæpius peregit; in diluvio quantas civitates cum parvulis, & mulieribus submersit? nemini ignoscens, nisi Noë & familiæ ejus. In incendio Pentapolis idem contigit; licèt enim Abraham charus amicus ejus illum obnixè rogasset, ne vel unius salutem obtinere poterat, præterquam Loth, & filiarum ejus. Unde meritò Tertullianus dicebat:

Tertull. de mar. Antithesib.

Iudicium durum, sententia sæva videtur,
Parvulus in Sodomis, adhuc insons, mollis, inermis,
Vt careat vitâ; quid enim peccaverat infans?

Quid

Quid de peste, bello, fame, aliisque flagellis referam, quæ unumquemq; æquè aggrediuntur? Dices peccata populi sunt horum occasiones. Sed infantes quid egerunt? Puniuntur, inquies, propter peccata parentum. Sed quid dicemus si propter exiguas res, multoties gravissimas inflixit pœnas?

Deus exigua acriter punit.

7. Crudelis nimiùm æstimatus fuit Caronda, qui propter adulterium privationem oculorum instituit, illamque in proprio filio exercere voluit; unum sibi oculum, alterum filio eruendo. Quid de Deo dicemus, qui propter unicam respectionem uxoris Loth, illam vitâ privavit? qui peste percussit septuaginta millia ex populo Hebræo, propter exiguum Davidis peccatum, quia numerum populi sui cognoscere voluit? quid de Job dicemus, cui filii, & bona cuncta ablata sunt, nec rationem ejus scire potuit, cùm testimonio
Iob 2. 3. divino innocens esset; *Adhuc retinens innocentiam?* Diversitas insuper est, inter personam misericordem, qui per accidens indignatur, & alium qui ex natura sua severus, in punitione aliorum delectatur; ille quia facilè indignatur, facillimè placatur, omniumque injuriarum subitò obliviscitur; hic verò donec planè vindicaverit non obliviscitur. Pari modo Deus agit, numquam injuriarum obliviscitur. Quadam vice Deus Sauli dixit; vade percute Amalech, & non relinques ex eis quemquam vivum. Quid Domine egerunt 1. Reg. 15.
mali? Cur tantam merentur castigationem? Recordor me legisse, dum populus Israel ex Ægypto ad terram promissionis pergeret, Amalechitæ noluerunt illis transitum concedere: sed à quo tempore illud successit? à centenis annis; adhúcne recordaris injuriarum istarum? Nec solùm parentes punire cupit verùm etiam filios filiorum, *Ego* Exod. 20. 5.
sum Deus zelotes, inquit, *visitans iniquitatem patrum, usque in tertiam, & quartam generationem.*

Deus omninò videtur crudelis.

8. Quod insuper cor adeò ferum, quod rogatum suppliciter, non se ad pietatem inflectet? Deus aliquem castigans, duriorem se marmore exhibet. Id de se testatur S. Job, qui tantis calamitatibus fractus; licèt Deum sæpius rogaret, semper duriorem reperit, unde conquerebatur dicens: *Clamo ad te & non ex-* Iob 30. 20.
audis me; sto & non respicis, mutatus es mihi in crudelem. Pari modo Jeremias conquerebatur dicens: *Opposuisti nubem tibi, ne transiret* Thren. 3.
oratio. Nónne insuper diabolus 44.
crudelissimus est? negari non potest; sed quis ille nisi Dei minister? absque ejus licentia, ne quidem capillo nocere potest, ipsiusque ministerio frequenter in punitione utitur; ut in castigatione Ægyptiorum quam

 David

Psal.77.49. David dicit fuisse; *Immissiones per Angelos malos.* Quasi dicere auderem, Deum diabolo crudeliorem esse. Cùm diabolus desideraret Job punitum, dixit Deo; *Tange os ejus, & carnem;* Deus autem respondit illi, *Ecce in manu tua est;* fac illi secundùm crudelitatem tuam, & in omnibus afflige; plus ergò Deus diabolo concessit, quàm petierat. (Job 2. 5.)

Deus in punitione videtur lætari. 9. Clariùs idem exhibebo; nullus majoris crudelitatis signa exhibere potest, quàm de infortunio aliorum gaudere. Inter cæteras quoque Neronis crudelitates; illa pro majori enarratur, quòd cùm urbem Romanam incendere jussisset; turrim ascendens jucundè contemplabatur, & cantabat. Pari modo videtur Deus agere; cùm enim in Apocalypsi, Angeli phialas iræ divinæ in terram sparsissent, ex iisque extrema miseria orta esset; Deus supra altissimam cælorum turrim sedens, summâ fruebatur jucunditate, quia S. Joannes statim subjungit; *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia.* Dum vinum colligitur, aut exprimitur in autumno, magna exercetur jucunditas; sed tempus vindemię divinę scitis quodnam sit? quando de castigatione immittenda agit; ita in Apocalypsi præcepit Angelo dicens: *Vindemia botros vineæ;* qui verò botri erant illi? non alii quàm homines. Deus ergò adeò delectatur in occisione hominum, & videre sanguinem humanum per terram fluentem, sicut agricola in vindemia, & expressione uvarum? Omninò, quia mala nostra deridet teste Sapiente: *Ego in interitu vestro ridebo:* Quare tanta indignatio? quia *vocavi, & renuistis.* Si princeps terrenus servum vocando, & statim non respondentem crudeliter occideret, & in tormentis eum derideret, quis illum non reputaret crudelem? Illud tamen videtur Deus agere, dicit enim; *Vocavi & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* (Apoc.19.1.; Apoc.14.18; Prov.1.25.; Ibid.)

David crudelis inimicis. 10. Ex Davide Propheta cognoscere possumus, quale sit cor Dei, de illo siquidem Deus ait; *Inveni David virum secundùm cor meum.* Quomodo David cum inimicis suis se gerebat? adeò crudelis fuit, ut dum Ammonitas justo prælio vicisset, cunctos in terram distendere, ac supra illos ferratos currus invehere jusserit, atq; ita crudelissimè interemit. Si tale ergo cor Dei, quid inde sperandum, nisi crudelissima tormenta? Quid de tribulationis diuturnitate dicam? Si carnifex reum nimis diu torqueat, aut detineat, antequam mortem inferat, omnes illum crudelem vocant. Sed Deus noster annos, & lustra integra homines in tribulatione detinet variis miseriis & calamitatibus (Act. 13. 22.)

Deus crudelior videtur.

calamitatibus lentam mortem inferendo, quis ergò illum misericordem vocare poterit? Valida videntur hæc argumenta, non tamen propterea à proposito recedendum, sed denuò affirmare audeo, immensam Dei misericordiam in tribulationibus maximè elucere. S. Bernardus filias divinæ misericordiæ enumerando, meritò primum locum tribulationi assignat; *De quatuor filiabus magnæ misericordiæ dictum est, quæ sunt immissio amaritudinis &c.* Ad hoc vobis probãdum, & clarè exhibendum, tot argumenta, & probationes suppetunt, ut nesciam unde incipere debeam, quia *inopem me copia facit.* Dicamus in primis, quia tribulationes immittere debet, valde exiguas mittit.

S.Bernard. serm. de trib.miss.

Differentia inter Rhetores, & Dialecticos.

II. Insignis est differentia, inter Rhetores, & Dialecticos; illi argumenta sua amplificant, & distendunt, hi verò maximè restringunt: unde quidam argutè dixit, sicut eadem manus in pugnum restringitur, & extenditur in palmam; ita eadem materia à Dialecticis restringitur, & à Rhetoribus dilatatur, & extenditur. Dicere quoque possumus, omnes homines Rhetores esse & Dialecticos, in dando sunt Dialectici, quia manus restringunt, quantum possunt, in accipiendo autem sunt Rhetores, & maximè extendunt. Sapiens id summoperè detestatur dicens: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*, quasi diceret, noli esse Dialecticus in dando, & Rhetor in accipiendo. Cum Deo quoq; Dialecticũ agimus, quia quantò minus possumus, tantò minus damus, pecuniam exiguã, vix ullius momenti pro eleemosyna; Missã quærimus breviorem, & cætera tantò minus agimus, quàm possumus. Cum mundo Rhetores sumus; in conviviis, & pompis mundanis, liberalissimi sumus, & prodigi. Sed de Deo quid dicemus? omnes absque dubio scientias possidet: *Deus scientiarum Dominus.* Rhetor ergò & Dialecticus erit; in dando Rhetor, &c. liberalissimus: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*; Davidi etiam post collationem regni dicebat: *Si hæc parva videntur, adjiciam tibi multò majora.* In castigando autem parcus, & Dialecticus; subitò restringit manum, & quantò minus potest infligit. Cùm Angelo Jerosolymam peste percutienti tres dies assignasset, in dimidio primi diei dixit; *Sufficit nunc contine manum tuam*: quasi diceret, nimiùm extendis manum, hæ castigationes sunt, ideò restringendæ, & tres dies, in paucas horas reducendæ. Isaias idem clariùs expressit dicens: *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos*

Eccli.4.36

1.Reg.2.3.

Deus Rhetor, & Dialecticus.

Psal.144.16.

2. Reg.24.16.

Isa. 40.12.

cœlos palmo ponderavit? Deus, inquit Propheta, aquas mensus est pugno, sed cælos palmo. Sed qualis hæc differentia? aqua symbolum tribulationis est; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*: Cœli autem beneficiorum symbolum: *Domine in cœlo misericordia tua.* Quando ergò de beneficiis agitur, Deus manum suam aperit, & abundanter largitur: dum autem de castigationibus, & tribulationibus, manum in pugnum restringit, ut det quantò minus potest.

Cant. 8.7.

Psal. 35. 6.

Deus in puniendo restrictus.

12. S. Ambrosius hanc Dei naturam in libro de pœnitentia notat, & ex verbis Christi in S. Matthæo eam colligit, ubi promittens omnibus se coràm hominibus confitentibus, coram æterno patre eòs confessurum: & se negantibus, negaturum; non tamen adjungit particulam universalem, ut ante fecerat; dicit enim: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est, qui autem negaverit me, negabo, & ego eũ coram patre meo, qui in cœlis est.* Audiamus modò quid S. Ambrosius super illis verbis dicat; *Confitetur pro omnibus, omnes complectitur: ubi negat, non omnes negat. Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur injuriam: quod est miserationis exaggerat, quod ultionis extenuat.* Idem quoque colligi potest ex verbis

Matth. 10. 32.

S. Ambros. in lib. de pœnit. c. 2.

quę Dominus prȩcepit Heli annuntiari: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnent me, erunt ignobiles*: in secundo quippe membro non dicit: *Quicumque contemnent me*, sed tantum *qui*, relinquendo signum universale, & restringendo magis ad particularia: ubi siquidem in præmiando est Rhetor, in puniendo est Dialecticus.

1. Reg. 2. 30.

13. Nec solùm mensurâ exiguâ, verùm etiam involuntariâ nos punit: rem nobis placentem, propriis manibus curamus: ita crudeles propriis manibus inimicum occidere gaudent, qui illibenter hoc agunt, aliis committunt. Deus noster adeò est misericors, ut propriis manibus nos punire non possit, sed aliis committat; vult populum Israel punire, sed gladium arripiens, illi animus deficit, ideoque dicit: *Mittam in eis gladium*, quasi diceret, in medio illorum injiciam, qui vult accipiat, & vindicet pro me, quia mihi animus deficit. Primo parenti nostro pœnam infligere volens ait: *In quacumque die comederis morte morieris*: non dixit, *occidam te*, sed *morieris*, non enim manus suas sanguine inficere volebat. Satanas Deum rogabat, ut vellet Job parum attingere; *Tange os ejus, & carnem*: sed dixit illi: *Ecce in manu tua est*; quasi diceret, ego ex me nemini nocere

Deus illibenter castigat.

Ierem. 24. 10.

Gen. 2. 17.

Iob 2. 6.

cere

cere possem, tu verò qui soles exequere. Quin imò non videtur posse præsens assistere, sicut mater discedit, dum dilecto filio sanguis è venis emittitur: idcircò diabolus dum Job affligere vellet, discessit à Deo; *Egressus à facie Dei*: quasi diceret, in tua præsentia nil possem, quin subitò me prohibebis, ideoque de tua præsentia discedam.

Iob 2,7.

Deus in puniendo benignior.

14. Inimicus crudelis alium affligere volens, tormenta ad hoc aptiora quærit, omnemque industriam applicat. Deus autem omnia contrariè agit; dum quippe de misericordia agit, omnem fortitudinem, & virtutem applicat; dum verò de castigatione, videtur omnem vigorem perdere, & instrumentis debilioribus utitur. Ita testatur Psalmista dicens: *Secundùm altitudinem cœli à terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se*: & alibi; *Confirmata est super nos misericordia ejus.* De castigationibus autem dicit: *Arguam eum in virga virorum*, vel propriè *in virga senum*; in baculo nempe debili, & brachio flacco, quod statim fatigatur. Deus quærit potiùs occasiones non castigandi; pater dilectum filium in errore reperiens, virgam arripit, & minatur castigationem crudelem, sed cor commoveri sentiens, dicit amico præsenti non me impedias insigniter hunc rebellem excipere volo, qui animum patris intelligens, accurrit, precaturque ut illi ignoscat hac vice, ad quem pater conversus ait, nisi me hac vice impedivisses executus fuissem; ideoque filio inquit, gratias age amico huic. Pari modo Deus nobiscum agit, nónne meministis cùm populus Israel vitulum aureum adorando graviter peccasset; Deus se plurimùm indignatum exhibuit, dixitque Moysi se omnes velle delere, sed quomodo? *Dimitte me, ut irascatur furor meus*; non me teneas Moyses omnes occidam. Sed an Moyses illum tenebat? nequaquam, sed illi insinuare cupiebat, quòd impedire posset, quod S. Augustinus notans, colligit hunc populum non minus à Deo, quàm à Moyse dilectum fuisse; *Licèt eos*, inquit, *diligeret Moyses, Deus tamen occultiùs diligebat, dum manifesta voce terrebat; quia scilicet illud, dimitte me, monendo illum dixit potiùs, quàm jubendo.* Sicque Moyses hoc intelligens, illum precatus est, & obtinuit.

Psal. 102.11

Psal. 116.2.

2. Reg. 7. 14.

Exod. 32. 10.

S. August. quæst. 144. in Exod.

Deus ex peccatorum gravitate misericordiam elicit.

Exod. 34. 9

15. Aliàs quoque Moyses benignam Dei naturam cognoscens rogabat ne populum suum desereret, dicebatque: *Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum, populus enim duræ cervicis est.* Id est, rebellis, & inobediens, nolens colla subdere jugo divino. Sed ubi Moyses addidicisti hanc artem? rebellem, & inobedien-

tem esse, poterátne movere Deum ad compatiendum; imò oppositum est verum, unde paulò ante Deus dixerat; *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te in via.* (Exod. 33. 3.) Quomodo ergò Moyses hanc rationem adducit, ut Deum compellat secum ire? quia cognoscebat quòd minæ Dei, sunt indícia condonationis, quomodo sit exorandus. Sciebat, quòd quantò majus sit malum, tantò melior debet esse medicus; intelligebat ad defectus populi sui sufferendos, non aliam quàm infinitam patientiam sufficere: cognoscebat infinitam suam misericordiam, & ex omni re, argumenta & motiva pietatis posse colligere: sciebat Deo charum esse, si argumenta castigationis contra nos illata, retorqueamus, & quasi gladium è manibus arripiamus. Rectè hoc intellexit Chananæa mulier, cui cùm Dominus dixisset; *Non est bonū sumere panem filiorum, & mittere canibus*: (Matth. 25. 16.) illa argumentum retorsit, & ait: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* (Ibid.) Sicque obtinuit quod rogabat.

Deus prodigus in misericordia.

16. Clariùs Deus hoc desiderium expressit Ezechieli dicens: *Quæsivi virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra.* (Ezech. 22. 30.) Cumque neminem reperisset, graviter indignatus fuit referente Isaia: (Isa. 59. 16.) *Et vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat*: quia neminem se retinentem invenit, *Aporiatus est*, quasi animo deficiens. Misericordiæ suæ adeò est liberalis, ut non tantùm gaudeat illam distribuere, verùm etiam ipsi ablatam esse. Sic Boos non solùm libenter dabat Ruth ex grano suo, verùm etiam Messoribus dicebat, si velit (Ruth 2. 15.) metere, & colligere, non illam impediatis; hoc Deus nobiscum agit. Sententia communis est; *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat.* Sed quis Dei thesaurus? Misericordia ejus; *Dives in misericordia*, ait Apostolus: (Ad Ephes. 2. 4.) ubi illum retinet, in præsentia omnium; *Misericordia Domini plena est terra*, (Psal. 32. 5.) illâ ergò privari desiderat; nil siquidem est, quod magis ab aulicis ejus prædicetur, quàm hic thesaurus.

Misericordiam suam deprædari desiderat.

17. Filius prodigus optimè hanc Dei misericordiam cognoscens, ad patrem accedens dicebat: *Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* (Luc. 15 18.) His verbis licet sibi contradicere videretur, sapientissimè tamen loquebatur. Contradicere videbatur, quia se indignum reputabat, qui filius ejus diceretur, & tamen patrem appellabat. Sed numquid correllativa sunt pater & filius? Nónne inter se mutuam habent dependentiam, ita ut unum sine altero esse non possit? Omninò,

ninò, quia nullus potest esse tuus pater, nisi pariter sis filius ejus. Hic ergò juvenis sibi contradicit, dum sibi titulum filii negat, alteri tamen respectu sui, titulum patris attribuit. Sapientissimè tamen loquebatur; etenim peccata sua & patris misericordiam agnoscens, se indignum filium reputabat; patrem tamen ut benignum appellare non dubitabat. Quasi diceret, si ego dereliqui quod est filii, tu non amisisti quod est patris. Non ego obedientiam filii adimplevi, sed tu misericordiam patris retinuisti. Vincula amicitiæ & charitatis mutuæ ego dissolvi, sed vestrâ pietate illa reduplicasti; ultra hoc enim quod me semel generasti, jam secundâ vice regenerasti. S. Petrus Chrysologus verba hujus juvenis optimè penetrabat, hocque modo illa declarabat; *Ego*, inquit in persona ipsius, *perdidi quod erat filii, ille quod patris est non amisit, apud patrem non intercedit, extraneus; intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat affectus, urgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam.*

S. Petr. Chrysol. serm. 2. de fili. prodi.

Punitio divina misericordiæ effectus.

18. Non hîc se sistit Dei misericordia, sed ulteriùs procedendo dicere audeo, non tantùm in punitione se detegere, quàm punitionem ipsam misericordiæ effectum esse. Hic effectus mirabiliter elucebit, si finem ob quem puniat respiciamus, qui non est alius, quàm majus nostrum bonum. De venatore quodam me legisse memini, quòd cùm silvam cum sociis intrasset, inter se loca distribuerunt, ille autem in via quadam subsistens insignem Cervum ad se venientem conspexit, rectè laqueos & canes petentem; at misericordiâ motus, clamando, & lapides projiciendo, illum aliò divertit, & salvavit. Modò vos interrogo, si clamores isti, & lapidum projectiones, sint effectus iræ aut pietatis? Si materialiter in se considerentur, effectus iræ dici possent; si verò formaliter, & realiter effectus pietatis erant. Pari modo dicamus Deum nobiscum agere, dũ tribulationes immittit: peccator Cervus sitiens mundanas delitias dici potest; *Cursor levis*, inquit Jeremias, Septuaginta Interpretes legunt *Capra levis*; quæ ad libitum excurrens, non attendit se directè in retia peccatorum decurrere, prædamque infernalium canum subitò devenire. Deus ergò ejus misertus, quid agit? clamoribus, minis, & tribulationibus, illum terrere nititur, ut viam mutans salutem acquirat. Id optimè intelligebat Propheta David, ideoq; Domino gratias agens dicebat: *Ipse liberavit me de laqueo venantium; à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Alibi

Ierem. 2. 23.

Psal. 90. 3.

Psal. 59. 6. Alibi quoque clariùs; *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus*; quale hoc signum est? S. Augustinus id præclarè nos docebit, inquit enim; *Significatio autem quam Deus dat, ut fugiant à facie arcus, est tribulatio.* (S. Aug. in hunc psal.) S. Clemens Alexandrinus, summoperè hanc artem laudat dicens: *Bona est hæc ars, terrere ne peccemus.* Clariùs tamen in libris Machabæorum idem explicatur; ubi auctor libri lectorem admonens ne terreatur crudelibus suppliciis ait, hoc signum divinæ clementię & misericordiæ esse: (2. Machab. 6. 13.) *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii indicium est.*

Cur diluvium ante tempus immissum?

19. Ad hunc finem à Deo diluvium ante tempus populo minatum fuit; cùm enim Deus Noë dixisset se concessurum centum viginti annos ante diluvium, videtur tamen centum annis solummodo expectasse, quia illud quingentesimo anno vitæ Noë minatum fuit, & sexcentesimo anno vitæ ejus dicitur accidisse; ad quod licet aliqui respondeant, scripturam sacram non adeò exactè numeros observare, & in anno sexcentesimo comprehendi numerum ulteriorem; S. Jeronymus tamen & S. Chrysostomus volunt verè diluvium viginti annis ante immissum fuisse, quia Deus videns illos adeò obstinatos, & rebelles in pœnitendo; noluit ulteriùs differre, ne majorem occasionem castigandi haberet. *Quoniam*, inquit Chrysostomus, (S. Chrysost. homil. 25. in Gen.) *vidit Deus quotidiè incurabiliter homines peccare, & non solùm nihil ex sua indicibili lõganimitate proficere, sed & incrudescere ulcera; propterea succidit tẽpus, ne majori pœna se obnoxios facerent.* Castigationes ergò divinæ, non solùm indignationem, verùm etiam pietatem Dei indicant. Sapiens quoque id nobis exhibet dicens: (Eccli. 5. 7.) *Misericordia & ira, ab illo citò proximant*: quasi diceret, dum Deus solummodo est indignatus, tunc castigatio retardat; dum verò ira & misericordia simul conjunguntur, *citò proximant.*

Velox punitio misericordiæ indicium.

20. Cornelius Tacitus refert Tiberium Cæsarem adeò fuisse politicum & astutum, ut si ergà aliquem fuisset iratus, nullo signo id demonstrabat, imò potiùs se benignum exhibebat; dum verò erga aliquem indignabatur benevolentiæ signum erat; *In Haterium*, inquit ad hoc intentum, *statim invectus est, scaurum cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.* Quod Tiberius simulatè agebat ne animus ejus & affectus patefieret; summâ prudentiâ, & utilitate nostrâ, solet Deus sic agere, ne judicia ejus innotescant. Juxta gentilium, & nostram opinionem, fulgur solet esse Dei telum;

lum; dicente illo per Prophetam; *Si acuero ut fulgur gladium meum*; ideoque illi semper tributum fuit. Sed quomodo hoc percutit? non directè illud ad terram projiciendo, ut talia graviora cadunt, sed vibrando, & vertendo, unde ab aliquibus his verbis Job exprimitur: *Spiritus ejus ornavit cœlos, & obstretricante manu, eductus est coluber tortuosus.* Non ergò eò projicit, quò intendit, nec ferit ubi minatur, sed ubi non cōminatur, ibi ferit. Talis siquidem Dei natura est, ut numquam lædat, quem persequi, aut terrere videtur; sed eos quos in hac vita parcere videtur, quibusque omnia prospera mittit, hos ordinariè persequitur, & condemnat. Hoc optimè nobis S. Augustinus exhibet, dicens: *Intelligite fratres Christiani misericordiam Dei, quando castigat mundum, non vult damnare mundum*; & paulò pòst, *magna est ira ejus, parcendo sævit, sed justè sævit.* S. Paulus quoque idem mirabiliùs, & clariùs explicat dicens: *Quòd si Deus volens ostendere iram, & potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Admirabile certè, & extraneum quid, ut iram suam exhibeat, quid fecit? *Sustinuit in multa patientia*; Patientia ergò est signum iræ, quis umquam hoc audivit? Omninò sic est, quantò enim magis patienter sustinet, tantò magis castigat.

Deut. 32. 41.

Iob 26. 13.

S. August. serm. 37. de verb. Do.

Rom. 9. 22.

21. Si umquam arcu sagittas emittere vidisti, observare potuisti quòd quantò magis jaculator funem, & sagittam ad se trahit; tantò majori impetu illam emittit & longiùs volat, ita ut retractio sagittæ sit signum ulterioris emissionis; unum tamen alteri est contrarium. Pari modo in castigatione divina accidit; *Arcum suum tetendit*, arcum nimirum peccatorum, si citò emittat sagittam, signum est se parvum ictum infligere velle; si verò tardet, & quantum potest diutiùs retrahat, signum est majori violentiâ ferire velle. Non mea hæc inventio, sed S. Augustini; *Sagitta*, inquit, *in priora mittenda est, nervus tamen retro extenditur in contrarium, & quantò plus erit extensio retrorsum, tantò majori impetu illa currit in priora; Quid est quod dixi? quantò magis differtur judicium, tantò majori impetu venturum est.* Hoc est quod S. Paulus affirmabat dicens, ut insigne infligeret vulnus, & sagittam iræ suæ violenter emitteret; *Sustinuit in multa patientia*: tendebat arcum, & multa patientia sagittam retrahebat, ut simul ostenderet misericordiam suam in electis; *Vt ostenderet divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ.* Permisit nempe, & patienter sustinuit, ut Pharao multo tempore affligeret populum suum, filios Israel; ut clarè iram suam erga eum, & misericordiam

Expectatio castigationis indignationis signum.

Psal. 7. 13.

S. August. in psal. 59.

Rom. 9. 22.

cordiam erga illos exhiberet; ita ut persecutio Hebræorum signum misericordiæ divinæ erat, & prosperitas Pharaonis, signum iræ divinæ.

22. Similis huic sententiæ Apostolicæ, est ille locus psalmi; *Audivit Dominus & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel.* Querelæ & murmurationes populi Israel cùm ad aures Dei pervenissent, *distulit*, ut nimirum Theodoretus exponit: *Non celerem mortem ipsis attribuit*; sed quomodo se retinuit, si iræ divinæ ignis accensus fuit? Valde bene, quia nulla major ira, quàm punitionem differre. Si dives Epulo in hac vita expertus fuisset aliquid ex tormentis, quæ in inferno sustinuit; fortè pœnitentiam egisset, sicut fratres suos ex solo auditu agere debuisse credebat. Alibi quoque dixit David: *Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret.* Peccator videlicet maximè irritavit Deum, & quia illi summoperè indignatus est, non puniet. Sic illud S. Augustinus exponit dicens: *Multum irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit peccata. Nemo gratuletur homini, cujus peccatis deest ultor, adest laudator, major hæc ira Domini est.* Quos ergò Deus in hac vita amat, corripit; ut filium siquidem suscipit, dicente Apostolo: *Flagellat omnem filium quem recipit.* Quod optimè S. Ambrosius declaravit dicens: *Asperioribus exercet pater filium, quàm Dominus servulum, sed dura patris non æstimantur flagella, quia vult filium meliorem esse quàm servulum.* Philo Hebræus afflictionem divinam in hac vita, misericordiæ ejus signum appellat dicens: *Afflictio ista, propitiatio est; quoties enim spoliamur jucundis rebus, Deum propitium sentimus.* Insignem ergo laudem à Sancto Ambrosio Theodosio tributam, dicendo: *Prærogatiua ignoscendi erat, iratum fuiße, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut irasceretur:* multò meliùs Deo tribuere possumus, qui *cùm iratus fuerit misericordiæ recordabitur*: hîc quippe leniter punit, ne in altera vita graviùs punire debeat.

23. Ulteriùs procedendo dicere audeo, non solùm divinæ misericordiæ effectum esse, à malis futuris liberari, verùm etiam à præsentibus. Nónne magna ergà nos uteretur pietate, qui nos ab inimicis circumdatos videns in medium prosiliens, arma arriperet, aliosque invadens ita læderet, ne ampliùs nobis nocere possent? Certè ita, illud est quod tribulatio efficit, diabolus enim nulla potentiora arma contra nos assumit, quàm prosperitatem, sensuum oblectationem, & objectorum carni nostræ placentium. Hæc arma

tribulatio

Psal. 77. 21.
Si non subitò castigat acrius punit.
Theod. in psal.
Psal. 10. 4.
Hebr. 12. 6.
S. Ambros. serm. 24. in psal. 118.
Philo lib. 2. Allegor.
S. Ambr. in orat. funebri Theod.
Tribulatio præsens misericordiæ effectus.

tribulatio è manibus ejus eripit, & disrumpit; si enim paupertatem, exilium, carceres, aut similia mala pateris; tibi occasiones istorum auferuntur, si verò infirmitate, dolore, mœstitiâ, aliisque similibus affligeris, efficit ut nocere nequeant. Pulcherrimo S. Scripturæ exemplo idem affirmare poterimus. S. Joannes in Apocalypsi persecutiones, bella, & prælia diaboli contra Ecclesiam describens; non dicit illam dentibus lacerasse, unguibus discerpsisse, pestifero flatu infecisse, caudâ percussisse, nec toto corpore oppressisse. Quomodo ergò illam oppugnavit? Modo inusitato, ex ore quippe plurimam aquam instar fluminis evomuit, ut hac raperetur. Sed quis umquam vidit Draconem aquam ore effundentem? Si ignem dixisset, videbatur naturæ Draconis ejusque figurato, diabolo nempe, magis convenisse. Verum quidem est, sed S. Joannes modum describere cupit, quo diabolus nos aggreditur, hîc autem non est per ignem qui nos cruciat, & comburit, sed per aquam quæ delectat, & refrigerat; aqua ergò illa symbolum deliciarum, & voluptatis erat, ideoque flumen vocatum, cujus aqua dulcis est, non mare, cujus aqua amara. Nec dicitur illam aquam misisse, ut eam submergeret, sed ut ad se traheret; *Vt eam faceret trahi à flumine*, sed quæ sunt ista quæ trahunt? voluptates profectò, & deliciæ, dicente Poëtâ: *Trahit sua quemque voluptas.* Hoc ergò flumen prosperitatis, & deliciarum divertere, ne nos insequatur, & attrahat, insigne misericordiæ opus est, quod tribulatio nobis efficit, quę nos tali modo à diabolo infernali eripit. Ut hoc S. Joannes doceret, adjungit dicens: *Adjuvit terra mulierem*; quomodo adjuvit? Aperuit os suum & absorbuit flumen. Quænam hæc terra flumen absorbens, nisi homines terreni, qui se delitiis & voluptatibus immergunt? Hi dum omnia sibi arrogant, & servos Dei divitiis, commoditatibus, honoribus, & dignitatibus spoliant, videntur illos persequi, sed in veritate adjuvant; quia flumen contra illos ab inferis emissum absorbent. Cumque ad deserta cum muliere Apocalypsis fugere compellãtur, privati nempe omni commoditate, & consolatione terrena, ibi à persecutionibus infernalis serpentis liberi, cum electis Dei spiritualibus cibis, & consolationibus educantur. Nos omnes nonne quotidie Deum rogamus, ne tribulationes immittat, dicentes: *Et ne nos inducas in tentationem*? unde nascuntur tales tentationes? ex concupiscentiis nostris; *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Quis illam commovet?

Dæmon aquâ voluptatis nos oppugnat.

Apoc. 12, 16

Ibid.

Dum homines alios persequuntur, eas juvant.

Iacob 1. 4.

1. Ioan. 2. 16. res mundanæ; quia *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quid efficit tribulatio? aufert hæc objecta, concupiscentias mortificat, serpentes enecat, & omnia impedimenta avertit. Nónne hoc insigne misericordiæ opus?

Elian. lib. 2. cap. 7. *Tribulatio multum nobis prodest.* 24. De pisce Melanuro dicto refert Elianus; quòd mare tempestuosum advertens, securus, & intrepidus per undas vagatur, quasi sciens se illo tempore à piscatoribus non capiendum. Non aliter homo prudens in tribulatione lætatur, cognoscens per hanc se à diabolicis retibus, & piscatione liberum futurum, simulque cum Apostolo dicere posse; 4. Cor. 7. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione.* Rectè hoc intellexit Abbas quidam, qui ut juvenem Monachum à fornicationis tentatione liberaret; aliquibus præcepit, ut continuò eum vexarent, & postmodum primi essent in accusatione; quod multum illum affligebat, & mortificabat, ita ut pauperculus se adeò afflictum, & persecutum videns multùm contristaretur. Post multum temporis interrogavit illum Abbas, quomodo illum tentatio illa affligeret, cui ille subitò respondit; ô Pater vivere non licet, & fornicari lubet? Non ampliùs de illa cogito inquit. Tunc Abbas illi respondit, benedictus Deus qui te à tali tentatione eripuit, propterea enim te adeò affligere curavi. Videte ergò quàm potens sit contra tentationes tribulatio, ideóque bonum opus esse tibi hanc immittere.

25. Nec solùm tribulatio opus misericordiæ est, verùm etiam ex majoribus quæ Deus efficere potest in hac vita. *Tribulatio gemma thesauri divini.* Principes ultra ordinaria repositoria ubi quælibet reponuntur; alia loca habent ubi gemmas aliáque pretiosa reponere solent. Pari modo dicamus Deum quoque agere, cujus divitiæ sunt misericordiæ; *Dives in misericordia.* ad Ephes. 2. 4. Sed quæ sunt pecuniæ quæ exponuntur quotidie? beneficia, gratiæ, favores, quos semper paratos habet; unde dicebat Propheta regius: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Psal. 144. 16. Quæ verò sunt gemmæ pretiosæ in thesauro contentæ? Tribulationes, & afflictiones; ita pariter testatur Psalmista dicens: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Psal. 134. 8. Venti qui mare turbant, tempestates adferunt, mundum subvertunt, symbolum sunt tribulationis, & ut gemmæ pretiosæ è thesauris divinis accipiuntur. S. Propheta Job idem de Deo affirmabat dicens: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinum aspexisti?* Iob 38. 22. Ita ut hi sint thesauri divini, quia affligunt, & tribulant, & in hac vita

vita nil tribulatione pretiosius.

Tribulatio thesaurus abundans. 26. Hunc discursum finire cupio, dicendo tribulationum multitudinem in hoc mundo existentium, particularem divinæ misericordiæ effectum esse. Etenim nónne liberalissimus diceretur ille princeps qui singulis pauperibus pecunias sufficientes tribueret, ut possint omnibus necessitatibus providere? Absq; dubio. Nos omnes modò bonis spiritualibus spoliati, pauperrimi sumus, etiam qui se credunt

Apoc. 3. 17. divites; *Dicis quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia pauper es, & miser, & cæcus, & nudus.* Sed quibus pecuniis emuntur divitiæ, & bona spiritualia? tribulatione, & afflictione; his Deo oblatis semper illa conjunguntur. Episcopo Laodicensi in Apocalypsi, qui se divitem æstimabat, Deus insinuare curabat, omninò pauperem esse. Smyrnensi autem pauperi & afflicto, intimare curabat, illum

Apoc. 2. 9. divitem esse. *Scio tribulationem tuam, & paupertatem, sed dives es.* Quomodo ista conveniunt? optimè; paupertati quippe temporali, spirituales divitiæ conjunctæ sunt. Nónne rectè cognoscimus aliam viam ad regna cælorum non esse, quàm tribu-

Act. 14. 21. lationem? *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hanc Christus verbo, & exemplo nobis exhibuit dicens:

Nónne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? S. Jo- Luc. 24. 26

annes ad fideles scribens duo illa simul conjunxit dicens: *Ioan-* Apoc. 1. 9.

nes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno. Ecce quàm admirabilis divina providentia, quanto desiderio nos omnes ad regna cælorum compellere volebat, tantò magis tribulationes per mundum ubique sparsit. Divitias temporales, aurum, & argentum in montium cavernis, & visceribus abscondita reclusit. Utpotè magis nociva, quàm necessaria; spiritualia verò bona omnibus aperta exhibuit, largiterque distribuit, ut omnes & singuli quantum velint haurire possint. Sara Raguelis filia, in oratione sua ad Dominum prudenter precabatur, dicens: *Be-* Tobiæ 3. 13.

nedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. Quando nimirum ex indignatione procedere videris tribulationes immittens, tunc *Misericordiam facies*, tunc beneficia nobis exhibes; nullum siquidem majoris misericordiæ opus, quàm peccata dimittere. Illud in tempore tribulationis exequeris: *In tempore tribulationis peccata dimittis.* Ad imitationem ergò Dei vos quoq; tribulatis misericordiam exhibere, largam eleemosynam impendendo.

SECVNDA PARS.

Argumentis contrariis respondetur.

27. NE putetis me argumenta conclusioni nostræ opposita oblivioni tradidisse; confiteor quippe illa valida, & efficacia esse, sed sicut misericordia divina majorem se exhibet, ubi majorem peccatorum oppositionem invenit, & superat: pariter hac occasione quantò majores sunt difficultates, tantò clariùs illas superando misericordia resplendebit. Quid igitur dicebatur, diversa in Deo attributa esse, juxta quæ diversimodè operatur, unde tribulatio uni istorum, & non misericordiæ soli attribuenda? Respondeo per hoc rectè quòd diversa attributa tribulationes immittant, misericordiæ supra omni alio adscribi debet. Nónne sæpius vidistis in fabricatione alicujus ingentis ædificii quot laboratores adsint? Hic calcem, ille lapides, alius cementum affert, alius aptat, alter fabricat: si tamen in fine quæras quis illud ædificium erexit; nullius istorum fit mentio nisi solius architecti, & magistri, qui illud delineavit, & distribuit opera singulis. Pari modo cunctis Dei operibus evenire dicendum, præcipuè tamen tribulationi:
Psal.144.9. quia, *Miserationes ejus super omnia opera ejus*; misericordia omnia opera dirigit, omnibus præest cuncta disponẽs. Propheta David id nobis præclarè exhibere volens, longo discursu cuncta opera Dei describens, singula misericordiæ ejus attribuit dicens: *Qui facit mirabilia magna* Psal.135.4.
solus, quoniam in æternum misericordia ejus, qui fecit cælos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus. Ne autem tædium vobis pariam, sic per totum psalmum opera creationis, conservationis, potentiæ, sapientiæ, & justitiæ divinæ misericordiæ attribuit. Particulariter autem tribulationem ipsi attribuit dicens: *Qui percussit Ægyptum cùm* Ibid. 10.
primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus; & occidit reges fortes, quoniam in æternum misericordia ejus.

Misericordia & justitia semper conjuncta.

28. Non hæc prædicta ullam vobis admirationem ingerant, quia sententia communis est; Deum omnia ad majorem suam gloriam operari; sed gloria Dei, & misericordia ejus, nónne idem sunt? Sic testatur Apostolus Paulus dicens: *Omnes peccave-* Rom.3.23
runt, & egent gloriâ Dei; id est, *misericordiâ Dei*; hæc enim peccata remittit, non autem gloria.
Isaias quoque dixit: *Plena erat* Isa. 6. 3.
omnis terra gloriâ ejus, idem Psalmista dicebat: *Misericordiâ Do-* Psal. 32.5.
mini plena est terra. Cùm divina justitia particularem connexionem misericordia obtinet, ita ut non

non solùm una sine alia reperiatur; verùm etiam de una loquendo, alteram intelligit. David hoc optimè intelligebat, dum quadam vice dixit: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quia tibi Domine misericordia, & tu reddes unicuique secundùm opera sua.* Per hæc verba David intellexerat misericordiam, & justitiam in Deo esse; & quid mirum has duas charissimas sorores in opere simul esse, quandoquidem in eodem verbo subaudiantur? Psal.61.12.

Deus tribulationes immittens infirmatur.

29. Quid dicebatur, Deum tribulationes immittentem, ut infirmum phræneticum esse? concedo, sed nónne videtis inde misericordiam exurgere. Dum aliquid illibenter nos agere indicare volumus; dicere solemus cùm tale quid efficere debeo; sentio mihi febrim advenire. Pari modo Deus adeò illibenter virgam arripit, ut videatur infirmari, dum hoc agendum est. Ita testatur illud Isaias Propheta, dum se in actu castigationis inimicorum exhibens, & aliquem se retinentem desiderans dixit: *Aporiatus est, quia non est qui occurrat*; S. Joannes Chrysostomus legit; *Infirmatus est*, si enim justitia illum non confortasset, nihil efficere potuisset; ideoque subditur; *Iustitia ejus, ipsa confirmavit eum.* Nisi velimus hanc febrim amoris esse, & hinc castigationes oriri, quod idem est, ac si à misericordia procederet. Quid adjungebatur, juxta Isaiam Prophetam castigationes alienas esse à Deo, verum quidem est, sed nónne advertistis verba præcedentia ubi dicebatur; *Vt faciat opus suum*? Sicut ergò Chirurgus non minùs artem suam exercet, dum vulnera medetur, & curat, quam dum illa aperit; & scindit, licèt enim incisio, & vulneratio longè absit à sanatione; congruum tamen sanitati remedium est, eoque modo ut propriè artem suam exercet, oportet illum aliena ab arte agere. Pari modo Deo proprium est misereri & parcere, tribulationes autem immittere suæ professioni contrarium, cùm tamen illas pro misericordia immittit, etiam misericors dici potest: *Vt operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Isa. 28.21.

Isa.59.16.

Ibid.

In cælum per ignem ascenditur.

30. Quid dicebatur Deum se Eliæ nec in vento, nec in terræ motu, nec in igne, sed in aura tenui, & suavi exhibuisse? verum est; sed nónne meministis quando Deus eundem Prophetam ad cœlos elevare volebat, ipsi ignem, ventum, & turbinem misisse quæ eum sublevaret? sic enim dicitur in libris Regum: *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Licet ergò quando venit ad Eliam non venit in turbine, nec in 4.Reg.2.11

in igne; quando tamen Elias pergit ad Deum, in turbine, & igne pergit. Ad significandum quòd licèt Deus in seipso sit benevolentissimus, & in hac vita spiritualibus cōsolationibus servos suos visitet, quando tamen de transitu ad cœlos agitur, nulla est via nisi turbinis & ignis tribulationis nempe, & afflictionis. Quid dicebatur, majorem misericordiam Deum demonstrasse, non mittendo aliquam castigationem, vel tribulationem? falsum est, si enim peccator exiguâ spe roboratus quòd non debeat puniri, se adeò in prædam vitiorum det, ut David dixerit: *Propter quid irritavit impius Deum, dixit enim in corde suo non requiret*: quid ageret si certus esset, Deum nunquam castigaturum? Esset instar equi indomiti absque fræno; navis in medio procellosi maris agitata absque gubernaculo, & nauclero; instar infirmi desperati, quotidie de malo in pejus procedentis; & Leonis soluti cui nullus posset resistere. Psal. 9.13.

Castigationes quomodo effectus misericordiæ?

31. Quid dicebatur, castigationes divinas nimis esse terribiles? illas nimirum diluvii, & Pentapolis, in quibus plurimi innocentes, & infantes perierunt? quin imò dico ego valde exiguæ fuerunt, in iisque divina misericordia maximè resplenduit. Dum aliquod membrum putrescit, misericordia est illud quantociùs abscindere, ne reliqua corrumpat, & inficiat. Tales erant omnes in diluvio & Pentapoli castigati; ideoque ante castigationem illam dicitur; *Omnis caro corruperat viam suam*; Gen. 6.12. omnes homines non erant nisi caro corrupta; ubi quoque nos legimus; *Non permanebit spiritus meus in homine*; S. Jeronymus legit: *Non litigabit spiritus meus in homine*; Gen. 6.3. quasi diceret, spiritus meus aliquamdiu cum homine litigavit, & conquestus est, & si diutiùs id duraret condemnatio ejus major esset; volo hanc litem dirimere ad ejus majorem utilitatem. Si quoque vim in eo facitis, quòd infantes occiderit, non videtis quantum illis contulerit beneficium: si enim in ætate profecissent, quid aliud expectandum erat, nisi quòd majores suos imitati fuissent? quid aliud inde secutum fuisset, nisi infamiter peccare in conspectu Dei; & post hæc quid illis accidisset? ad aliud certè pervenire non poterant, quàm ad pœnas æternas. Moriendo ergò infantes vel salvabantur si eis remedium peccati originalis applicatum erat; vel saltem in limbo collocabantur ubi sine ullis pœnis multò meliùs erant quàm in inferno. Tertullianus sibiipsi vel Marchioni Deum crudelitatis arguenti respondens ait:

Ne fieret sceleris consors ætatis avitæ,

Spontè

Sponte futura mala, mors immatura resolvit.

An Deus peccatis levibus graves tribulationes immittat?

32. Quid dicebatur, Deum quandoque pro peccatis levissimis maximas intulisse pœnas? Respondeo peccata nobis exigua visa, multoties in oculis divinis graviora esse; qui non tam actionem externam, quàm intentionem & animum respicit. Exiguum videbatur peccatum uxoris Loth, si consideretur aliud non fuisse, quàm respectus curiosus ad civitatem; magnum

Sap. 10. 7. tamen videbitur, si dictum Sapientis attendas, illud nempe ex infidelitate ortum, quod non crederet Deum civitates illas combusturum. Ultra quod peccatum illud esset ultimum, sed non solum; & Deus non tam illud punivit, quàm præcedentia. Gutta aquæ, talem quandoque habet vim, ut marmor penetret, non quia sola talem habet vim, sed sæpius iterata, in in virtute antecedentium; quia

Matth. 23. 32. *Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.* Pari modo exiguum peccatum, magnæ castigationis occasio sæpe est; non propter sua demerita, sed quia plurima alia præcesserunt. Hoc est quod Salvator Judæis improperabat: *Implete mensuram patrum vestrorum*; cùm enim impleta fuerit, promerita castigatio vobis tribuetur.

Cur uxor Loth in statuam salis conversa?

33. Adjungamus insuper has easdẽ castigationes potiùs beneficia esse, & effectus misericordiæ, quàm justitiæ. Talem credo fuisse castigationem uxoris Loth, quæ in statuam salis conversa est. Quis enim hic non videat misericordiæ divinæ effectum? Sal amicitiæ symbolum semper vocatum fuit; dum ergò uxor Loth pedem verteret, ut à Deo recederet, illam sale cooperuit; quasi diceret, nolo admittere amicitiam nostram dissolvi, idcircò si sal amicitiæ, & pacis symbolum est, ecce tibi sal mitto; quin imò volo ut sal efficiaris, ne umquam ab amicitia mea discedas. Sal putrefactioni resistit, Deus autem videns per oculum humorem malignum ad cor intrare posse qui illud corrumperet; ut expers & misericors medicus, sal apposuit. Si autem illa incedere potuisset timendum erat, ne versus illas infames, & combustas civitates denuò perrexisset; pedem vertendo quò oculos tendebat. Ne ergò hoc efficeret, à Deo in statuam salis adeò immobiliter conversa est, ut numquam incedere posset: ex omni igitur parte hoc factum misericordiam redolet. Si autem peccatum Davidis in numeratione populi exiguum apparet, considerandum etiam Davidem in sua persona non fuisse castigatum; sed si populum dicas punitum fuisse, non admirandum; Deus siquidem ob peccata illorum indignatus erat, ideoque

An peccatum Davidis magnum fuerit.

 dicitur;

2. Reg.24.1. dicitur; *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem, vade numera Israel & Iudam*: ut sciatis Deum permittere ob castigationem populi principes errare, quorum pœnæ in populum redundant. Tribulationes autem Job, non ut castigationes à nobis considerandæ sunt, sed ut probationes, & exercitia, ob quæ sancto illi immortales gloriæ coronæ præparabantur.

Castigatio dilata misericordiæ effectus.

34. Quid insuper dicebatur, Deum multo tempore recordari injuriarum receptarum & usque ad centenos annos illas punire? Sed nónne videtis illud clarum suæ misericordiæ argumentum esse? Expectat enim, non, ut commodam punitionis inveniat occasionem vindicandi, ut homines solent, (cùm ipsi modus puniendi numquam deficiat) sed ut peccatoribus tempus pœnitendi concedat; nullam verò in eis emendationem cernens, castigationem tandem immittit. Ingeniosè illud Theodoretus expressit, scribens in illa verba Exodi: Exod.20.5. *Ego Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me*: licet enim hæc verba indignatione plena appareant, sunt tamen omni misericordiâ repleta. *Verius puto*, inquit ille, *clementiam divinam, comminationes pro se ferre*. Quasi diceret Deus, tantum

Theod. in illud Exod.

à castigatione innocentum absum, ut reos ipsos non subitò castigem: si enim illi aut filii eorum pœniteant, subitò ignosco; non expectans tertiam aut quartam generationem, si hæ perseverent me persequi: cùm sacer textus dicat; *His qui oderunt me*; ostendens se loqui de his in quibus odium illud perseverat in posteris usque ad quartam generationem. Certum quoque est rem aliquam diu differre, signum esse, illibenter nos illam exequi, unde Seneca ait; *Diu noluit, qui tardè dedit*. S. Basilius quoque ait hanc solitam avarorum excusationem esse, dum eleemosynam pauperibus elargiri nolunt, dicunt cras revertere; *Ne dicas*, inquit, *vade & revertere cras tibi dabo, cùm statim possis dare, non ut postea sis liberalior, sed ut instantem mendicum à te propulses*. Cùm ergò Deus punitionem differt in posterum, signum est se illibenter punire, & differre ut numquam puniat. Hoc modo videbatur Moyses intelligere, volens quippe divinam indignationem placare, ne populum suum puniret, dicebat hoc modo: *Magnificetur ergò fortitudo Domini, sicut jurasti dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera atque peccata, nullumque obnoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem; Dimitte obsecro*

Deus illibenter castigat.

S. Basil. homil. 6. contra ditescentes.

Num. 14.17

obsecro peccatum populi hujus. Dum ergò Moyses hæc verba adducit, ut Deum ad pietatem moveat; quis dicet, à severitate, & rigore, & non potiùs à pietate, & clementia prodire?

Misericordia ingratis castigatio est.

35. Quid dicitis, Deum per orationes & preces ad pietatem non commoveri? Quin imò sæpissimè precantes exaudit; vel ut meliùs dicam ex corde obsecrantes, si non ad voluntatem, saltem ad salutem exaudit. S. Bernardus quoque ait, Deum in hoc casu misericordiâ uti, dum negat quod petimus: *Misericordiæ res est, hac in parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ, & indignationis, misericordiam exhibere.* Quid dicebatur, diabolum esse instrumentum, aut ministrum Dei? verum est, sed Deus hoc propter bonum nostrum agit; tantò quippe major erit nostra gloria, & merces, quantò crudelior, & fortior fuerit inimicus à nobis devictus: ita ut in hoc etiam misericordiam suam exhibeat, ut non permittat totum hoc malum quod posset evenire, sed illud tantùm quod viribus nostris conforme videtur. Nec mihi objicias Deum plus diabolo concedere, quàm exigat, videtur siquidem parum exigere, cùm tam perversam voluntatem erga nos gerat, ut omne malum nostrum exiguum ipsi videatur. Deus autem omninò misericors, omne malum nostrum exiguum multùm æstimat.

S. Bernard. serm. contra vitium ingrat.

Quomodo Deus in tribulatione nostra lætatur?

36. Quid dicebatur, Deum in pœnis nostris delectari? Respondeo nos loqui de illis bonis, qui cuncta patienter sustinent, ideoque gaudet Deus de fructu quem inde colligunt; prout Apostolus Paulus dicebat: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Si verò de malis loquamur, in cœlo gaudent, quia injuriæ bonorum vindicatæ sunt, & malis ablata potestas Deum offendendi; quod pariter in utilitatem illorum resultat. Dici tamen potest, hanc lætitiam multâ amaritudine mixtam, sicut pater filium rebellem puniens; amor paternus, & vindicta simul in pectore ejus contendere videntur: quantò enim hæc de punitione filii lætatur, tantò illum amor dolere cogit. Hanc affectuum commixtionem Deus per Prophetam ostendebat dicens: *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Sed si ex inimicorum vindicta consolationem recepturus erat, cur adeò conqueritur? Si autem de malo illorum dolet, quomodo dicit se consolationem recepturum? Quis suspirat quia consolationem recipiet? quis propter gaudium gemit? quis propter bonum expectatum

2. Cor. 7. 9.

Isa. 1. 24.

tum dolet? quis desiderat quod sibi non placet, ideoque tristatur si non habeat? Dicunt aliqui particulam *Heu*, hoc loco non esse signum tristitiæ, sed lætitiæ; sed huic se opponit Sanctus Hieronymus dicens: *Plangit clementissimus pater principes delinquentes, & hostes suos vocat, & inimicos appellat, quod pereant, nolintque agere pœnitentiam*, quibus verbis Sanctus Jeronymus non tantùm planctum Deo attribuit, verùm etiam affirmat, illos inimicos vocare; non quia illum offenderunt, sed quia seipsos perdunt; non propter injurias ab ipsis illatas, sed propter damnum quod sibi causant. Clariùs idem à Sancto Joanne Chrysostomo dictum fuit, his verbis: *Deus tristatur, non de sua injuria, sed de nostra perditione.* Hîc clarè apparet commixtio affectuum à nobis supra allata: quam Isidorus clariùs advertit, ideoque traduxit: *Cogor me consolari*: Si cogitur, ergò contra voluntatem; sed quomodo illud consolationem adferet? Erit consolatio tristis, tristitia consolans; mirabilis denique commixtio lætitiæ, & doloris, consolationis, & afflictionis.

S. Chrysost. homil. 26. oper. imperfect. in Matth.

Quando David fuit vir juxta cor Dei?

37. Quid dicebatur, Davidem virum juxta cor Dei valde crudelem fuisse contra Amonitas? Verum est, sed scitis quo tempore David hoc bellum gessit? rectè dum adulterium, & occisionem Uriæ commisisset; ideoque illi dixit Nathan; *Vriam percussisti gladio filiorum Amon.* Quis ignorat illum hoc tempore non fuisse virum juxta cor Dei, sed ipsi omninò contrarium? Hinc ergò bonitatem, & misericordiam Dei colligere possumus, cùm David cor suum Dei cordi conforme haberet, mansuetissimus fuerit. Hoc clarè patet in multis præclaris ejus factis, præcipuè dum inimicum suum Saul occidere poterat, nec fecit; quando verò à Deo recessit, adeò crudelis effectus est, ut solent peccatores esse. Tandem dicitis, pœnas à Deo inflictas diuturnas esse, quin imò dico ego brevissimæ sunt & exiguæ, peccatis nostris, & gratiæ, ac gloriæ comparatæ. *Ad culpam quæ dimittitur, ad gratiam quæ immittitur, ad gloriam quæ promittitur*; inquit quidam Vir pius. Si quoque sint diuturnæ, tantò minus graves erunt: dicente Seneca; *Nemo potest valde dolere, & diu.*

2. Reg. 12. 9.

In tribulatione gratiæ agendæ.

38. Si Deus igitur tantâ misericordiâ tribulationes immittit, magna erit ingratitudo nostra, non tantùm si impatienter ea toleremus, verùm etiam si gratias non egerimus. Attendite quod vobis affirmo,

non

non tantùm volo ne conqueramini dum vobis Deus tribulationes immittit, sed volo insuper ut hoc pro ingenti beneficio accipiatis, ipsique immortales agatis gratias. Primò hoc vobis faciendum est, quia multò minùs affligit, quàm meremini; ita ut cum Psalmista dicere possitis; *Non secundùm peccata nostra fecit nobis*; secundò, quia totum hoc agit pro majori nostro bono. Hanc doctrinam aureo eloquentiæ suæ flumine, Sanctus Joannes Chrysostomus explicavit dicens: *Deus æquè est laudandus, & cùm punit, & cùm à supplicio eximit, utraque enim sunt curationis, utraque bonitatis. Oportet ergò eum æquè laudare, & quòd posuerit Adam in paradiso, & quod eum expulerit.* Quin imò in tantum procedit hic Sanctus, ut velit nos Deo agere gratias, quod infernum constituerit; *Et gratias agere, non solùm pro regno, sed etiam pro gehenna, eam enim fecit, & minatus est, ut à vitio liberaret.* Insignem quoque huic adjungit similitudinem dicens: *Quemadmodum ergò medicum non solùm nutrientem, sed etiam fame excruciantem, non solùm ungentem sed etiam urentem, & secantem observamus; ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus.* Jure meritò ergò Sanctus Chrysostomus hæc ait, tribulatio siquidem ex majoribus est beneficiis quæ Deus servis suis in hac vita tribuere potest.

Psal. 102. 10

S. Chrysost. super psal. 148.

39. Ingens est beneficium vocatio ad fidem; Sanctus Paulus tamen magis tribulationem æstimare videtur; unde ad Philippenses scribebat: *Vobis donatum est, pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Id optimè intellexit Sancta Virgo & Mater Theresa, quæ summo affectu cælesti sponso suo dicebat: *Domine aut pati, aut mori*; propter aliud siquidem in hac vita degere non debeo. Id à magistro suo Christo didicerat, qui postquam in passione sua dixerat: *Consummatum est*, subjunxit; *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; quasi diceret, quandoquidem tota passio consummata sit, nil amplius in hoc mundo mihi opus est, ideoque commendo tibi spiritum meum, ut eum ad te recipias. Hoc beneficium patiendi Isaias Propheta cognovit, ideoque dicebat: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi*; quia nimirum per tribulationem immissam, indicasti mihi iram tuam, nec castigationem in altera vita reservasti. Adjungamus quoque multò utilius esse Deo in tribulatione quàm in prosperitate gratias agere; ut rectè probat Sanctus Chrysostomus

Tribulatio ingens beneficium.

Ad Philip. 1. 29.

Lucæ 23. 46.

Isa. 12. 1.

S. Chrysos. in psal. 9.

sostomus: *In bonis gratias agens, reddidisti debitum, in malis Deum constituisti debitorem; qui beneficio affectus agit gratias, reddit debitum; qui malè affectus, gloriâ afficit, debitum acquirit.* Ad imitationem ergò Sanctorum, etiam omnes afflicti Domino summas agere debent gratias, pro tribulatione immissa; ut illam in hac vita benevolè sufferendo, fructu ejus in altera vita gloriosè perfrui mereamur. AMEN.



DISCVR-

DISCVRSVS XXXVIII.

Per tribulationem justitia divina cognoscitur, & exercetur, ideoque patienter sufferenda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Per tribulationem Dei sapientia, potentia, & amor cognoscitur. nu. 1. 2. 3. 4.

Iustitia divina in tribulatione non agnoscitur. num. 5. 6. 7. 8.

Rectè tamen justitia in tribulatione conspicitur. à nu. 9. usque ad 20.

Iustitia divina retribuit singulis juxta demerita. à numer. 21. usque ad 26.

Argumentis contrariis respondetur. à num. 27. usque ad 32.

Tribulatio multam utilitatem, & consolationem adfert. à num. 33. usque ad finem.

Tribulatio justitiam divinam exhibet.

1. PLurimum profectò tribulationi debemus, quæ Deum nobis amantem, potentem, & sapientem exhibet; si tamen veritatem affirmare velimus, multò plus obligamur, quia summè justum & peccatores punientem cognoscere facit. Non quia justitia in Deo magis quàm potentia, sapientia, vel dilectio expetenda; cùm omnia attributa sint æqualia, & æquè amabilia; vel si aliquod magis expetendum foret, illud meo judicio amor esset. De aliis attributis plurimæ dantur probationes; justitiam autem divinam vix in hac vita cognoscere possemus nisi tribulatio illam indicaret. Aliorum attributorum omnes creaturæ sunt prædicatores; in singulis siquidem est essentia, operatio, & bonitas; essentia demonstrat potentiam, operatio sapientiam, & bonitas amorem. In omni motu, est principium, medium, & finis; principium indicat potentiam, medium sapientiam, & finis amorem. De æterna sapientia dicitur: *Attingit à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. 8. 1. *Fortiter* indicat potentiam; *disponit*, sapientiam, & *suaviter* amorem. Particulariùs quoque potentia divina in creatione, sapientia in conservatione, & amor in redemptione cognoscitur, quæ sunt tria principalia capita divinæ operationis ad extra.

tra. Potentissimum se Deus in creatione exhibuit, ratione cælorum, & terræ, & quanti boni, & pulchri in mundo adest. Ratione quoque modi quia sine labore, sine adjutorio, nec alio medio, quàm simplici verbo; Psal.148.5. *Ipse dixit, & facta sunt.*

Deus à creaturis infinitè distat.

2. De regibus & principibus dici solet, ipsos habere brachia extenta, quia sunt potentes viribus, & imperio. Deus verò numquam brachia adeò longa se habere monstravit, quàm in creatione, illis siquidem immensam, & infinitam distantiam dimensus est. A Deo siquidem ad quamlibet creaturam, est infinita distantia, cùm infinitè sit superior omni creaturâ. Quælibet autem creatura à nihilo infinitè distat; quia à non esse, ad esse, est infinita distantia; ita ut à Deo ad nihil dupliciter sit infinita distantia; una ratione infinitæ perfectionis, alia respectu infinitæ imperfectionis. In creatione tamen Deus adeò brachia sua extendit, ut ad nihilum pervenerit; ex quo tanta pulchra & præclara extraxit, qualia modò videmus. Propheta Jeremias hunc Theologicum discursum optimè intellexit, ideoque dixit; Jerem. 32. 17. *Ecce tu fecisti cælum, & terram, in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum.* Quasi diceret: tu Domine cœlum & terram creando vestrum brachium infinitè extendisti, & potentiam infinitam exhibuisti, nihil ergò vobis difficile erit, non oportebit ergò ex tribulatione divinam potentiam agnoscere.

Divina sapientia extra tribulationem agnoscitur.

3. Nec minùs oportebit divinam sapientiam agnoscere; stolidus siquidem esse deberet, qui in gubernatione, & conservatione universi illam non agnosceret. Quid enim efficit cœlos adeò continuis, & contrariis motibus inter se absque ullo errore tot millibus annorum pervolvi, nisi divina sapientia? Ideoque meritò David eum stolidum vocat, qui ex conservatione, & gubernatione totius universi, nescivit agnoscere sapientissimum moderatorem, & Deum; *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Psal. 13. 1. Non ergò tribulatione opus est ad divinam cognoscendam sapientiam.

Amor divinus extra tribulationem agnoscitur.

4. An fortè ad amorem cognoscendum opus erit? nequaquam, quis enim in incarnatione, & redemptione eum non cognoscet? Dum aliquid ex sublimi in inferiora descendit, oportet illud grave esse, & suo pondere deprimi. Deus noster de sublimi cœlorum in hæc inferiora descendens carnem assumpsit, & profunda abyssi penetravit; oportuit ergò illum aliquo pondere eo detractum fuisse. Scitis quale illud fuerit? de quo S. Augustinus dicebat: *Amor meus, pondus meum, eò feror*

quocumque

quocumque feror: Ita testatur Apostolus dicens: *Propter nimiam charitatem quâ dilexit nos Deus, filium suum misit, in similitudinem carnis peccati.* Non ergò tribulatione opus erat, ut divinum amorem cognosceremus. De justitia autem quid dicemus? Non nego illam ex aliqua alia parte posse cognosci, præcipuè ex redemptione, ubi rigorosè pretium redemptionis nostræ solutum est. Sed conveniens fuit illam particulariter proprium habuisse locum, in quo arma sua collocaret; hîc autem est tribulatio. Antequam tamen illud probemus de more solito rationes in contrarium adducendas libenter percipiemus.

Ad Ephes. 2. 4.

Justitia divina in tribulatione non cognoscitur.

5. Justitiam igitur divinam in tribulatione non elucere ex præcedentibus discursibus facillimè colligere poterimus. Nónne siquidem probavimus signa, & effectus amoris tribulationes esse? Sed quis nescit justitiam & amorem simul esse non posse? proprium siquidem amoris est, beneficia exhibere, ad merita non respicere, voluntariè ignoscere; sicut enim Apostolorum princeps ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Officia justitiæ è contrà sunt, ponderare merita, castigare peccata, unicuique suum tribuere. Ubi ergò amor est, non videtur posse esse justitia, vel si est, omninò offuscata, & ligata manebit. Clariùs idem probari poterit; ad tria præcipuè capita effectus justitiæ reducuntur, quę à Pithagoricis teste Plutarcho per numerum ternarium significata erat, primus effectus est, reorum actus minutè & diligenter attendere; cui processus, informationes, testimonia, conjecturæ, confessiones rectè inserviunt. Secundus est eos justè ponderare, cui inserviunt leges, consultus, exempla, circumstantiæ & consequentiæ. Tertius est juxta merita justam ferre sententiam, ne fortè minor vel gravior sit delicto; pœnam ordinariam, vel extraordinariam statuere juxta exigentiam.

1. Petr. 4. 8.

Plutarch. in Catal. gloriæ mundi p. 12. consl. 37.

Tres effectus justitiæ.

6. Hi tres effectus, mirabiliter exhibiti fuerunt in Scriptura illa quæ Balthasari regi convivanti in pariete apparuit. In hac quippe tria verba tribus hisce effectibus correspondentia contenta erant; nimirum *Mane, Thecel, Phares*: & à Daniele exposita fuerunt; *Mane numeravit Deus regnum tuum.* Ecce primus effectus, numerando siquidem nec minimam unitatem prætermittimus, quæ non numeratur; & hic ad diligentem considerationem pertinet. *Thecel appensus est in statera, & inventus est minus habens*; Ecce secundus effectus ad quem pertinet ponderare merita causæ. *Phares, divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Et ecce tertius effectus

Dan. 5. 26.

Ibid. 27.

Ibid. 28.

justissima nempe sententia prolata. His autem tribus effectibus quis non videt amorem omninò esse contrarium? Amor oculos claudit, & amantes excæcat, ideoque cæcus depingitur, quomodo ergò videbit errores puniendos? Amor peccata detegit, quia *Charitas operit multitudinem peccatorum*, quomodo ergò poterit illa cognoscere, & annumerare? Amor pondus ingens, respectu cujus cætera cuncta levia videntur, & quasi nihil: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*: quomodo ergò justè cuncta ponderare poterit? Amor vinculum est universa ligans, ideoque à S. Paulo vocatur, *Vinculum perfectionis*: vel juxta phrasim Hebræam *Vinculum perfectissimum*; de quo dictum; *Traham eos in vinculis charitatis*. Quomodo ergò poterit qui diligit percutere, & vulnerare amatum? Omnia suffert, & sufferre facit; *Supportantes invicem, in charitate*; & *charitas patiens est*; quomodo ergò delinquentes pro meritis punire poterit? Propheta Isaias Deus in medio Seraphim spirituum amabilium conspexit; sed quid agebant hi spiritus? vultum, & pedes cooperiebant, ut indicarent amorem oculos velare, & pedes impedire, ne exeat & videat peccata nostra, sed illa dissimulet.

1. Petr. 4. 8.

Cant. 8. 7.

ad Colloss. 3. 14.

Oseæ 11. 4

ad Ephes. 4. 2.

Injustitia duobus modis committitur.

6. Dico insuper non solùm in tribulatione justitiam, verùm etiam maximam injustitiam apparere. Duobus siquidem modis potest committi injustitia, vel in effectu, vel in modo: in effectu condemnando innocentem, aut absolvendo reum; in modo aut nõ formando processus, aut non permittendo defensionem reo antequam sententia feratur &c. In his duobus modis videtur Deus contra justitiam agere in tribulatione. Quantum ad effectum, cur tribulationes justis, & non sceleratis immittat: *Multæ tribulationes justorum*; & de impiis dicitur: *Quare via impiorum prosperatur* S. Job quoque ausus est dicere: *Videte quia Deus non æquo judicio afflixerit me*. Ad hanc eandem injustitiam quoad effectum pertinet, quando castigatur quidem meritò quispiam, non tamen justa mensura observatur, sed major, aut minor pœna infligitur quàm promeritus erat. Id etiam in se executum fuisse lamentabatur Job dicens: *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret*.

Psal. 33. 20.

Ierem. 12. 1

Iob 19. 6.

Iob 6. 2.

Quomodo justitia in modo punitionis?

7. Quid de modo dicam? nihil magis contra justitiam esse potest: quandoquidem nullæ præcedant citationes, non examinantur testes, nullus datur defensionis locus; sed subitò dum minùs cogitamus castigatio supervenit;

Isa. 30.13. pervenit; *subitò dum non speratur veniet contritio ejus*; dixit Isaias, non sufficiebat dicere, *dum non timetur*; quod proprium videbatur, cùm punitiones non sperentur, sed timentur; sed dicere voluit *Dùm non speratur*; non à castigato, sed ab inimicis ejus; quasi diceret, non solùm veniet castigatio adeò repentè, ut imaginari non possit, sed quod nec inimici castigationis avidissimi, idipsum sperare potuerint. Poëtæ gentiles, fingebant Deorum pedes lanâ contectos, indicare volentes, eos incedere adeò modestè ne umquam sentirentur, & castigationes adducere, antequam quisquam adverteret. Unde sæpius ab hominibus innocentes judicantur qui à Deo nocentes, & omni castigatione digni reperiuntur; ideóque puniri, absque ulla cognitione aliorum.

Ira non æqua justitiæ ministra. Iacob. I. 20

8. Ira denique numquam bona justitiæ ministra fuit; dicente S. Jacobo: *Ira viri justitiam Dei non operatur*. De Architâ Tarentino Philosopho sapiente legitur, quòd cùm servi ejus errores commisissent, ob quos meritò castigandi essent; dixit illis, Diis gratias agite, quod vobis iratus sim, alioquin peccata vestra impunita non manerent: Dicere volens, quòd iratus non potest esse justus Judex. Eiusdem opinionis fuit Plato, qui amico suo quadam vice dixit, castiga servum meum; cùm enim ipsi sim iratus, idipsum exequi nequeo. Leges quoque ritè sanxerunt, ut Judex sententiam ferens sedeat; sessio quippe animum pacatum judicat ut dixit insignis legis peritus.

Cur residens? quia mente gravi decet esse quietus,
Iuridicos animo, nec variare levi.

Quis autem ignorat Deum summâ indignatione, & irâ punire? ira inquiunt Philosophi; *Est ebullitio sanguinis circa cor*; sicut ergò ex olla ferventi solent vapores exhalare, sic ab iracundis flatus instar fumi ex ore emitti solet. Deus autem tantâ irâ accenditur, ut non tantùm flatus, verùm etiam ignis de ore ejus procedat. Ita se vidisse testatur Propheta Daniel; *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus*: hunc autem effectum ignis esse, David testatur dicens: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi ab eo.* Deus quoque ipse sæpius idem testatur dicens per Prophetas suos: *Iratus est furor meus in eos*, & alibi; *Gladium evaginabo post eos, & complebo furorem meum*; ita ut furore ebrius, aut phreneticus videretur: *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino.* In tenebris absque ullo respectu percutit, teste Jeremiâ dicente: *Obtexit caligine in furore suo Dominus*

Dan. 7. 10. Psal. 17. 9. Oseæ 8. 5. Ezech. 5. 13. Psal. 77. 65. Thren. 2. 1.

filiam Sion. Cùm ergò duobus modis contra justitiam peccare possimus, vel per defectum, vel per excessum; uterque in tribulatione reperitur: multi siquidem peccatores impuniti remanent, aliique ultra meritum castigantur.

An vera justitia sit in Deo?

9. Sed verè dicamus prout est: si de justitia divina dubitatur, aut murmuratur, dum tribulationes immittit, quid fieret, si tribulationes in mundo non essent? Absque dubio crederetur, aut Deum non esse, aut non velle exercere justitiam. Sicut etiam juvenis gladium portans, sed numquam illo utens, dicitur ad ornatum, non ad vindictam gerere: sic quoque ex infinitâ Dei perfectione colligi potest in illo justitiam esse; illam tamen non exercendo, ad ornamentum esse dici posset. David cælestem sponsum vestiens, dicebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*; (Psal. 44.4.) sed ad quem finem? ad terrendum inimicos? non sed ut pulchrior evadat; *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende propere, procede, & regna.* (Ibid.) Alibi quoque Psalmista videns multos conqueri, quòd Deus nesciret gladio suo uti, sed quod ad ornatum illum gerere videbatur; hortabatur eum, ut evaginaret, & inimicos persequens insigniter exciperet dicens: *Effunde frameam, & conclude adversùs eos, qui persequuntur me*; (Psal. 34. 3.) quid inde sequetur? *Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & cognoscant quia nomen tibi Dominus*: (Psal. 82. 18.) quod nimirum sciàs gladio tuo in vindictam inimicorum uti.

Quomodo Monachus rex effectus gubernaverit?

10. Cùm in Hispania alius è stirpe regiâ non superesset, nisi quidam Monachus; in regem electus fuit; & cum summi Pontificis dispensatione, cellam in palatium, togam Monachalem in purpuram, & Clericalem coronam, in regiam commutavit. Mundi tamen negotiis insuetus, & animo simplex, & quietus, à regni proceribus parum æstimatus, & quandoque vili pensus fuit. Advertens ergò quotidie illos in pejus procedere, quadam vice omnes ad concilium vocans, finxit se velle campanam quandam efficere, cujus sonus per totum regnum audiretur; illi omnes more solito deridentes convenêre; at ille cunctos apprehendi, & capita præscindi jussit, illamque campanam esse quæ per totum regnum audiri volebat; sicut accidit, exinde siquidem in toto regno suo nemo illum deridere, aut conturbare audebat. Simile quid dicamus Deum agere; peccatores illum non solùm non timent, verùm etiam derident: *Quasi per risum stultus operatur scelus*: (Prover. 10. 23.) Deus autem licet aliquo tempore patienter sustineat, tandem aliquando castigat, ut sonus eorum ubique percipiatur;

Psal. 9. 7. percipiatur; dicente Propheta Davide: *Periit memoria eorum cum sonitu*; quasi diceret, non sufficiebat Domine illis mortem infligere, sed volebas sonum ejus ubique audiri; ut alii te timere discerent. Sanctus Joannes Chrysostomus hunc locum rectè exponit dicens: *Hoc est Dei providentia, quod non facit hoc latenter, ut aliorum calamitatibus, alii reddantur meliores; significat ergò manifestum exitium.*

Cur Deus palam puniat?

11. Idem quoque S. Chrysostomus exemplo Caini affirmat, quem divinam justitiam muto eloquio prædicare dicebat: *Circumibat*, inquit, *Cain omnibus loquens; silentio vocem edens, silentioque erudiens; lingua tacebat, & cætera membra clamabant.* Eandem ob causam dixit Deus Moysi postquam populus cum Madianitis mulieribus peccasset; *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Liranus supra hunc locum commẽtatur dicens: *Suspendi jubentur contra solem, ut pœna sit publica, sicut & peccatum, & ad terrorem aliorum.*

S. Chrysost. homil. 4. de verbis Isaiæ.

Num. 25. 4.

Viciniora magis commovent.

12. Dicet fortè quispiam, non sufficiebant castigationes Lucifero inflictæ, & ad infernum cùm omnibus diabolis misso, ut divina justitia innotesceret. Respondeo longè dissita parum commovere: si princeps in civitate sua justitiam exercet, aliæ civitates ideò non terrentur; ut hoc ergò cunctis innotescat, punitur reus in loco ubi crimen commisit, & in partes conscissus diversis locis collocatur, ut aliunde advenientes, agnoscant ibi rigorosè justitiam exerceri, eoque exemplo à malefactis abstineant. Isaias id præclarè exhibebat dicens: *Cùm feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis*: quasi diceret, non sufficit Domine judicia tua in cælo, & inferno exercuisse; in terra quoque exercere oportet: *Cùm feceris judicia tua in terra*, tunc enim terrigeni timebunt. Judas Machabæus sapienter præcepit linguam blasphematricem impii Nicanoris avibus devorandam tradere, non autem canibus, aut aliis animalibus, ut in diversas partes volando hæc nuntia deferrent, sicque omnibus divinæ justitiæ castigatio innotesceret.

Isa. 26. 9.

2. Machab. 15. 33.

13. Nec loci vicinitas sufficit, verùm etiam temporis requiritur, & si præsentia corporalis adsit, & oculis justitia inspicitur, multum refert. In aliquibus locis hæc consuetudo inolevit, ut seniores juniores ad locum supplicii adducant, ut mentibus illorum semper inhæreat, & bona facere, ac mala fugere addiscant: Nos omnes in hac vita parvuli, & juniores sumus; *Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*; quia *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo*:

Iustitia conspecta plus proficit.

1. Ioan. 3. 2.

ad Galat. 4. 1.

divina ergò justitia nobis addiscenda, & oculis conspicienda, ut timere discamus. Sapiens nobis hoc egregiè exhibet dicens: *Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus.* Quis justitiam divinam non timebit, dum videt eum morte interemptum, qui ut inimicum occideret pergebat? Quis non concipiet odium contra peccatum, dum infirmum pessimè afflictum videt, qui peccando sibi hoc malum acquisivit? Quis non resolvet quàm primum confiteri, dum peccatorem ante oculos suos repentinâ morte extinctum videt? sic est revera; *Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus.* Parvulus in sapientia, & prudentia facillimè cognoscet, quòd licèt divina justitia quandoque dormiat, numquam tamen moritur.

Prov. 21. 11

ubi suprà.

Mors somno similis.

14. Exigua videtur differentia inter aliquem profundè dormientem, & mortuum, non sentitur hic, nec ille; non movetur hic, nec ille; in quo ergò differunt? In tempore, dormiens intra aliquot horas vaporibus ciborum digestis, expergiscitur; mortuus autem numquam: qui enim duobus aut tribus diebus dormiret, mortuus crederetur: sic somnus mors brevis, mors verò somnus continuus dici potest: juxta dictum Poëtæ:

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Quid modò creditis justitiam divinam agere? quasi semper dormit; sicut enim Deus ut benè faciat, numquam dormit, teste Psalmista: *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*; sic ad castigandum frequenter dormitat: unde David eum excitare volens dicebat: *Exurge quare obdormis Domine?* & alibi; *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus.* Antoninus Pius Imperator eadem inventione uti voluit; in numismate siquidem fulgur in lecto finxit, sicut enim per fulgur justitia significatur, sic per lectum somnus; quasi diceret, advertite bene, sicut enim ego nomen Pii gero, & factis imitari studeo; malefactores tamen omninò castigare conabor; mea siquidem justitia non mortua jacet, sed dormit, ideoque si benè egeretis non nocebit; si autem à somno eam excitaveritis, væ vobis. Dei modò justitia, dormire videtur, se habet quasi non videret peccata nostra, nec injurias nostras perciperet; si ergò numquam expergisceretur, crederes illam mortuam fore; quandoque ergò tribulationes immittendo, se vivam exhibet; sic illud testatur Propheta dicens: *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos*

Justitia frequenter dormit.

Psal. 120. 4.

Psal. 43. 23

Psal. 67. 2.

Psal. 77. 65.

micos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. Deus in lege veteri dum castigare volebat, comminari solebat dicens: *Vivo ego dicit Dominus*; nec otiosa locutio erat, sed quasi diceret, advertite, licèt enim dormiam, vivo tamen, & nisi vos emendaveritis, talia exhibebo signa ut bene credatis.

Memoria castigationis divinæ conservata.

15. Ut nobis hæc justitia divina, & castigatio menti meliùs inhæreat, voluit Deus aliquibus in locis signa ac vestigia castigationis suæ permanere; ita ignis istius pluviæ infernalis quæ supra civitates Sodomæ & Gomorrhæ cecidit, evidētia ac perpetua remanserunt signa; sicut enim regio illa adeò delitiosa & fertilis erat, ut paradisus potius quàm terrena habitatio æstimaretur; modò adeò sterilis, & infamis evasit, ut vel nihil prorsus producat, vel si fructum aliquem pulchrè apparentem producat, tanto fœtore, & putredine intus repletur, ut omninò abjiciendus sit. Ita testatur S. Augustinus dicens: *Poma in terra Sodomorum gignuntur quidem, & ad maturitatis faciem perveniunt, sed morsu tentata, in fumum, ac favillam corio fatiscente vanescunt.* In loco etiam civitatum, lacus quidem apparet, sed niger, & pestilens, ita ut nil vivum retinere possit; aves quoque ipsæ inde avolant ne fœtore inficiantur. De diluvio aquarum ultra arcum cælestem, nobis in signum fœderis exhibitum: Conchilia marina multis in locis reperiuntur, quæ à mari remotissima, ibi numquam generari nec aliò advehi potuerunt, nisi à diluvio ibi remanserint. De Pharaone aliisque submersis in mari rubro, sub aquis vestigia rotarum conspiciuntur teste Orosio.

S. Aug. lib 21. de civit. Dei cap. 5.

Statua salis uxoris Loth mirabiliter conservata.

16. Multò tamen mirabiliùs, & notabilius est quod à gravissimis auctoribus de statua salis uxoris Loth refertur; quæ non solùm à tot centenis annis integra, & inconcussa remansit referentibus peregrinis inde remeantibus. Verùm etiam referente glorioso martyre S. Cypriano, si aliquis in brachio, aut altera parte illam rumpat, subitò miraculosè sanatur: sic enim his versibus illud insinuat:

Non pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis;
Quin etiam si quis mutillaverit advena fornium,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

S. Cyprian. in excid. Sodom.

Sed cur credimus Deum adeò miraculosè hanc statuam conservare. An quia rigorosè nimis contra illam in vita processit, ideoque post mortem se misericordem exhibere cupit? Sed meliùs dicamus, artificem, expertem & insignem non diù res suas vel imagines in officina conservare, sed subitò divendere;

re, cùm alias indies efficere possit. Artifex autem inexpertus si fortè imaginem quandam excellentem perfecerit, continuò apud se retinet, ut artem suam exhibeat, & ptobet: quis enim, inquit, indivinare potest, si aliam æqualem perfecturus sim. Talem artificem Deum esse dicite, in operibus misericordiæ expertissimus, frequenter insignia perfecit opera; sceleratissimis ignovit, illuminavit cæcos, resuscitavit mortuos, de his utpote quotidianis nullum reservat exemplar; in castigatione autem impiorum, parum expers, rariùs insignia producit opera, quandoque etiam dum justitiæ opera exequi desiderat, manus adeò est labilis ut misericordiæ opera perficiat teste Propheta: *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Inter cætera autem justitiæ opera, unum insigne evasit, statua nimirum uxoris Loth; pro uno siquidem aspectu, illam in statuam salis commutavit. Conservemus ergò, inquit, hanc statuam salis, similia quippe opera rarissimè de manibus meis exire solent; & justum est omnes gentes agnoscere, me quoque in castigando excellere, indeque timere discant.

Abac.3.2.

Castigationes sunt Echo divinæ justitiæ.

17. Quid de justitia quam Deus in modo & conditione castigationis utitur dicam? Pœnæ peccatis proportionari debent. Sed quis legislator, aut judex pœnas umquam peccatis proportionatas statuere novit, ac Deus noster? Cùm duo inter se ita conveniunt, ut quod unus asserit, alter confirmet, dicere solemus illum esse Echo alterius; Echo siquidem primo loquenti respondet. Castigationes divinæ justitiæ, quid aliud sunt quàm Echo peccatorum nostrorum. Isaias id præclarè testatur dicens: *Peccata nostra responderunt nobis*: Peccata nostra clamant ad Dominum: *Clamor Sodomorum venit ad me*: responsio autem hujus vocis, sunt pœnæ; sed responsiones peccatorum ideò vocantur, quia sicut Echo non est persona diversa ab illo qui primam vocem emisit, sed eadem vox reflexa, sibi ipsi respondet; pari modo castigatio & pœna aliud non est, quàm eadem responsio quam peccata sibi ipsis exhibent; ideoque bene dicitur; *Peccata nostra responderunt nobis.* Sapiens Spiritu sancto repletus optimè hoc affirmare noverat dicens: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*: quasi diceret, non credatis Deo ad castigandum opus esse, ut gladium evaginet, & vibret; propriis siquidem peccatorum armis illos vulnerat; quin imò non Deus sed illi propriis suis sagittis in illum emissis, & in se revertentibus confodiuntur. Regibus terrenis pro signo justitiæ, gladius attribui solet,

Isa.59.12.

Gen.18.20.

ubi supra.

Sap.11.17.

Rom.13.4. ſolet, dicente Apoſtolo: *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Sed Deo pro ſymbolo juſtitiæ meliùs ſcutum attribui ſolet juxta propoſitum noſtrum.

18. Hoc ſcutum Deo adeò juſtè convenit, ut ubi nos legimus; *Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus*; textus Hebreus habet: *Quia ſol, & ſcutum Deus.* Nec hoc mirum videri debet: cũ Salvator ipſius ſolis ſimilitudine ad divinam miſericordiam explicandam uſus fuerit, dicens: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt, qui ſolem ſuum oriri facit, ſuper bonos, & malos.* Scuto autẽ aſſimulat Sapiens juſtitiã dicens: *Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Ut ſol ergò miſericordia divina, & ut ſcutum juſtitia; credendum quoq; eſt pulcherrima myſteria, & inſignes conceptus ſub hac ſimilitudine latere, quæ alii fortè meliùs quàm nos inveſtigare poterunt. Nolo tamen conceptum inſignem, quem inde elicere potui, vobis abſcondere; pulchram nimirum differentiam, inter ſolem, & ſcutum reperiri; primò ſolem eſſe ingentem, omnibuſque patere, & lucem, ac calorem ſuum liberaliter, & abundanter diffundere; juxta dictum Pſalmiſtæ; *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Scutum è contrà multò minus eſſe, nec ſemper deferri, aut detegi. Pari modo divina miſericordia valde magna, & manifeſta eſt, ſicut enim Pſalmiſta ait; *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Omnibus quoque ſe communicat teſte Sapiente: *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Juſtitia è contrà, in effectu minor eſt, nec adeò cognita, aut exercita; cùm modò ſit tempus miſericordiæ & non vindictæ juxta Aqoſtolum dicentem: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

Pſal. 83.12. *Iuſtitia divina ſcuto aſſimulata.* Luc. 6.36. Sap. 5. 20. Pſal. 18.7. *Diverſitas inter ſcutum & ſolem.* Pſal. 144.9. Sap. 11.24. 2. Cor. 6.2.

19. Sol inſuper ex ſeipſo naſcitur, abſque eo quòd aliquis illum exoret, aut invitet: ſcutum autem ex ſe non movetur, ſed ab alio deferendum eſt, ſi illo uti velimus. Divina miſericordia nullius expectat vocationem, ſed omnes prævenit teſte Pſalmiſta: *Miſericordia ejus præveniet me*; juſtitia verò numquam ad puniendum movetur, niſi à graviſſimis peccatis provocata, dicente Apoſtolo; *Theſaurizas tibi iram in die iræ.* Omni tempore ſol reſplendet, & officium ſuum exequitur; ſcutum verò pro neceſſitate defertur. Miſericordia divina numquam deficit benignum ſuum influxum nobis infundere: juſtitia verò niſi à peccatis noſtris cogatur, numquam movetur: Deus quoque ad defenſionem honoris ſui, & ſervorum ſuorum protectione hac uti ſolet.

Deus ſponte miſeretur. Pſal. 58.11. Rom. 2. 5.

20. Non deſinit tamen aliqualis ſimilitudo, & proportio inter ſcutum, & ſolem eſſe: ſol etenim

Quæ proportio inter ſolem & ſcutum & miſericordiam, & juſtitiã.

etenim quasi scutum est mundi; & quasi sol corporis est scutum. Sicut etiam sol in medio planetarum, omnibus beneficia exhibet; sic etiam scutum in medio corporis portatum omnia membra defendit. Pari modo Deus tam in effectibus misericordiæ quàm justitiæ nullâ partialitate utitur, nec acceptor est personarum; sed sicut supra omnes misericordiæ suæ alas expandit; ita justitiæ scuto omnes protegit, & minatur si quis offendere cupiat, dicente Psalmista; *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.* (Psal. 90. 5.) Nec tacendum puto, quod auctor libri Machabæorum non omittendum judicavit; (1. Machab. 6. 39.) sole nimirum radiis suis scuta militum illustrante, tantus obortus est splendor, ut montes inde resplendere viderentur, ita ut mutuo auxilio, Sol scutis, & scuta soli splendorem adjungerent. Pari modo licèt misericordia, & justitia divina, sibi mutuo opponi videantur, mirabiliter tamen se mutuò adjuvant, & una clarior per alteram apparet; divinâ misericordiâ justitia clarior refulget, tantò siquidem castigatione dignior videris, quantò majora beneficia à misericordia divina receperis, & tanto tempore te misericorditer supportaverit. Pariter justitia divina misericordiam clariorem reddit, tibi etenim pœnas promeritas exhibens, tantò magis quod tibi remittitur manifestat.

21. Ad propositum igitur nostrũ redeuntes, scutum est justitia divina; reflectẽdo quippe sagittas nostras, contra nos, insigniter punit; quia, *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*; unusquisque per illa torquetur, per quæ Deum offendit; ut complaceres amico Deum offendisti, & ille primus erit qui adversum te exurgens pœnas te luere coget. Gulosus ille superfluè comedendo Deum offendit; & cibus ille ipsi mortem, aut diuturnam infirmitatem causabit. Ferro de inimicis tuis vindictam sumere credebas; Deus autem permittet ut simili ferro percussus intereas. His similibusque casibus non solùm scripturæ sacræ & prophanæ abundant; verùm etiam quotidiana experientia scatet. Prima pœna in scriptura sacra, à Deo contra serpentem inflicta, magis delicto proportionari non poterat; excogitavit ille amicitiam, & familiaritatem inire cum muliere, Deus autem effecit ut majorem inimicitiam contrahat; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Se exaltaverat serpens, ut posset mulierem alloqui, & Deus illum ad terram condemnavit dicens: *Super pectus tuum gradieris.* Persuasit illi ex pomo vetito comedere, & Deus illi terram comedendam

Quomodo justitia divina scutum?

Sap. 11. 17.

Per quæ quis peccat, per hæc torquetur.

Gen. 4. 15.

Ibid.

dam injunxit; *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quid de castigationibus Ægyptiorum dicam? pueros Hebræorum in Nilum præcipitabant, & Nilus contra illos se in sanguinem vertebat; Hebræos in terra effodienda, & componenda nimiùm elaborare cogebant; & ex terra culices, & mures exurgentes illos torquebant. Omnes Hebrẹorum masculos interficiebant; & Deus cunctos illorum primogenitos unâ nocte interfici curabat. In fornacibus ignitis illos nimiùm laborare cogebant; & à columna ignea, ardenti fulgure percussi fuerunt. Illos denique opprimere, & ad nihilum redigere volebant; sed ab undis maris rubri oppressi, & submersi postmodum fuerunt.

Probatur hoc variis exemplis. Iudic. 1. 7. 22. Hanc divinam justitiam Adonibezec pariter expertus est, ideoque dixit: *Sicut feci ita reddidit mihi Deus.* Cùm David alienam uxorem rapuisset; uxores ejus Deo permittente ab aliis raptæ, & vituperatæ fuerunt. Hanc pariter justitiam progenies Achab experta est; cùm enim hic injustè vineam innocentis Nabot occupasset; capita filiorũ ejus abscissa, & in corbibus quibus uvę in vindemiis portantur, in Jerusalẽ delata fuerunt: quasi Deus indicare vellet, ecce fructus vineæ injustæ occupatæ. Hanc justitiam divinam populus Israel sæpius expertus est, dum modò serpentibus ignitis afflicti, quia linguâ serpentinâ contra Deum murmuraverant; modò à carnibus comestis suffocati, quas nimiâ aviditate concupierant; modò manna contra Dei præceptum conservatum, in vermes conversum est. Modò in pulvere ebibere coacti vitulum aureum, quem fabricaverant, & adoraverant. Nulla denique sententia in sacra scriptura magis nota, aut replicata, illud indicant verba illa; *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Gen. 9. 6. Et illa; *Incidit in foveam, quam fecit; & captio quam abscondit apprehendet eum.* Psal. 7. 16. Psal. 34. 8. Et illa Isaiæ; *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* Isa. 33. 1. Salvator quoque ait; *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Matth. 26. 52. Et S. Paulus inquit; *Quæ seminaverit homo hæc & metet.* ad Gal. 6. 8. S. Joannes in Apocalypsi pœnas mulieris meretricis describens, eas clarissimè per divinam justitiam peccatis proportionari ostendit, dicens: *Quantum in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Apoc. 18. 7.

Fabulâ Gruis idem probatur. 23. Id optimè quoque gentiles perceperunt, referente siquidem Athenæo, Grus apud Pigmæos mulier valde honorata fuit, & instar Deæ venerata; sed cùm alios Deos despiceret, & vituperaret, ab illis in avem ejusdem nominis mutata continua cùm illis bella gessit. Sed si à Pigmæis tantum æstimabatur,

 cur

cur bella cum illis gessit? Ob æstimationem, & honorem sibi ab illis illatum, adeò insuperbivit, ut Deum offenderit; & justitia divina ita disposuit, ut nimiam inter se familiaritatem exercentes, postmodum à se mutuò lædantur. Cavete ergò ne aliquam creaturam nimio affectu diligatis, illa siquidem prima erit quæ vos persequetur; & vindictam pro Deo sumet.

Falsa querela afflictorum.

24. Justitiam divinam malos sæpè torquere, faciliter concedere possemus; quod verò justos & bonos æquè torqueat, hoc summoperè mirandum videtur. Plurimi à Deo afflicti sæpissimè conqueruntur dicentes, quid cōmisi, aut iniquè egi, quòd Deus ita me persequatur: huic interrogationi S. Augustinus omnium optimè respondit dicens: *Dicunt plerique tribulati Deo, Deus quid tibi feci? quibus in conscientia respondet justitia divina; bene dicis, ô Deus quid tibi feci? verum est, quia nihil mihi fecisti, sed totum tibi; si enim aliquid boni fecisses, mihi fecisses.* Si bene ergò conscientiam examinemus, inveniemus non absque culpa nostra nos affligi, licèt quoque nil mali egissemus, multa tamen bona agere omisimus. In hoc quoque clariùs divina justitia agnoscitur, quia peccata suorum licet levia non dissimulat. Proverbio communi dici solet, nos amare justitiam in domo aliena, non

S. August. serm. 22. de temp.

in propria, de qua David rex valde justus gloriabatur dicens: *Feci judicium, & justitiam*; sed in domo propria illam non observabat; Amone siquidem primogenito incestum cum sorore suâ committente, David dissimulabat. Non ita Deus, sed justitiam in domo propria priùs videri cupit quàm in aliena, dicente Apostolo ejus S. Petro: *Tempus est ut incipiat judicium à domo Dei*; justi sunt domestici, & familiares Dei; *Iam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei*, ideoque primi sunt in punitione. De Moyse, Aarone, & Samuele intimis Dei amicis dicitur; *Deus tu propitius fuisti eis, ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Amicabiliter cum eis egisti Domine, non tamen dissimulabas peccata eorum, imò ne unum quidem absque castigatione transire permittebas.

Ps. 118. 121.

1. Petr. 4. 17

ad Ephes. 2. 19.

Psal. 98. 8.

Iustitia mundana, ut virga est.

25. Justitia mundana, ut virga lignea est, ideoque illam pro insigniis portant, quæ facillimè in omnes partes inflectitur, & ad omnia curvatur. Justitia verò Dei, quasi virga ferrea inflexibilis; *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Vasa crystallina, argentea, vel aurea, plurimi fiunt; licèt enim quis illa veneno, aut immunditiâ infecerit, non facilè rumpuntur, sed lavantur, mundantur, & omni diligentiâ purgantur ne

Psal. 2. 9.

ne perdantur. Vasa terrea non tanti fiunt, licet enim rumpantur, aut deturpentur, nil refert. Deus in lege veteri, ut se usui humano accommodaret præceperat, ut si vasa terrea aliquam continuissent immunditiã, subitò rumperentur; si autem ex metallo erant, abluere sufficiebat. Respectu autem justitiæ divinæ quid cunctos homines esse creditis? Non aliud quàm vasa terrea. Quid vos mulieres quæ Deas vos esse putatis, quales vos esse creditis ante conspectum Dei? Non aliud quàm vasa testacea. Nobiles, doctores, & sapientes quid estis? vasa figuli. Principes, Domini, Pontifices quid estis, vasa fragilia; si quid immundi Deus in vobis repererit, virgâ ferreâ vos percutiens, confringet. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* Non est personarum acceptio apud Deum. Moyses in lege veteri, erudiebat judices suos dicens: *Non accipietis personam cujusque, quia judicium Dei est*: quasi diceret in judiciis humanis persona quandoque accipi solet, aut ejus dignitas revereri; sed in divinis non, omnes enim æqualiter, ut vasa testacea reputantur.

Respectu Dei cuncta vilescunt.

Psal. 2. 9.

Cælum propriis meritis lucrandum.

26. Deus insuper in castigatione bonorum, insignem exhibet justitiam, vult quippe ut propriis meritis gloriam lucrentur. Hujus sæculi principes in ludis equestribus aut aliis triumphis, numquam Marchionatum, aut aliquod officium exponunt, sed illud dignioribus, & amicis reservant. Deus autem omnia cælorum officia, & dignitates publicè exponit, nec vult illa aliâ viâ quàm per victoriam obtineri; ideoque S. Paulus omnes adhortatur dicens. Sic currite ut comprehendatis: & de seipso affirmabat dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Pyrrus Rex Epyri, à filiis interrogatus, quis illorum in regnum successurus esset; respondit illis dicens, qui gladium acutiorem habuerit, dicere volens, valentiorem illi in regnum successurum. Christus à discipulis interrogatus; *Quis putas major est in regno cælorum*, dixit, qui humilior fuerit. Deus ergò regnum cœlorum per justitiam distribuere cupit, non ibi amicitia, non nobilitas, non familiaritas valet, nulla alia via obtinenda, aut speranda est. Maxima ergò est justitia divina, quæ in eo principalior ostenditur, quod boni quoque afflictiones patiantur. Non ergò pauperes licèt afflicti despiciendi, quin imò magni faciendi, sicut illos quos ad regna cælestia elegit Dominus, rationi ergò conveniens est, ut il-

2. ad Tim. 4. 7.

Matt. 18. 1.

lis largâ eleemoſynâ ſubveniatis.

SECVNDA PARS.

27. NOs hodie juſtitiam defendentes, injuſtè ageremus, ſi regulas ejuſdem non obſervaremus; inter has autem una eſt quæ ſatisfactionem adverſariis dare præcipit; ut nimirum cognoſcant ſententiam latam, rationi, & juſtitiæ congruam eſſe; juſtitia ſiquidem evidentiam, & claritatem amat.
Pſal.36.6. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem.* Hanc autem juſtitiæ regulam nos rectè implebimus, ſi rationibus contrariæ partis juxta morem reſpondeamus. Quid igitur dicebatur, amorem cum juſtitia ſimul eſſe non poſſe? reſpondeo id verum eſſe de amore inordinato, & ſtulto, qualis inter homines eſſe ſolet; non verò de amore ordinato, & ſapientiſſimo, qualis in Deo reperitur, ſcit quippe Deus modum invenire, ut ſatisfaciat amori, & juſtitiæ. De Artaxerxe Perſarum Rege legitur, quod ab aulico ſuo precatus ut illi gratiam exhiberet, reſpondit dicens; dic mihi veritatem quantum tibi ille promiſit pro quo petis? ille verò veritatem negare non audens, dixit, triginta millia ſcutorũ aureorum: tunc Rex illi dixit, accipe illa ex ærario meo, donando quippe tibi iſta non ero pauperior, ſi autem efficerem petitionem tuam minùs juſtus eſſem: ſicque amori & juſtitiæ pariter ſatisfecit. Si homo talia peragere noverat, quis dubitare poterit Deum multò meliùs idem efficere poſſe? Nónne videtis Deum in redemptione noſtra idem egiſſe? Cùm enim amor ejus erga homines tantorum peccatorum veniam requireret; cognoſcens illud ſine præjudicio juſtitiæ divinæ fieri non poſſe; ex theſauro ſuo ſatisfacere cogitavit, ſicque ſanguinem pretioſum in redemptionem animarum obtulit; unde amori & juſtitiæ pariter ſatisfactum eſt. Id Propheta David Spiritu ſancto repletus teſtatur dicens: *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Pſal.84.11

Objectionibus reſpondetur.

Amor & juſtitia qualiter conveniunt.

28. Idem quoque Chriſtus in glorioſa transfiguratione ſua indicare voluit, dum in conſortio ſuo Moyſen & Eliam aſſumpſit; illo ſiquidem inter Prophetas antiquos nullus mitior, & placabilior, de quo ſcriptura ait; *Mitiſſimus erat ſuper omnes homines*: unde ſe pro populo ſuo offerebat, ut Deus ſe de libro vitæ potiùs deleret. Elias verò inter veteris teſtamenti patres rigoroſiſſimus fuit; nunc quippe ignem de cælo deſcendere, & milites comburi faciebat; nunc Prophetas Baal occidebat; nunc ſiccitate Num.12.3.

Cur Moyſes, & Elias in transfiguratione.

tate universam regionē destruebat. Unus ergò pietatis & misericordiæ, alter verò justitiæ & rigoris symbolum dici poterat. In medio amborum, Christus se gloriosum exhibet, quia pietatem & rigorem, amorem & justitiam absque utriusque præjudicio conjungere novit. In tribulatione totum clarè patet; ita quippe Deus ibi justitiam exercet, ut amoris non obliviscatur; misericorditer nos puniendo, & efficiendo, ut tribulationes in majus bonum nostrum redundent. Quid dicebatur, Deum non castigare omnes sceleratos, verum est; sed tali modo justitia requirit, quæ teste Seneca instar fulguris esse debet, omnes atterrens, & valde paucos percutiens: Deus quoque ejusdem fulguris similitudine utitur dicens: *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Deut. 32. 41.

Deus oculis clausis rectè videt.

29. Quid dicebatur Seraphim velare Dei oculos, & impedire pedes? Sed nónne cognoscitis Deum oculis clausis adhuc videre posse, unde Propheta regius de eo rectè dicebat: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*; Psal. 10, 5. nec pedibus indiget, in omni siquidem loco præsens est; An ignoratis, si Seraphim oculos alterius clauderent, propriis tamen videre possent; & si pedes ejus retinent, alas habent quibus ubique volare possint? ut ostendat amorem qui oculos alterius claudens, ex seipso plurimum videt; alterius quoque pedes ligans ipse ubique volat: ideoque Deus qui totus amor est, videt, & volat ut amorosè puniat. Nónne bene dicimus, hîc non omnem justitiam à Deo exerceri, sed demonstrari, & in altera vita relinqui; quando nullum bonum sine præmio, nec aliquod peccatum absque castigatione remanebit. Justitia divina instar pluviæ est; *Pluet super peccatores laqueos.* Psal. 10. 7. Quis autem ignorat, pluviam, non unicâ vice simul descendere, nec omnes campos æqualiter irrigare? S. Job id pro effectu particulari divinæ providentiæ notat, dicens: *Qui ligat aquas in nubibus.* Job 26. 8. Pari modo Deus per justitiam punit, modò hos, modò illos puniens, juxta consilium altissimæ sapientiæ suæ.

An Deus plus æquo puniat.

30. Quid dicebatur, Deum bonos plus æquo affligere? respondeo si Deus cum rigore cuncta opera nostra ponderare vellet; nullus adeò justus reperiretur, qui non deberet multò plus satisfacere, quàm continuis tribulationibus persolvere posset. Concedamus quoque aliquos innocenter pati, non ideò tamen Deús injustus dicendus, cùm sit omnium Dominus: nec semper tribulationes pro castigatione, sed quandoque ad probandum, aut exercendum, aut tamquam media cælum acquirendi immittit. Si Job quoque

conquere-

conquerebatur, se injustè à Deo affligi; vel hæ querelæ tales fuerunt, quales inter amantes esse solent; vel fuit hoc dictum quod postmodum ipsum pœnituit, dicens: *Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem.* Vel dicere volebat, Deum ut justum judicem illas tribulationes non immittere; sed ut absolutum Dominum, vel providum patrem, ut occasionem merendi illi tribueret. Si tormenta sua quàm peccata graviora esse dixerit, verum dixit, considerando pondus, quo Deus in hac vita peccata, & castigationes ponderare solet. Nec proinde sequitur Deum in hoc injustitiam committere, quia alia motiva subesse poterant ut diximus.

Iob 39. 35.

Deus hic jure belli punit.

31. Quid dicebatur Deum non observare ordinem judicialem? Respondeo judicem inferiorem non posse hunc ordinem omittere, aut commutare, sed principem supremum ad hoc non ita obligari; sicut duces belli eundem non observant. Licèt quoque Deus in altera vita exactè, & minutè singula exhibebit, ac libros & processus examinabit; hîc tamen more bellico procedit, absque tot juris regulis, & processibus. Meliùs tamen dicamus in hoc judicio, nec testes, nec scripturas, nec judicem deesse; testis est propria conscientia; *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Judex est peccatum; *Statim in foribus peccatum aderit*; scripturæ, cor, & memoria; *Peccatum Iuda scriptum est in stylo ferreo, super latitudinem cordis eorum*: accusatores, & defensores propriæ cogitationes; *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quid dicebatur, Deum subitò absque ulla mora castigare? quin imò dico tardissimus est in puniendo, ideoque crura illius dicuntur marmorea; *Crura illius columnæ marmoreæ*, quia tardè & lentè se movet. Quandoque tamen ex inopinato advenire videtur, cùm homines minùs cogitant, nec peccata occulta cognoscant, quæ longè ante vindictam clamabant.

ad Rom. 2. 15.

Gen. 4. 7.

Ierem. 17. 1.

Rom. 2. 15.

Cant. 5. 15.

Qualiter ira in Deo reperiatur?

32. Quid dicebatur Deum in ira, & furore procedere? Respondeo quòd dicebatur, sed verè ira in Deo locum non habet, cùm sit immutabilis; si tamen dicerent indignatum, hoc medio indicare volentes, quòd sit timendus, & quòd castigationes ab ipso sint expectandæ, quas à persona irata expectare possemus, sic bene diceretur. S. Joannes Chrysostomus ad hoc propositum rectè notat, quòd dixerit Deus Moysi: *Dimitte me ut irascatur furor meus*, non autem dixit dimitte me ut furor meus prædominetur; ita ut quãdo minabatur, & videbatur summoperè indignatus, nondum inceperat irasci; & tantùm erat dicere,

Exod. 32. 10.

dicere, permitte me indignari, quantum permitte me castigare. Propheta regius de castigationibus à Deo missis loquens
Psal.77.49. ait: *Misit in eos iram indignationis suæ*: si ergò per iram intelligeretur effectus ille, qui sub eo nomine significari videtur, non posset dici, quòd missus fuisset, cùm sit actus immanens, nec possit ab animo separari; sed per iram castigationem intelligit. Nec alio modo intelligendum, quando Deus vocatur furiosus, aut ebrius, ideoque Isaias non de Deo, sed de gladio suo in persona Dei affirmat, quòd sit e-
Isai. 34. 5. brius; *Inebriatus est in cælo gladius meus, ecce super Idumeam descendet*;
Isa. 7.20. ubi nos quoque legimus; *Radet Dominus in novacula conducta*, alii legunt; *In novacula ebria*, ad significandum omnia debere intelligi quantum ad effectus, non quantum ad affectum, ut in nobis sanctum amoris affectum excitemus.

An meliùs amari, aut timeri?

33. Ex his jam prædictis primum documentum colligere possumus, ut addiscamus iram divinam adeò justam meritò timendam, quod summam nobis conferret utilitatem. Optimè novi quæstionem hanc inter politicos agitatam, quid melius principi foret, à populo timeri, aut amari? Plurimi æstimant, melius fore amari, cùm amor sit effectus nobilior; alteri verò contrariæ sunt opinionis, licèt enim amor in se sit effectus nobilissimus, ex defectu tamen subjecti, est debile fundamentum: voluntas quippe humana à qua ille dependet, est instabilis, & proprio commodo inserviens. Timor autem à principe dependens, & vi animum penetrans, in Dominio firmus censetur fundamentum; unde quidam dixit; *Oderint dum metuant*. Aristoteles quoque dixit, amorem erga æquales, aut inferiores esse; timorem autem & reverentiam, versus superiores. Verior autem resolutio est, amorem timori conjungi debere; sine illo siquidem principi non obedient subditi; sine hoc autem in suis necessitatibus non erit defensus. Sine illo non habebit vim præcipiendi; sine hoc autem non erit securus à traditione. Vterque ergò in principe requirendus, præcipuè tamen timor. Sed unde meliùs in nobis timor iste generari deberet, quàm ex divina justitia? qui hanc considerat, in tantum timebit, ut non sufficienter timere sibi videatur.

Amor timori jungendus.

Timor Deî desiderandus.

34. Infirmus mortem timens, séque valde malè sentiens, licèt medicus illum securum reddere velit, dicit tamen aliquando, hic timor non obest sed prodest mihi; absque eo siquidem fortè inordinati quid appeterem aut malum aliud obveniret. Hunc timorem desiderasse credo Pro-

phetam Davidem, dum à Deo se consolatum videns, timebat ne illi hoc nimium obesset, ideoque dicebat: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*: quasi diceret, non tantas Domine consolationes requiro; quin potiùs sancto timore tuo carnem meam coërce, & quasi frænum sensibus meis, & appetitui carnali injice; nullum siquidem peccatum committere vellem, quod me in manus justitiæ tuæ incidere permitteret, quod valde terribile, & timendum esset. Licèt amor sit optimus, absque timore tamen nimiam ingerit audaciam; sicut accidit illi cui dictum fuit; *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* potuisset ille respondere, si sum amicus, cur non potui huc intrare? responsum tamen illi fuisset, cum superiore non tantùm sufficere amicitiam, sed etiam timor, & reverentia requiritur. Hunc timorem S. Propheta Job optimè intelligebat, dicens: *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Verum quidem est timorem nostrum non tantùm servilem, verùm etiam filialem esse debere; quem David intendebat dicens: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*: quasi diceret, timui Domine judicia tua, & castigationes tuas inhorrui. Sed hic timor servilis esse videtur; idcircò modò addiscere vellem, timore filiali tibi adhærere; ne gratiam tuam perdam, aut te offendam. Verus igitur timor filialis est, timere potiùs peccatum ob Dei offensam, quàm pœnam ejusdem. S. Bernardus id præclarè testatur dicens: *Cavendum magis peccatum, quàm peccati pœna; & eò studiosius à malo, quàm à flagello declinandum, quò periculosius & omninò infelicius sit à Deo animam, quàm à corpore separari.*

Psal. 118. 120.

Matth. 22. 12.

Job 9. 28.

Psal. 118. 120.

S. Bernard. serm. 10. in psal. 90.

35. Timor tamen servilis non omninò abjiciendus, licèt enim animam, non omninò Deo conjungat; per illum tamen via animæ ad Deum præparatur. Hanc se timere pœnam Adam demonstrabat, dum à Deo reprehensus dixit: *Timui, eò quòd nudus essem*; quod Rupertus Abbas optimè notat dicens: *Notandum quòd culpam suam tacuit, & nudum se esse questus est: non enim dixit timui, eò quòd præceptum tuum prævaricatus essem, sed eò quòd nudus essem.* Et paulò pòst; *Non facti sui gerere pœnitudinem, sed solùm pœnæ suæ se fatetur habere confusionem.* Licèt quoque hic timor in ipso non fuisset perfectus; quin imò à Ruperto vocatus perversus, inordinatus videlicet; rectus quippe ordo poscebat, magis peccatum quàm pœnam timendam; in illo tamen principium ingentis boni fuit, quia viam sapientiæ divinæ aperuit; quia *Principium sapientiæ est timor Domini*;

Timor servilis non planè malus.

Rupert. lib. 3. in Gen. c. 14.

Prov. 9. 10.

mini, & hic illum à peccato eripuit; juxta illud quod Sapiens de ipso affirmat dicens : *Hæc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus custodivit, & eduxit illum à delicto suo.*

Sap. 10. 1.

Divina justitia sedes Dei.

36. Dum Princeps, aut Prælatus supremus Ecclesiam intrare cupit, sedes illius tapete, aut panno aliquo ornatur, quod cæteri videntes, subitò argumentantur, principem illuc venturum. Pari modo dum quis divinam metuit justitiam, verè dici potest, sedem Dei ibi præparatam esse, non ergò eò venire desinet. David Propheta fidelis hujus dicti testis erit, qui præparationem sedis Dei, justitiæ, & judicio divino adscribit dicens : *Iustitia, & judicium præparatio sedis tuæ.* Videndo mendicum infirmum, aut alio modo afflictum; dicere debemus, an ille fortassis Deum magis quàm ego offendit ? Quin imò ego potiùs magisque offendi, mihi tamen non evenerunt ista; quis scit igitur si Deus quàm primùm illa mihi non immittet, nisi me citius emendavero ? Hæc cogitatio tibi refrænatio malorum, & incitatio ad bonum erit.

Psal. 88. 15.

Castigatio Dei consolationem adfert.

37. Dico insuper hanc cogitationem divinæ justitiæ, summam consolationem afflictis adferre. Dices tamen quomodo castigatio consolationem adferre poterit? si per se non possit, ad minùs per effectus poterit. Si infirmum plurimis malis aggravatum visites qualiter illum consolaris ? An illum ad nuptias, choreas, & festa invitando ? Nequaquam, sed spem ingerendo, quòd talis medicus illi potionem præparabit, quâ ebibitâ omninò sanus erit. Sed potio illa numquid amara erit; & remedia quæ adhibet, numquid pœnam adferent ? quales hæ erunt consolationes? Sunt consolationes per effectum, inde speratum, sanitatem nempe. Peccata, & tribulationes quid sunt? Quid tantæ infirmitates & mala corporis, & animi, de quibus dictum; *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelaverunt* ? Sunt omnes medicinæ. Duo siquidem sunt officia principis; beneficia conferre, & castigare : illud instar cibi est, hoc instar medicinæ. Cibus frequens & continuus esse debet, medicina rara, & propter necessitatem solùm. Pari modo princeps largus & promptus esse debet, in beneficiis conferendis, in castigatione autem parcus, quando necessitas exigit. Sapiens ille apud Isaiam recusabat princeps esse, dicens se nec medicum, nec pistorem esse: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nolite constituere me principem.* An isto tempore medicinæ studere oportebat, ut quis princeps esset ? Vel prin-

Psal. 15. 4.

Princeps medicus esse debet.

Ll 2 ceps

ceps circuibat visitans infirmos illisque medicinas porrigens? Nequaquam; neque enim de arte medicinæ à Galeno, vel Hypocrate edocta loquebatur, sed de alia quadam arte, quâ populi, & civitatis infirmitates curabantur, loquebatur. Prudenter quoque cuncta principis officia ad hæc duo reducebat, ad panem distribuendum qui dulcis & sapidus est cibus, hominem sustentans; & ad medicinam porrigendam quæ amara est, sed salutaris. Per primum munificentiam, per secundum castigationem intelligens; ita ut medicinæ sint castigationes, & tribulationes, ideoque cum infirmi sumus, non tantùm præsentiâ, verùm etiam memoriâ, & consideratione illarum nos reficere debemus. Sic David se infirmum cognoscens dicebat:
Psal. 118. 52. *Memor fui judiciorum tuorum Domine, & consolatus sum.* Sed nónne aliàs dixit; *A judiciis enim tuis timui?* Quod timorem adfert, quomodo potest consolationem adferre? Optimè, sicut medicina, in quantum amara, horrorem causat, sed in quantum salutifera consolationem.

Psal. 118. 120.

Iustitia divina utilissima medicina.

38. Nec infirmis solùm, verùm etiam sanis hæc medicina utilitatem adfert; non tantùm videlicet peccatoribus, verùm etiam justis, qui peccatores castigatos videntes, omni diligenciâ peccata effugere, & malorum consortium vitare conantur. Dum quispiam se ab aliquo negotio liberum, nec illi plus attendere velle ostendit, dicere solet; ego ablui manus meas, dum enim quispiam multo tempore in aliquo negotio, vel opere persistens, manus postmodum lavat, indicat se non ampliùs velle attendere. Pari modo justi dum peccatores castigatos vident, si primò amicitiam cum iis inierant, jam manus lavant, nec societatem illorum plus desiderant. Ita David testabatur dicens: *Lætabitur justus cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*: aliqui dicunt *lauabit*, idem esse ac festum agent, & delectabuntur, quòd manus suas in sanguine peccatorum lavare poterunt. Alii per *lavabit* intelligunt purificationem operum; usum tamen communem, & modum loquendi sequentes, per *lavabit* intelligunt, cessationem ab opere, quod nimirum non ampliùs illi attendent; sicut Josaphat rex Juda, noluit ampliùs naves suas cum classe regis Israel mittere, quia semper patiebantur naufragium. Psal. 57. 11.

Debita castigatio non tantùm dolet.

39. Licèt denique nullam inde consequeremur utilitatem, considerando solùm quod justè patiamur, illud animum nostrum quietum, ac pacatum reddit, efficitque ut cuncta patienter toleremus: testante quippe

Psal. 106, 42 pe, Propheta regio, *Omnis iniquitas oppilabit os suum*; iniquitas nempe conticere facit, dum enim cognoscis te errasse, & peccasse, dolere non potes, si castigeris. Cato dicere solebat, quod potiùs nollet præmium bonorum operum recipere, quàm non castigari pro malis. Hisce tamen temporibus plurimi reperiuntur, qui justitiam in domo alterius exerceri cupiunt, sed non in domo propria; pauci insuper sunt qui in se illam experiri volunt. Non tamen Redemptor noster dixit: *Beati qui diligunt justitiam*; sed, *Qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Magna est diversitas, inter amorem, famem, & sitim; amor siquidem, non tantùm erga seipsum, verùm etiam versus alios est, quibus aliquod bonum desideramus; sed fames, & sitis, proprio tantùm subjecto inserviunt; nullus quippe famet pro alio; nec in seipso, sitim alterius, sed propriam sentit. Non dicit ergò Salvator; *Beati qui diligunt justitiam*; quia plurimi illam amant, sed in domo alterius, nec sibi illam vellent; sed *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*; qui nimirum illam sibi ipsis applicare volunt, nec alterius punitione lætantur.

Qualis justitia desideranda.

Matth. 5. 6.

Patientia notabilis Mauritii.

40. Ad hoc propositum nostrum utilissimum esse poterit, exemplum Mauritii Imperatoris; cùm enim Caganum Bavarorum ducem oppugnasset, & ex militibus ejus bene duodecim millia captivi mansissent; cogitavit Bavarus lucrum inde aliquod sperare; ideoque illos Imperatori parvo pretio obtulit; sed Imperator avaritiâ seductus, pecuniam exsolvere noluit, unde adversarius indignatus, omnes occidi jussit. Imperator errorem suum recognoscens, audire sibi videbatur sanguinem suorum de terra vindictam clamantem: divinum ergò judicium metuens infirmatus est, & eleemosynas per omnes partes mittens obsecrabat, ut Deum rogare vellent, quatenus in hac vita illum puniendo conservare vellet. Post paucos igitur dies proprius exercitus ab ipso defecit; creatusque est homo vilis, & crudelis Phocas nomine, qui ingenti potentiâ, & audaciâ Constantinopolim veniens, cùm illi Mauritius resistere non posset; cum uxore & filiis vitam salvare procurabat; at à ministris Phocæ præoccupatus, instar vilissimæ personæ, ligatus ante novum Imperatorem cum familia conductus fuit. Phocas ergò crudelitate actus, absque ulla misericordia primò filios, & infantes, postmodum verò uxorem ipsumque interfici jussit; vidit ergò Mauritius ante oculos suos natos uxoremque crudeli morte deficere. Sed quomodo creditis illum tunc fuisse

Qualiter mortem pertulerit.

affectum? Divinæ justitiæ intentus, cuncta tantâ patientiâ pertulit, ut nil aliud protulerit, quàm hæc verba; *Iustus es Domine & rectum judicium tuum.* Volente autem nutrice puerum vivum abscondere, illiusque loco alium substituere, consentire noluit, sed proprium filium occidi permisit. Cùm ergò tribulatione affligeris divinam justitiam invocando dicere poteris: *Iustus es Domine & rectum judicium tuum*; gratias Deo agens quòd in hac vita te punierit, ut in altera misericorditer tibi ignoscat, & præmium laborum in cælis perfrui concedat. AMEN.

Psal. 118. 137.



DISCVR-

DISCURSUS XXXIX.

Tribulationes Deum verum Dominum exhibent; quòd summam consolationem afflictis adferre deberet.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Deus se Dominum esse hominis gloriatur. num. 1. 2. 3.
Non videtur per tribulationem Dominium suum declarare. à num. 4. *usque ad* 13.
Deus per tribulationem verè Dominus agnoscitur. à num. 14. *usque ad* 27.
*Argumentis contrariis respondetur, & Dei absolutum Dominium declaratur. à num.*28.*usque ad* 35.
Dominium absolutum Dei nos consolari deberet. à num. 36. *usque ad finem.*

Titulus Dominii valde insignis.

1. Nter honoratiores titulos, & gloriosiora Epitheta, quibus homo mortalis decorari possit; semper æstimatum fuit dominium, quòd Dominus appellari possit; non dico rerum tantùm insensibilium, & animalium; verùm etiam hominum, civitatum, & regnorum. Alii siquidem tituli, licèt sint sapientiæ, prudentiæ, pulchritudinis aut fortitudinis, naturæ humanæ ornamenta præbere censentur: titulus autem dominii, hominem quasi supra naturam elevans, semi-Deum, aut heroem efficere videtur. Sicut enim qui pecorum, aut armentorum est Dominus, natura, & specie ab illis differt; sic homo, qui hominibus dominatur, non illorum naturæ, sed superioris esse videtur, ac nescio quid divinitatis habere. Scriptura sacra se communi sensui accommodans, illos quandoque Deos appellat, dicens: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat,* & paulò pòst; *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini*; id est, sicut gens plebea, & infima, ita ut à mortalibus principes distincti esse videantur. Nec defuerunt plurimi qui pro talibus haberi voluerunt, ut Alexandri, Caii, Domitiani, Commodi, aliique. Cur, quæso creditis dominia, & principatus tanto fastu ambiri, ut propter illa obtinenda, & conservanda, nec amicitiæ, nec virtuti, nec justitiæ locus detur; cùm

Psal. 81. 1.
Ibid. 6.
Cur Dominium ita appetitur?

cùm nimium apud omnes illud dictum Cæsaris prævaluerit; *Si violandum est jus, regnandi causâ violandum est.* An propter delectationem quam in dominatione reperiunt? quin imò proprio commodo, & delectatione privari oportet, dicente Vespasiano Imperatore; *Imperatorem stantem mori oportet.* An pro vitæ securitate? Multò minus, majoribus siquidem periculis, quàm plebei expositi sunt; quia *Quem multi timent, multos timeat oportet:* & funesti exitus non minùs in mũdo, quàm in tragœdiis, & theatris pro objecto & materia non alios quàm principes habent. Cur ergò dominia desiderata? pro honore, gloria, & fastu quem adferunt.

Principes plus honorem quàm bona æstimant.

2. Quando furiosâ & periculosâ tempestate urgente, quis ad bona propria in mare projicienda cogitur, ut navis alleviata contra tempestuosas undas fortiùs resistere valeat; quod charius, & pretiosius est, sibi reservare conatur. Principes quoque sæpissimè gravioribus casibus, & fluctuantibus hujus maris periculis se expositos vidẽtes, cuncta projiciunt, sed quod charius reservare student, honorem nempe & bonam famam. In Saule præclarissimum hujus rei adest exemplum, cui cùm Samuel ut providus, & expers nauclerus annuntiasset, nullam spem fore periculum evadendi, sed in mari omnia projicienda; *Projecit, inquit, te Dominus ne sis rex super Israel;* quid sibi retinere procurabat? honorem, dixit enim Samueli; *Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus, & coram Israel.* Non pro filiis aut divitiis oro, sed pro honore, & fama, honor principi charior omni aliâ re. Quin imò in tantum se hic respectus extollit, ut Deus ipse videatur magis gloriari, quòd Dominus sit hominis, quàm alia creatura.

1. Reg. 15. 26.

Ibid. 30.

Plus in bonitate morum, quàm divitiis gloriandum.

3. De Cornelia Romana refert Plutarchus, quòd nobili matronæ eam visitanti; & in propriis gemmis, & ornamẽtis glorianti prudenter responderit dicens: ecce gemmæ, & ornamenta mea pretiosa; duos filios moribus optimè instructos demonstrans. Sed quid? Ergóne Cornelia Romanarum mulierum præcipua, Scipionis Africani filia, Sempronii Gracchi uxor nullas habebat gemmas, aut ornamenta? habebat quidem, sed quòd esset filiorum istorum mater, plus quàm cuncta æstimabat: eodem modo dicite Deum homines æstimare. Quadam vice diabolus coram Deo adveniens, gloriari incipiebat, se totam terram possidere; *Circuivi terram & perambulavi eam;* quasi diceret, omnis terra mea est, ideò pedibus illam calcavi. Quid illi respondit Dominus, quidque gloriationi suæ opposuit;

Iob 1. 7.

posuit? Non aliud quàm se esse Dominum hominis unius; *Numquid considerasti servum meum Iob?* (Iob 1. 8.) tu gloriaris te esse Dominum terræ, & ego glorior me esse Dominum hominis unius, qualis est Job. Clariùs idem nobis Isaias exhibet dicens; *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor*; (Isa. 49. 3.) ô quàm admirandum! non gloriatur Deus se hominem condidisse, cælos formasse, terram fundasse, millia millium Angelorum in suo servitio habere; sed quòd dominium habet hominis; *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Cùm Deus ergò in tantum glorietur, se dominum hominis esse; magnus esset tribulationis honor si per illam Deus tale dominium declararet. Videamus ergò si hoc verum esse probare possimus, & quantam consolationem debeat tribulatis adferre.

Differentia inter principes & fures.

4. Ad hoc probandum, & demonstrandum, argumentis contrariis juxta morem hanc conclusionem oppugnantes; dico primò, sicut certum est Deum omnium nostrum esse dominum; pariter nullum efficacius ad hoc cognoscendum videtur esse medium, quàm beneficia exhibere, cunctisque liberaliter subvenire, non autem tribulationes, & afflictiones immittere. Ad hoc probandum, diversitas illa inserviet quæ inter latrones, & dominos est, inter illos enim qui in furando expertior, aut potentior est, etiam à sociis furatur: unde Isaias uni illorum dixit: *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* (Isa. 33. 1.) Sed inter dominos, contrarium accidit, illi siquidem inter se de liberalitate contendunt, qui potentior, aut excellentior est majora dona confert. Taxilis Indiarum rex Alexandro magno ingenti exercitu contra se advenienti prudentissimè annuntiare præcepit; quid juvat armis nos invicem oppugnare? Non hæc vera media reges vincendi sunt, sed dona, & munera; ideoque si rex potentior me sis, munera mitte, & beneficia exhibe, promptè, ac libenter ea recipiam, si autem minor, tibi munificentissima exhibebo: Hæc propositio adeò Alexandro magno placuit, ut relictis armis pretiosissima illi dona transmiserit. Pari modo rex Salomon cum Regina Saba contendit; licèt enim illa ingentia, & superba attulisset dona, ipse tamen eam in donis superare voluit, unde dixit scriptura: *Rex autem Salomon dedit reginæ Sabæ cuncta, quæ voluit, & quæ postulavit, & multò plura, quàm attulerat ad eum.* (2. Paral. 9. 12.)

Potentior majora donare debet.

Insigne dictum Artaxerxis.

5. Artaxerxes magnus Persarum rex, ejusdem quoque opinionis fuit, cùm enim ex natura sua dextram manum sinistrâ haberet longiorem, unde etiam Longi-manus dictus; aliusq; de-

mm fectus

fectui tanto compateretur; quin imò inquit, optimè natura prævidit, quod cùm princeps natus essem, dextera manus largior, & longior in dando esset, sinistra autem restrictior in recipiendo. Ratio autem istius esse potest, quòd magnus dominus, multa possideat bona, convenientius ergò est dare quàm recipere. Ptolomeus Lagi filius idem dicto suo approbabat dicens: *Ditare, quàm divitem esse, convenientius esse principi.* Omnium tamen optimè Propheta regius hoc declaravit dicens: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; nihil à me recipis, sed omnia mihi tribuis. Cùm ergò Deus sit benevolentissimus, & summus Dominus, videtur idem demonstrari debere, liberalitate, & largitione munerum, non autem punitione, & castigatione.

Deus in donis non in tribulatione liberalis esse deberet.

6. Firmiùs tamen idem probemus, ingens est diversitas, inter curam quam aliquis de bonis suis gerit, & inter curam quam alienus gerit. Bonis propriis diligentissimè attendimus; ne quid pereat, aut corrumpatur, alienis autem non ita invigilamus, nil siquidem refert, si non adeò exactè cuncta procedant. Communi Italico proverbio dicere solemus, oculus Domini impinguat equum, & pes ejus terram fœcundat; nullus siquidem minister tantâ providentiâ, aut diligentiâ rem Domini regit, quàm proprius Dominus. Cùm quidam interrogaret Dominum, cur adeò pinguis esset, & bene valeret, equus autem ipsius adeò macer; argutè respondit, quia meipsum ego curo, equum autem curat servus. Nullus tamen meo judicio proposito nostro aptiùs respondit, quàm Crœsus Lydiæ rex; cùm enim à Cyro Persarum rege victus esset, ac milites ejus præcipuam regni civitatem more ipsorum expoliarent; dixit Cyro quid agunt milites, cur per civitatem furibundi discurrunt? Depopulantur, inquit Cyrus, civitatem tuam; nõ meam subjunxit Crœsus, sed tuam, jam siquidem tua, non mea est; quod Cyrus advertens milites ab exspoliatione prohibuit, atque ita misera illa civitas libera evasit.

Argutum dictum Crœsi.

7. Ingeniosè quoque se defenderunt Capuani, cùm enim à Samnitibus populis vicinis & bellicosis malè essent excepti, Romanos sæpè in auxilium vocarunt, in vanum tamen cuncta fuerunt, cùm illi pacem cum Samnitibus initam, rumpere nollent. Sed Capuani omni tandem auxilio destituti, claves civitatis arripientes, Romam miserunt, dicentes, se propriam civitatem dono illis offerre; & si alienam defendere noluissent, propriam saltem defenderent; extunc ergò civitatis propriæ defen-

Si Deus à tribulatione non eripiat, quomodo dominus est?

defensionem arripientes, Capuã à Samnitibus liberarunt. Si Deus ergò nos nõ defendat sed afflictos, ac desolatos permittat; quis dicere poterit eum Dominum nostrum, nos autem servos ejus esse; & non potiùs quòd vendiderit & tradiderit nos inimicis, ut nostri dominaretur? Hæ conclusiones, & propositiones adeò veræ esse videntur, ut Deus ipse volens populum esse afflictum, dicat se non cognoscere pro suo populo. Sic per Oseam dicit populo Israelitico:

Oseæ 1, 9. *Non populus meus vos, & ego non Deus vester*; quasi diceret, nullum à me expectate auxilium, non enim pro meis vos agnosco, nec Deus vester agnosci volo. Sapiens quoq; ut probaret Deum misericordiam omnibus exhibere, dicit omnia sibi propria

Sap. 11. 27. esse: *Parcis autem omnibus quoniam tua sunt Domine.* Ut Moyses Deum ad misericordiam inflecteret, obsecrabat, ut saltem cum

Exod. 34. 9. populo suo progredi vellet: *Obsecro, ut gradiaris nobiscum, & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas*: quasi diceret, expelle, quæso, injustos hos possessores de cordibus nostris, & tu illud possideas; si enim dominus noster eris, fieri non poterit, ut nostri non miserearis.

Res proprias melius defendimus.

8. Nullus tamen meliùs hanc declaravit doctrinam, quàm Salvator noster, qui de officio boni pastoris disserens, ait illum pro defensione pecorum, propriam vitam periculo exponere; mercenarium autem fugere, & Lupum pecora invadentem, relinquere. Sed quæ hujus diversitatis ratio? hanc Christus assignat dicens, quòd Dominus pecora tamquam propria agnoscit, & custodiat, Mercenarius autem ut aliena custodit. *Mercenarius autem cujus non sunt oves propriæ, fugit; quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Quomodo verò Deus nobiscum agit? non tantùm nos in manibus Luporum derelinquit, verùm etiam in medium illorum abigit. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio Luporum.* Quis autem dicet nos hinc potiùs colligere posse, quòd non teneat pro suis, quàm quòd sit verus Dominus noster? De cerva quadam legitur, quòd liberè per Romam transiens, nullus illam attingere auderet; eò quòd in collari hæc verba scripta gestaret; *Cæsaris sum noli me tangere.* Quis autem ignorat, Dei potentiam cunctorum Imperatorum potentiâ majorem esse? magis ergò nos defendere posset, & efficere ne à quoquam feriamur, declarando tantùm nos suos esse. Cùm Arca veteris testamenti, ita peregisse videtur; qui enim illam, ut sublevaret, attingere ausus fuerat, in terram subitò mortuum, corruere fecit. Si hoc ergò nobiscum non agit, signum

Ioan. 10. 12. Matth. 10. 16.

est, nos pro suis non agnoscere.

Ingens malum à Deo derelinqui. 9. Si vineam aut agrum incultum pertranseatis, & antiquos possessores obviam habueritis, dicitis; quid sibi vult vos non ampliùs colere vineam vestram? respondebunt, jam illam vendidimus ideoque curam possessoribus relinquimus. Pari modo David die quadam considerans, quantâ afflictione populus Israel premeretur, nec Deum ullam illius curam gerere; cùm tamen populus ille aliâ vice vinea electa vocatus esset, de quâ dictum; *Vineam de Ægypto transtulisti*, cogitavit Deum illam vendidisse, dixitque; *Vendidisti populum tuum sine pretio*: quasi rem vilem nullo pretio æstimabilem vendidisti Domine hunc populum tuum. Patriarcha Jacob ejusdem opinionis se exhibuit dum de domo sua exiens dicebat: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Ingens certè votum, si, inquit, me bene exceperit, & omnia largitus fuerit, instar Dei adorabo eum: ergóne credis Jacob Deum adorationem suam vendere? aut adeò ambitiosum esse, ut si à te adoretur, velit tibi omnia subministrare? si autem cum Deo pactum incas, erit quasi divinitatem ejus ludibrio exponere? Non est credendum Jacob voluisse cum Deo pactum inire, nec voluisse tale quid credere, licet nihil à Deo obtinuisset. Sed dicere voluit, in hoc cognoscam illum Deum meum esse, & me pro suo servo recipere, si mihi omnia necessaria subministraverit, cùm hoc sit proprium dominorum officium, sicut servorum est ministrare.

Psal.79. 9.

Psal. 43.13.

Gen. 28.20

Quale votum Iacob emisit?

10. Hoc argumentum quod Jacob formaverat Deo non displicuisse, de facto apparuit; nō tantū siquidem Deus effecit, quod Jacobo nihil deesset, verùm etiam cuncta abundarent, & dives efficeretur. Illud quoque notasse videtur, dum in patriā revertens, Jordanem transibat dicens: *In baculo meo transivi Iordanem istum, & nunc cum duabis turmis regredior.* Hoc bene advertens Psalmista ait, *Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus.* Sed cur potiùs Deum Jacob, quàm Deum Abraham nominat? quia Jacob hoc pactum cum Deo inierat, probaveratque quàm sibi in extrema necessitate profuisset. *Iacob cuncta bona à Deo percepit.*

Gen. 32.10.

Psal. 145.5.

11. Dico insuper castigare, & punire numquam actionem domino aut principi dignam judicatū fuisse. Aristoteles in sua politica ait, officium principis, ac domini esse, gratias, ac beneficia conferre, ideoque suâ manu distribuere debet; sed castigationes ac pœnas, aliis relinquere infligen- *Punitio non est Deo propria.*

infligendas: Artifex numquam absque instrumentis suæ artis esse solet, faber numquam sine malleo, barbitonsor sine forcipibus, pictor sine penicillo aut coloribus; qui verò nullam artem profitetur, numquam instrumenta defert, aut in domo retinet. Vultis modò cognoscere non esse Dei officium castigare impios? Nulla secum instrumenta retinet, sed dum id efficere cupit aliena instrumenta sibi præstare facit: sic testatur Isaias

Isa. 7, 20. dicens: *Radet Dominus in novacula conducta.* Hac metaphorâ solent Prophetæ castigationes divinas indicare; sed quo instrumento has infliget? An proprio? non, quia nullum retinet, sed mutuò accipiet. Quandoque etiam conqueritur quòd non reperiat mutuò accipiendum, di-

Isa. 27. 4. cente Isaia: *Quis dabit me spinam, & veprem?* quis mihi spinas & tribulos concedet, ut vineam meam castigare possim?

Cur rex apum, non habeat stimulum.

12. Natura quoque idem ostendit ideoque notant graves auctores, regem Apum nullum habere stimulum, vel aculeum ut lædat, licèt sit aliis corpore grandior & pulchrior; natura siquidem per hoc indicare voluit, regium non esse punire, aut castigare. De his ita Seneca ait:

Seneca lib. 2. de col. cap. 19. *Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt Apes, & aculeos in vulnere relinquunt, rex ipse sine aculeo est; noluit illum natura sævum esse, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit; exemplar hoc magnis regibus ingens.* Nec minùs eloquenter eodem regis exemplo ad hoc propositum probandum, S. Ambrosius utitur, licet diversimodè dicat. S. Ambrosius dicit illum habere stimulum, sed nullo modo uti;

S. Ambros. lib. 5. Examer. c. 21. *Apibus rex, naturæ clarioribus formatur insignibus, ut magnitudine corporis præstet, & specie; tum quod in rege præcipuum est, mansuetudine; nam & si habeat aculeum, tamen eo non utitur ad vindicandum. Sunt enim leges naturæ, sunt scriptæ litteris, sunt impressæ moribus, ut leviores sint ad puniendum, qui maximâ potestate potiuntur.*

Regnum arbori spinosæ malè distributum.

13. Jonadab volens ostendere Sichimitis, illos pessimè fecisse coronando in regem Abimelech; fabulam illis enarravit dicens, arbores voluisse sibi regem eligere, cumque omnes interrogassent, nullus illud officium assumere voluit, præterquam rubus; quasi diceret, non videtis quod inter arbores, spinosæ sint viliores, aliisque ignobiliores? quanta enim foret arborum stoliditas, in regem eligere, quæ spinis undique pungentibus, crudelitate, & asperitate excelleret. Cùm autem fabulas proferre cœperimus, aliam vobis ex Poëtis adducam, quâ cognosceris illos quoque ejusdem fuisse opinionis; quòd illis nimirum cui sceptrum & corona de-

betur liberalitas quoque congruat. Finguntergò, dum Athenienses civitatem suam extruxissent, duoque Dii Neptunus, & Minerva pro dominio, & patrocinio certarent; Athenienses concilium inierunt, decreveruntque illum futurum, protectorem, & dominum, qui majora beneficia patriæ attulisset.

Tabula Neptuni, & Minervæ. Ad probationem ergò deventum est; & Neptuno tridente suo terram percutiente insignis equus maxima cum admiratione egressus est. Prodiit deinde Minerva, & illa terram percutiente, viridem Olivam prodire fecit. Licèt quoque videretur donum Neptuni majus esse; cùm tamen Oliva signum pacis, & clementiæ esset, ac hominibus plurimum utilis; equus autem symbolum belli, Neptuno Minerva prælata fuit. Salvator denique in Evangelio demonstrat proprium dominorum officium esse, beneficia conferre; dicit enim; *Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Luc. 22, 25. Sed cur non potiùs vindicativi, terribiles, & justi? quia putant in nomine beneficii dominium includi, ita ut tantum sit dicere beneficium ac principem, cùm beneficum conferre proprium sit principis. Meritò etiam idipsum dictum fuit, verum siquidem dominium in corda habetur. Sed quomodo hoc habetur, nisi beneficia largiendo? Nota siquidem & approbata sunt communia illa proverbia; *Qui beneficium accipit libertatem vendit. Qui beneficium invenit compedes invenit.* Dicit insuper Salvator; *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Act. 20. 35.

14. Insignes certè sunt hæ rationes, videnturque aliquid velle efficere, & probare; sed recordor Aristotelem docere, debilitatem cerebri esse, experientiam propter rationem relinquere; hic autem rationibus allegatis, experientia contraria est; de facto siquidem patet, quod in prosperitate vix recordemur Dei nostri nec illum pro Domino agnoscamus: dum autem infirmitate, aut tribulatione opprimimur, subitò Deum cognoscimus & invocamus, dicente propheta; *In tribulatione sua mane consurgent ad me:* & Psalmista de populo Hebræo ait; *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur; & diluculò veniebant ad eum:* ut diligentes, & vigilantes famuli, dominum suum primo mane convenerunt, ut scirent, quid placitum illi fuisset. Si Ludimagister infantes semper bonis verbis exciperet, illisque ablandiretur, vix aut numquam bene addiscerent; sed timore pœnæ, & verberũ studia sua optimè prosequuntur. Nos omnes hîc quasi infantes sumus, de hoc quippe statu dicebat Apostolus; *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo.* Quæ scientia nobis

An rationes sint sufficientes?

Oseæ 6. 1.

Psal. 77. 34.

Castigatio diligentem reddit.

Ad Galat. 4. 1.

nobis addiscenda? Deum timere, & illum pro Domino agnoscere: dicente Psalmista; *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos*; & Sapiens. *Timor Domini disciplina sapientiæ.* Quomodo hæc addiscitur? bonis verbis, & adulationibus? nequaquam, sed verberibus, & rigore; teste Psalmista: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine*: fac ut castigentur, & confundantur, tuncque incipient revolvere Calepinum aliosque libros, ut nomen tuum invenire, & addiscere possint. Quodnam est hoc nomen quod invenire debent? illud de quo Psalmista ait: *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus*: ut verum Dei dominium in se agnoscant.

Psal. 33.12.

Prov. 15.33.

Psal. 82, 17.

Ibid. 19.

Servi verberibus boni redditi.

15. Insigne hujus rei exemplum, in Spartanis agnoscimus, qui virtutem virgæ optimè agnoscebant; ideoque certis temporibus servos verberibus excipiebant, licèt non peccassent, ut dominium & servitutem agnoscerent. Herodotus de Scytis refert, quod cùm diutiùs extra patriam bella gessissent, servi qui domi remanserant, se bonorum dominos constituerant; cùm ergò Scythæ revertentes quiescere sperabant, crudelius bellum repererunt; servi siquidem ferro armati illis obviam processerunt; nec umquam eos devincere potuerunt, donec quidam sapientior bonum illis consilium tribuit dicens; recordamini hos servos esse, nec convenire tamquam nobiles excipi, contra eos bella gerendo, aut ferro dimicando, sed ut servos excipi debere, fustibus eos cædendo. Hoc consilium cunctis placuit, ideoq; executioni mandatum, sperata victoria secuta fuit; servi siquidem Dominos suos fustibus armatos videntes, præteritorum verberum recordati, non ampliùs resistere valuerunt. Si igitur homines eos, quos oculis vident, quandoque dominos non agnoscunt, nisi verberibus adigantur; quid mirum si Deus invisibilis, quandoque hoc medio utatur, ut pro vero Domino agnoscatur? Sæpius divini verbi gladio, & bombarda amoris sui utitur, ut corda rebellium ad se trahat; sed hæc non sentiunt, nisi virgâ indignationis arreptâ, tribulatione eos premat, tuncque, *Cognoscetur Dominus judicia faciens*: teste Davide; quia hæc plus quàm ferrum potest.

Psal. 9.17.

16. Ad probandum autem magis castigationem, quàm beneficia valere, insigne adducemus Romanorum exemplum. Dum Porsenna Etruriæ rex Romam obsideret, eamque ad extremitatem redegisset; nobilis quidam juvenis, vitam propriam saluti patriæ postponens, incognitus exercitum inimicorum adiit, regem inimicum manu

Insigne exemplum Mutii Scevolæ.

nu suâ obtruncaturus: quò cum eo tempore rectè pervenisset, dum militibus solutionem tribuerent, suspicatus illum regem esse, qui pecuniam distribueret, illum occidit; sed deceptus fuit, cùm thesaurarium ejus interfecisset. Sed quando verum regem agnovit? dum ante illum conductus, ut puniretur, ubi tantum doluit, ut commissum errorem expiare volens, dextram in ardentibus flammis absque ullo doloris signo constanter tenuerit. Tormenta ergò & castigationes multò melius quàm beneficia verum Dominum agnoscere faciunt.

Tribulatio verum dominum exhibet.

17. Clariùs hoc probatum erit si experientiam quotidianam adhibeamus; quandoque servi antiqui qui multo tempore in domo habitarunt, adeò sunt audaces, & familiares, ut cuncta ipsis licere videantur; omnibus præcipere volunt, nullum ferè agnoscunt Dominum. Quodnam remedium ad hos abusus tollendos? Illos humiliare, aliis administrationem tribuere, & impedire ne jussa illorum exequantur. Pari modo in domo Dei accidit; nos omnes servi Dei sumus. *Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis*; aliquibus Deus ut administratoribus utitur, qui aliis imperant, sed quandoque adeò insolentes evadunt, ut nec Deum ipsum agnoscere velint; quidnam remedii ut hoc emendetur? illos commoditate, & administratione illâ privare. Talis servus fuit Nabuchodonosor, qui gloriabatur dicens: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Dicit ergò Deus nimiùm sibi ille arrogat, non recordatur se ministrum meum esse; auferamus ab illo administrationem, mittamus illum extra domum cum feris, tuncque addiscet, quid sit cognoscere Dominum. *Donec scias, quòd dominetur excelsus super regnum hominum.* Cùm Deus Ezechielem prophetam suum populo Israelitico mittere vellet, ut castigationes prædiceret; apparuit illi in forma majestatis suæ; supra thronum nempe à quatuor animalibus protractum, à Leone, Aquila, Bove, & Homine, quæ sunt reges cunctorum animalium. Leo animalium quadrupedum silvestrium; Aquila avium; Bos domesticorum & Homo cunctorum in genere. Quasi diceret modò demonstrabo me regem regum, & dominum dominantium, dum effecero ne peccatores à castigatione liberi evadant.

Ioan. 13. 13.

Dan. 4. 27.

Ibid. 22.

18. E contrà autem cùm Deus non se indignatum exhibeat, sed cuncta mortalium peccata patienter sustineat; multi occasionem sumunt, illum non pro Domino cognoscendi, sed magis

Cur Adam faciliùs quàm Eva peccavit?

magis offendendi. Id rectè notat Tertullianus de patientia loquens, dicit enim Deum esse adeò patientem; *Vt sua sibi patientia detrahat; plures enim Dominum idcircò non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.* Quam creditis fuisse occasionem, cur Adam tam faciliter Deum offenderet? Consideratione certè dignum, diabolum ut Evam deciperet, omnem adhibuisse industriam, & malitiam, formam serpentis accipiens, diu Evam affatus est, suisque deceptionibus, & illusionibus eò tandem adduxit, ut ex pomo vetito manducaret. Ut autem Adamum sapientiorem, & fortiorem Evâ ad peccandum adduceret, non tanto stratagemate opus erat; cùm primâ oblatione ab Eva factâ, pomum vetitum acceperit, & comederit: dicente sacrâ scripturâ; *Deditque viro suo, qui comedit.* Fragilis ergò & muliebris fortitudo validissimis principis tenebrarum ictibus vix dejicitur, & fortissimum Adami castrum primo ictu brachii muliebris ad terram projectum est. Quid sibi vult hoc? An tentatio muliebris tantò valentior, quàm diabolica; ut quod diabolus longo discursu acquisivit, mulier subitò absque ullo discursu acquirat? Vel quia tantò potentius est exemplum, quàm verbum; ut quod subtilissimâ argumentatione Satanas consequi debebat, subitò malè operando persuasit Eva? An fortè totum virtuti amoris tribuendum? cùm enim Adam summoperè Evam amaret, facillimum fuit ab illa decipi permitti, ut persuaderet illi cuncta quæ vellet: cùm verò inter Evam, & serpentem, non tanta esset conjunctio, non adeò facile fuit ut ipsi fidem adhiberet, aut permitteret se persuaderi ab illo? Tentatio Adami, instar veneni vino immixti fuit, quod faciliùs ad cor descendit, & mortem adfert. Illa verò Evæ ut venenum cibo immixtum, quod diutiùs in stomacho hæret; hæ responsiones sunt cunctæ bonæ, & proposito nostro convenientes.

Tertull. lib. de patient. c. 2.

Gen. 3. 6.

Tentatio muliebris fortior diabolica.

19. S. Augustinus aliam intento nostro mirabiliter conformem reddit dicens; minatus fuerat Deus primis parentibus nostris mortem, si ex pomo vetito comedissent; Eva manum extendit, & comedit, non tamen moritur, nec infirmatur, nec ullo modo reprehenditur aut punitur; quid mirum ergò si Adam se decipi permittat ut etiam comedat; *Nec suaderi,* inquit S. Augustinus; *tam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat.* Quasi diceret, nullâ arte rhetoricâ oportebat Evam uti, cùm taciturnitas & patientia Dei adesset, quâ peccatores se decipi permittunt. Quin imò, inquit Cajetanus, ipsamet

Spes impunitatis occasio peccandi.

S. August. lib. 11. de Genes. ad litter. c. 30.

ipſamet Eva auſa fuit Adamum ſollicitare, videns ſe nullum malum ex tranſgreſſione paſſum fuiſſe: *Mulier*, inquit, *nil mortis, nihilque mali in ſeipſa ſentiens, animi æquior efficitur, ad perſuadendum marito, ut comedat.* Patientia ergò Dei cum peccatoribus, occaſionem illis præbet, ut bonitate ejus abutantur, & ab ipſo deficientes, illum pro vero Domino non agnoſcant; caſtigationes autem ſunt boni magiſtri ut doceant nos illum pro vero Domino agnoſcere.

Deus per tribulationem cunctarum rerum Dominus.

20. Nec per tribulationem ſolummodo Deus corporum noſtrorum, verùm etiam cunctarum rerum noſtrarum Dominus cognoſcitur; dum alicui pecuniæ ad cenſum tribuuntur; tamdiu illi permittuntur, dum illud beneficium recognoſcens cenſum impoſitum perſolvit; ſi autem ſolutionem, aut debitum negat, capitali ſummâ privatur. Nos cuncta poſſeſſa, à Deo recepimus; ſed quomodo? ad cenſum, nam animam quoque ipſi reddere obligamur; ideoque
Luc.12.20. de malè ſolvente dicitur; *Hac nocte animam tuam repetunt à te*; de bono autem ſolvente ait Pro-
Pſal. 23.4. pheta; *Non accepit in vanum animam ſuam*; quaſi diceret, non ſine fructu aut otioſas tenet pecunias ſibi creditas, ſed in illis negotiatur, & cenſum ſolvit. Negligenti autem in ſolutione, quid Deus efficit? aufert totum quod illi tradiderat, ſicut per Oſee
dicit; *Hæc neſcivit quia dedi ei fru-* Oſeæ 2. 8.
mentum, vinum, & oleum; *idcircò revertar, & ſumam frumentum meum*; quid inde ſequetur? tunc recognoſcet quid à me acceperat: *Et erit in die illa, dicit Dominus,* Ibid. 16.
vocabit me vir meus. Hujus doctrinæ tribulatio adeò inſignis eſt magiſter, ut ſubitò illam alios edoceat. Accidit quandoque principem Architecto committere, ut thronum perficiat, cumque ſit inſignis & perfectus in arte ſua, diutiùs tamen inhærens, vix tandem ultimam apponit manum; unde princeps tædio affectus, alteri perficiendum tradit, qui citiùs licet imperfectiùs abſolvit. Pari modo Deus noſter ſummoperè lætatur in nobis regalem efficere thronum, quia, *Anima juſti, ſedes eſt ſapiētiæ*; primò ergò miſericordiæ utpote perfectiſſimo magiſtro illum efficiendum committit, quæ illum auro divini amoris, & virtutum gemmis inſigniter adornat; ſæpius tamen accidit, quòd quantumvis operetur, nil tamen efficere videtur, ſed cuncta in præparatione tranſiguntur. Quid tunc efficit Deus? Video, inquit, hunc magiſtrum opus ſuum parum promovere, alium vocemus, qui citiùs illud abſolvat; qualis hic erit? tribulatio, quæ vix opus inchoabit, quin ſubitò perficiet.

21. Hanc concluſionis noſtræ

veritatem,

Timore magis quàm amore adducimur. veritatem, exinde facilè probabimus, quod dum de misericordia agitur, ut solium præparet, in tempore futuro Deus loquitur, teste Isaiâ Prophetâ; *Isa. 16. 5.* *Præparabitur in misericordia solium ejus.* Dum verò de tribulatione, & castigatione loquitur, non tantùm in tempore præsenti, verùm etiam, in præterito loquitur, quasi opus jam perfectum esset: *Psal. 9. 8.* sic David ait: *Paravit in judicio thronum suum.* Hoc experientiâ quotidianâ clariùs elucescet; quotidie nos Deus beneficiis suis onerat; vitam, sanitatem, prosperitatem, & cunctarum rerum abundantiam donat, an idcircò pro Domino agnoscitur? An ideò illum diligere, nec umquam offendere conamur? Quin *Deut. 32. 15* imò contrarium accidit; *Incrassatus est dilectus recalcitravit.* Si verò tribulatio, gravis infirmitas, aut persecutio adveniat; ecce subitò ad Deum recurrimus; hinc in Evangeliis non legimus prosperos, & divites ad Deum accessisse, ut gratias pro bonis agerent; sed infirmos, leprosos, tribulatos, & variis calamitatibus afflictos, ad eum perrexisse, & dominum ac præceptorem illum cognovisse, & prædicasse, qui poterat omnibus præcipere, etiam perversis. Centurio id cla- *Matth. 8. 9.* rè confirmabat dicens: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic vade, & vadit*; si ego videlicet qui alios superiores recognosco, servos habeo *Deus per tribulationem absolutus Dominus.* quibus præcipere possum, ut vadant in hunc, & illum locum, & subitò vadunt; quantò magis, tu Domine, qui supremus mundi princeps, & cunctarum rerum absolutus es Dominus, poteris infirmitati servi mei præcipere ut desistat, & recedat ab eo? S. Paulus ante Apostolatum, optimè hanc tribulationis doctrinam intellexit; cùm enim in Damascum pergens, ex equo dejectus, & à cælo reprehensus fuisset, subitò dixit; *Quis es Domine?* *Actor. 9. 5.* nónne sciebat quocum loqueretur? si ignorabat, quomodo illi talem titulum tribuit, ut Dominum vocet? Dum personam insignem optimè ornatum, & servis comitatum vides, licet non cognoscas, honore tamen dignum judicas? si quoque illum alloquaris nónne Dominum vocabis? Omninò. Meritò igitùr S. Paulus videns se ex equo in terram projectum, licèt non sciat quis illud efficiat, Dominum tamen vocat? *Quis es Domine?*

22. Nec Dominum tantùm *Supremus Dominus agnoscitur.* hìc se Christus exhibet, sed Dominum absolutum, independentem, & supremum. Domini inferiores, superioritatem agnoscentes; non cuncta efficere possunt, sed quod tantùm per leges, & statuta illis conceditur; aliàs ab illis appellare licet, & alibi condemnari possunt. Pilatus

tus cùm solùm esset judex, nec supremus Dominus malè respondit Salvatori nostro dicens: Joan. 19.10. *Potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te:* judex siquidem pro suo arbitrio nullum reum condemnare, aut dimittere potest; sed si culpabilem reperit condemnare debet, si innocentem absolvere. Deus è contrà qui Dominus verus, & absolutus est, vitam, & mortem largiri potest; divitem, & pauperem, felicem, & infelicem efficere, ut ipsi placuerit; nec ullus ipsi dicere potest cur ita facis, aut rationem illius redde. Propheta Job id rectè intelligens, optimè dicebat: Iob 12. 18. *Baltheum regum dissolvit, & pracingit fune renes eorum*; Baltheus illo tempore signum regale erat, unde per hunc depositio regis intelligitur.

Deus per tribulationem cordium Dominus.

23. Dico insuper per tribulationem Deus mirabiliter cordium nostrorum Dominus intelligitur; cùm enim illa maximè inclinationi nostræ sit contraria; si tamen libuerit, summâ patientiâ à nobis tolerari efficit. Per plateas quandoque incedendo canes plurimùm latrantes reperies, vel quia ab aliis fuerint offensi, vel quia peregrinos videntes, illos invadere volunt, putantes latrones esse: si autem alii eos compescere velint, multò magis oblatrant; Dominus tamen si præsens sit, solo signo obmutescere curat; quod astantes videntes, colligunt illum dominum esse. Pari modo dicite hos duos appetitus nostros, concupiscibilem, & irascibilem duos canes latrantes, & voracissimos esse; *Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem*: Isa. 56.11. dum tribulationem voluptatum illarum inimicum vident, quantum oblatrant, murmurant, & lamentantur; vellent illam in fugam convertere, nullo modo quiescere possunt; sed quis illos compescere, quis illos refrænare novit? non alius quàm Deus noster dicente Jeremiâ Prophetâ; *Dominus Deus noster silere nos fecit*; Ierem. 8.14. Deus est qui in medio tribulationum patienter nos cohibere sinit, ideoque pro vero domino illum agnoscimus. Quid in ecclesiæ surgentis exordio majorem vim ac vigorem gentiles convertendi habebat, quàm videre tantos martyres & tenerrimas virgines maxima pro Christo perferre tormenta? per hoc verum illum Dominum cognoscere poterant, qui tantam illis tribuebat patientiam, ut tormentis ac naturâ ipsâ superiores efficerentur.

24. Valerius Maximus insignem enarrat casum, quod duabus civitatibus Chartaginâ nempe, & Cyrene inter se contendentibus de confinibus, & terminis eorum; in hoc tandem simul convenerunt, ut duobus ju- Valer. Max. lib. 5. cap. 4. n. 4.

Contentio confinium qualiter terminata?

venibus

venibus ex unaquaque civitate eodem tempore discedentibus, ibi confines & termini essent, ubi se mutuo convenirent. Tempore statuto adveniente, ex parte Carthaginensium duo fratres Fileni dicti constituti fuerunt; qui vel cursus velocitate, vel horam prævenientes, vicinius Cyrenæ, quàm Carthagini alios convenerunt; sed Cyrenenses hoc fraudi attribuentes, nec cedere volentes terram quam alii præveniendo eripuerant; post multas contentiones, in eam devenêre sententiam, ut si fratres Fileni vivi eo loco sepeliri vellent, ubi alios præveniendo occurrerant, terram, & rationes eorum cederent. Hac conditione hilariter à duobus fratribus acceptâ, & vitam illis pro patria exponentibus, ac tanto tempore abbreviantibus, ut patriæ terminos elongare possent; morte obtinuerunt, quod cursu obtinere pacificè non potuerant. Licèt quoque corpora eorum terrâ manserint cooperta, perpetuâ tamen gloriâ nomina illorum inter fratres, & posteros viguerunt; atque in gratitudinis signum, duo altaria nominibus illorum insignita à patria erecta fuerunt, quæ Aræ Filenorum dictæ: significantes vel quod illi pro patria se sacrificaverant, aut quod patria illis promerita sacrificia offerebat.

25. Eodem modo dicere possumus, Deum terminos Ecclesiæ suæ dilatasse, contendebat ipse cum gentibus, & Synagoga Hebræorum; pro hac Scribæ, & Pharisæi; pro illis Philosophi, & Imperatores; pro Ecclesia currebant Apostoli, aliique prædicatores: hi velocissimi exstiterunt, ita ut de illis Isaias Propheta dixerit: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Unde confines gentilitatis, & Judææ anticipantes intraverunt; non tamen idcircò cesserunt, sed diabolicis artibus, & fraudibus cursum illorum adscribentes, dixerunt; in hoc cognoscemus cursum vestrum legitimum extitisse, si exquisitis tormentis mortem oppetieritis, aut vivi defossi fueritis. His autem alacriter dictam conditionem admittentibus, S. Ecclesiæ excellentiam morte suâ stabilierunt, & terminos ejus adeò dilataverunt; ut Capitolium Vaticano; corona imperialis mitræ; sceptrum, pastorali; Imperator, summo Pontifici; thronus regalis, Apostolico sepulchro, cedere debuerit. Sicut enim vix ulla est terra, aut regio quæ sanguine martyrum conspersa non fuerit; ita vix ullus est locus, ubi dominium, & potentia Christi non extenditur. Meritò ergò ait Tertullianus; *Christi regnum, adversùs Iudæos, & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur,*

Contentio Ecclesiæ & Synagogæ.

Isa. 60. 8.

Tertull. lib. advers. Judæos cap. 7.

tur, omnibus rex, omnibus judex, omnibus Deus, & Dominus est.

Ecclesia persecutione crevit.

26. S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone ait, accidisse regno Christi, id est Ecclesiæ ejus, quod vineis accidere solet; sicut enim illæ, quò meliùs putantur, magis sunt fœcundæ, & crescunt; ita Ecclesia quò magis fuit afflicta, ac membra ejus morte concisa; magis excrevit, & dilatata est; *Vineæ,* inquit, *putatione ad ubertatem provocantur, Ecclesia persecutionibus crescit.* S. Leo Papa idem elegantiùs explicat dicens: *In suppliciis, & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplis.* Alio quoque modo in tribulatione patet dominium quod Deus in corda nostra obtinet; per zelum nimirum quem gerit ne alius illa occupet. Si princeps insigne exstruxit palatium, & videt alium possessionem & habitationem ejus occupare; indignatus, vi illum ejicit; pari modo, cur creditis Deum qui corda nostra ad delitias suas particulares exstruxit; *Qui finxit sigillatim corda eorum*; quandoque nos honore, dignitate, amicis, & bonis privare? Videt nos indebitè habitaculo cordis nostri uti, unde indignatus nos inde ejicit. Nónne verum est te unicum filium, aut amicum habentem, non aliud in corde tuo versari, quàm quomodo illum conservabis? Ideoq; Deus indignatus, ut cor tuum quietum, & sibi addictum redderet, illum tibi abstulit; *Cupiditas,* inquit, S. Urbanus Papa; *dum ingerit transitoria, abscondit æterna, & dum foris posita conspicit, intra se latentia, non introspicit, & dum aliena quærit, sectatori suo semetipsum reddit alienum.* Vim objectorum extraneorum, optimè Seneca cognoscens dicebat: *Rebus hujus sæculi non me trado, sed commodo*; Deus autem non tantùm vult quod te creaturis dones, & servum illarum te efficias; verùm etiam ne te illis commodes, cùm res commodatæ non ampliùs vero Domino inserviant, sed illi cui commodantur; Deus autem sibi soli serviri cupit, omni tempore, & loco: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Deut. 6. 13.

S. Justin. in Dialog. cum Triphone.

Cor Dei habitatio.

Psal. 32. 15.

Deo cor tribuendum.

27. David optimè naturam Domini sui recognoscens, dicebat: *Servus tuus sum ego*; sed quid magni ais ô David; S. Ambrosius respondet, eum rectè dicere, quia valde pauci sunt qui cum Domino dicere possunt; *Servus tuus sum ego.* Non hoc avarus dicere potest, non hoc ambitiosus, non luxuriosus, non sensualis, quia suis cupiditatibus, & voluptatibus inserviunt. Ne, quæso, ex his simus, quibus omne servitium vile, & ignobile est; sed serviamus Domino ex toto corde; *Cui servire regnare est;* Ps. 118. 125.

est; quod eleemosynis elargiendis probare poteritis.

SECVNDA PARS.

An principi magis conveniat castigatio, quàm præmiatio?

28. NEgari non potest, quin castigatio sit signum dominii; sed totius quæstionis difficultas in eo sita est, utrum castigatio sit excellentior quàm præmiorum largitio; cùm in his duobus velut in duobus polis dominium regatur, quę sunt veluti duæ manus à principe versus subditos extensæ. Denuò igitur affirmare audeo, proprium esse principis, & majus dominii signum, castigare, quàm præmiare, pœnas infligere, quàm bona tribuere. Ratio hujus rei est, quia in donatione non requiritur aliud dominium, quàm donatio rei; in castigatione autem requiritūr jurisdictio circa personam. Princeps potest dona mittere, etiam non subditis, & populi vicissim principi solemnitates & festa exhibent, arcus triumphales erigunt, vexilla exponunt, statuas collocant: castigationes autem numquam infligere possunt. Adjungamus quoque principes in signum auctoritatis & dominii gladium non bursam ante se deferre; antiquitus quoq; Consules ante se virgas, & scuta deferri curabant, non autem monilia aut torques aureas. Apud Turcas etiam modò in usu esse perhibetur, ut dum aliquis regni possessionem accipit, in signum dominii quempiam capite plecti jubet. Ex hac consideratione S. Jeronymus aliique tantò amplificant miraculum illud quo Christus vendentes, & ementes templo ejecit; ubi siquidē in aliis se elementorum, aut rerum inanimatarum Dominum exhibebat, in hoc se Dominum actionum humanarum ostendebat, in quo insuper dominium hominis in animalia irrationalia magis ostenditur, quàm in potestate quam homo circa illa exercet; illa castigando, aut occidendo, juxta beneplacitum? Cùm Adamo & Evæ Deus dixisset; *Dominamini piscibus maris, & bestiis terræ*; Noë postea virtutem hujus sententiæ explicando dixit: *Terror vester, ac tremor sit super omnia animantia terræ.* Gen. 1. 28. Gen. 9. 2.

Castigatio signum Dominii.

Donorum duo genera.

29. Sed concedamus dona, & beneficia signa dominii esse; advertendum est, duo esse horum genera, quædam obligationem annexam habent, ut sunt gubernationes, administrationes, aut præfecturæ; alia quæ meram tantùm rationem doni habent, ut sunt munera, monilia, torques vel alia similia. Sed horum duorum quæ magis sunt principi propria? absque dubio prima, gubernationes provinciæ, præfecturæ, primatus &c. Sed hæc nónne obligationem majorem habent? nónne desiderabilius

derabilius beneficium absque obligatione habere; sicut enim caro sine ossibus, ita beneficium absque pensione, aut obligatione? nequaquam, sed magis æstimatur cum obligatione, quia majorem honorem, & dignitatem secum adfert, nec hoc nisi à principe datur. Tribulationes quid esse creditis? beneficia secundi generis sunt, sunt onera & obligationes, ideoque toties in Prophetis legimus; *Omnis Ninive, onus Babylonis*; sunt privilegia quæ nobilibus dantur, ideoque magis quàm alia dona æstimanda, quia torques aureæ, aut monilia, ab inferioribus portari possunt; sed ordines militares nemo suscipere potest, nisi nobilis; unde eques auratus tunc vocari potest, magisque sunt æstimanda, quàm alia beneficia obligatione carentia & propriùs sunt dona principis. Tales autem tribulationes esse probatur Salvatore ipso dicente, & plurima promittente his qui pro ipso aliqua reliquerint: *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies, tantum, nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus.* Nónne videtis dum de præmio, & mercede agitur, promitti persecutiones? Scitis quare? Ut cognoscatis, hæc dona cum obligationibus esse, ideoque nobiliora, & digniora, & chariora principatus signa.

Plus æstimanda cum obligatione.

Marci 10. 30.

30. Sed quid dicitis, Dominum curam habere debere, rerum, ac personarum sibi subjectarum, nec permittere ut affligantur? Quin imò dico nullum esse meliorem modum quàm per tribulationem. Providus Pater-familias ut vinum conservet, illud in principio hiemis in alia vasa transfundi curat. Si vinum intellectu præditum foret, multum contristaretur, quia ex brachiis maternis illud auferentes, & charâ patriâ & lecto privantes denuò omnino conturbant, unde oportet illud aliquot diebus requiescere antequam primam quietem obtineat. Omnia tamen fiunt ut meliùs conservetur, & perficiatur; alioquin tempore caloris facillimè corrumperetur, aut malo odore inficeretur. Pari modo Deus nobiscum agit, commoditatibus, & voluptatibus privat, statum mutare cogit, persequitur, & tribulat; licèt enim conqueramur, & contristemur, ita tamen convenit, ut conservemur à calore prosperitatis, ne corrumpamur, & hujus mundi inquinamentis & fæcibus inhærendo, malum infamiæ odorem reddamus. Non hæc similitudo à me conficta, sed à Jeremia Propheta longè ante allata: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requie-* Ierem. 48. 11.

Tribulatio cuncta bene regit.

vit

vit in fæcibus suis, nec transfusus est, de vase in vas, idcircò permansit gustus ejus in eo, malus videlicet, *& odor ejus non est immutatus.* Dum ergò te affligit, signum est quòd bonam curam tui habeat, omnia siquidem moventur, agitantur, purgantur, ut conserventur & perficiantur.

Tribulatio sigillum Dei.

31. Dico insuper qui rem aliquam sub sigillo claudit, nónne illam optimè custodire dicitur? Sed quid tribulationem esse creditis? Sigillum Dei, quia *Flagellat omnem filium quem recipit.* De hoc sigillo gloriabatur Apostolus dicens: *Ego stigmata Domini mei Iesu Christi, in corpore meo porto:* per illa ut verus servus ejus agnoscor, ideo, *Nemo mihi molestus sit;* cùm omnes videant me servum omnipotentis Dei esse. Quid dicitis pastorem pecora sua à Lupis defendere? verum est, sed quomodo? non permittendo ut ubicumque vagentur, & juxta beneplacitum discurrant, sed in ovili reclusas continet. Pari modo Deus nobiscum agit, ne à lupis infernalibus deglutiamur, per tribulationem à periculosis pascuis coërcet, & in custodia præceptorum suorum nos retinet.

ad Hebr. 12.7.

ad Galat. 6. 17.

Zach 11.7.

Quid per duas virgas intelligitur?

32. Propheta Zacharias hanc Domini mentem optimè intellexit dicens: *Aßumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum, & pavi gregem meum.* Per has virgas expositores benignitatem, & castigationem divinam intelligere solent; illam per decorem, hanc verò, per funiculum. Hi sunt duo modi quibus Deus gregem suum pascit; non tantùm quippe ad uberrima adducit pascua, verùm etiam à periculosis conservat locis, & funiculo tribulationis retrahit, & concludit. Idem juxta expositionem gravium auctorum significatum fuit, in duabus virgis Aaronis, & Moysis; illa per decorem intelligi potuit, quia floruit; hæc verò per funiculum, quia per hanc tot verbera populo Ægyptiaco inflicta. Illa suaves Amygdalorum fructus produxit; hæc in serpentem versa est. Licèt quoque illa pulchrior videretur, hæc tamen utilior fuit, cùm populum Hebræum à servitute Ægyptiaca liberaverit, mare rubrum diviserit, ex dura petra dulcem aquarum fontem eduxerit, aliaque mirabilia in utilitatem populi Hebræorum patraverit. Licèt ergò benigna gubernatio in florida virga Aaronis significata, magis sensui arrideat; severa tamen directio in virga Moysis repræsentata, populo Hebræo utilior fuit. Deus noster bonus pastor est; *Ego sum pastor bonus,* optimè gregem suum nunc unâ, nunc alterâ virgâ juxta pecorum utilitatem pascere novit; si enim quandoque inter lupos mittit, juxta altissimam Ioan.10.11.

ſuam providentiam id effecit, quia amborum Dominus, ideoque illos cohibere poteſt ne noceant dicente Iſaiâ Prophetâ; *Habitabit Lupus cum Agno.* Iſa. 11. 6.

In tribulatione meliùs, quàm in proſperitate regimur?

33. Quid dicitis, auctoritate ſuâ illum multò meliùs poſſe defendere, quàm Cerva nomine Cæſaris? verum eſt, ideoque S. Paulus hoc ſcuto ſe defendebat dicens: *Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini mei, Ieſu Chriſti, in corpore meo porto:* quaſi diceret, quia ſigna Dei omnipotentis ut ſervus ejus gero, idcircò convenit, ut nemo mihi noceat. Sed quæ moleſtiam Apoſtolis ingerebant? non perſecutiones, aut tribulationes; quia nomen Dei in frontibus eorum ſcriptum, ut magnes illas attrahere videbatur, dicente Salvatore; *Hæc facient vobis propter nomen meum*; ſed ſunt occaſiones peccatorum à quibus Deus ſervos ſuos liberat. In hoc inſuper major Dei potentia, & dominium elucet, quod nos in mediis tribulationibus, & injuriis relinquens, efficere novit, ut nullam potiùs moleſtiam inferant, quàm illas à nobis auferendo, aut longè à nobis removendo. Quid dicitis Patriarcham Jacob voluiſſe panem & veſtimentum, ut Deum pro domino agnoſceret? Sed nónne in hoc videtis, illum neceſſaria tantùm, non autem ſuperflua, aut delitias petere? Tunc quoque temporis Jacob juvenis erat, & rerum divinarum minùs expers, non mirum ergò ſi ita loqueretur: adultior autem effectus, per tribulationem multò meliùs Deum agnovit; cùm enim tota nocte cum illo luctatus, ex percuſſione claudus effectus fuiſſet, dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Gen. 32. 31.

ad Galat. 6. 17.

Ioan. 15. 21.

Deus ipſe non caſtigat.

34. Quid dicitis non proprium ac dignum principi eſſe caſtigare? Verum eſt, ſi propriis manibus id faciendum eſſet; ſicque Deus non efficit, ideoque à diabolo precatus ut illud efficeret, noluit agere, ſed dixit: *Ecce in manu tua eſt*, quaſi diceret, fac officium tuum. Ad propoſitum meum comprobandum, inſigne conſiderationem hîc Theodoretus adhibet; quòd nimirum Deus Angelos aliquos de cælis mittens, ut beneficia Abrahamo, & caſtigationem Pentapoli præbeant, tres ſimul apparere voluit, ut ſanctiſſimam Trinitatem indicarent, ideoque Abraham; *Tres vidit & unum adoravit*; cùm autem ad caſtigandum Sodomam pergeret, duos ſolummodo eſſe voluit, ne ullo modo divinam majeſtatem oſtenderent. Deus ut trinus in perſonis, & unus in eſſentia repræſentari poteſt; ſi tres ergò fuiſſent, dicere potuiſſet, ecce tres perſonæ, ſi unus, ecce unus Deus; cùm tamen duo eſſent, nullus ſuſpicandi locus eſſe poterat.

Job 2. 6.

Geneſ. 18.

rat. Non delectatur ergò Deus propriis manibus castigare, sed alios mittit qui puniant, atque ita in hoc quoque se Dominum exhibet.

Deus illibenter castigat.

35. Quid dicitis illum nullo modo castigare, cùm non habeat instrumenta, sed illa ab aliis recipiat? verum est, non quia potentiæ suæ desunt, sed quia amori deficiunt; ad demonstrandum ipsum illibenter hoc agere. Dices tamen si illibenter, cur igitur agit? quia Dominus est, & judex, qui obligatur unicuique justitiam exhibere, & reos punire, quia *Honor regis judicium diligit.* Psal.98.4. Quid dicitis beneficia maximam habere vim rapiendi corda? verum est, sed oportet illa bene cognoscere, & non cognoscuntur bona, nisi probentur mala. Si Deus numquam infirmitates immitteret, nullus cognosceret, quantum bonum esset sanitas; si nulli essent cæci, non cognosceremus quantum beneficium esset visus. Omnibus ergò modis tribulationes utilissimæ sunt, ut Deum nostrum pro vero Domino agnoscamus. Nec certè exiguum hoc bonum est, & parva consolatio; in primis siquidem ingens est bonum adeò sublimis, & benigni Domini servum esse. Servum hominum esse, est pondus intolerabile, supra caput nostrum; si in humeros pondus attollimus, caput liberum remanet, oculos elevare possumus, aliisque sensibus uti; si autem in capite gerimus, tota persona oppressa manet, ita ut difficulter respirare possit. Tale est dominium hominum, ideoque Propheta dicebat: *Imposuisti homines super capita nostra*; Psal.65.12. Deus autem non in capite, sed in humeris nos gerit; testante Moyse: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans; assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Deut.32.11

Dominium Dei nos consolatur.

36. Magnæ insuper consolationis est considerare quòd talis Dominus nos affligat, qui auctoritatem agendi habet, qui nullam committit injustiam, cùm optimè sciat quid expediat. Hac consolatione S. Ambrosius de morte fratris sui se consolabatur in oratione funebri hæc verba dicens: *Lætandum est magis, quòd talem fratrem habuerim, quàm dolendum quòd amiserim; illud enim munus, hoc debitum est, itaque perfruitus sum, quamdiu licuit concesso mihi fœnore; qui deposuit, pignus recepit; nihil interest, utrum abjures depositum, an doleas restitutum.*

Non Domini sed administratores sumus.

37. In Levitico Deus præcepit ne possessiones paternas quis vendere posset, utpote qui non Domini istarum, sed administratores tantùm erant; *Terra,* Levit.25.23. inquit Sacer textus, *non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.* Supra

hunc locum Philo Judæus scribens ait: *Liquere satis puto, nos alienis uti possessionibus, quod si cognosceremus, curaremus tamquam res Dei, præcogitantes morem esse Domini, recipere sua, quandocumque ipsi visum fuerit, sic enim ademptas feremus leviùs.* Eodem argumento Seneca usus est, illudque solito more acutissimè explicabat dicens; *Quidquid est cui Dominus inscriberis, apud te est, tuum non est.* Et paulò pòst; *Ingratus est qui cùm amiserit, pro accepto nil debet.* Hoc quoque Job considerans, cùm universa ejus bona ablata essent ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Heli summus Sacerdos cùm à Samuele audisset, quæ Dominus illi minabatur dixit: *Dominus est, quod bonum est in oculis ejus faciat.*

Senec. epistola 99.

Iob 1, 21.

Deus divitiarum, & vitæ Dominus.

38. Principes terreni non sunt Domini vitæ servorum suorum; nec homo propriæ vitæ Dominus est, cùm non possit sibi auferre. Deus verò non tantùm bonorum, & divitiarum, verùm etiam membrorum, ac animæ, & corporis Dominus est. Hoc dominium adeò est excellens, & absolutum, ut si illi cùm omni diligentia, & fervore mille annis inservires, & postea tibi vitam auferens, corpus, & animam in infernum mitteret; nec inde dolere, nec conqueri, nec dicere posses, injuriam tibi illatam. Hoc verum esse clarissimè probari potest ex eo quod cum animalibus tuis agere soles, quæ pleno, & absoluto dominio tibi subsunt. Nónne siquidem Bovem fidelem agrorum tuorum laboratorem, qui tot annis cum tanta fatigatione tibi inservit, postmodum crudeliter occidis, & carnes ejus comedis? Gallina quæ tot tibi produxit ova, plurimosque enutrivit pullos; tandem crudeli morte enecari debet, variisque modis torqueri, ut palato tuo gustum adferat: illudque absque ulla commiseratione perficis. Cur ergò Deus qui absolutus est dominus vitæ tuæ, idem tecum agere non posset? An non ita est dominus tuus sicut tu animalium? absque dubio. Dolere igitur, aut conqueri non posses, quando eodem modo tecum ageret; sed nihil horum timendum, cùm nimis sit bonus, & benignus.

39. Charissimum nobis esse deberet, quando Deus dignatur in aliquo labore nostro uti. Inter homines siquidem quis libenter in servitio alicujus principis est licèt inde exiguum, aut nullum speret lucrum, sed tantùm quia talis est nobilis, aut princeps. Quantò magis Deo nostro inservire debemus, quò nullus aut potentior, aut sublimior est princeps. Valerius Maximus de aulico quodam Alexandri Magni refert, quod dum illo sacrificante, thuribulum teneret, ac carbo ignitus decidens, brachium

Deo servire regnare est.

brachium ejus nudum combureret; nullo modo ausus fuit illud retrahere, aut excutere, ne regem sacrificantem impediret; rex autem servi sui patientiam considerans, diutiùs sacrificium protraxit. Si homo ergò tantum pro altero patienter sustinuit, quantò magis pro Deo nostro patienter quid tolerare debebimus? Tribulatus & afflictus; gratissimum est Dei sacrificium; ipse quoque thuribulum tenet, bonumque patientiæ odorem emittit; ideoque de Martyribus S. canit Ecclesia; *Tamquam holocausti hostiam accepit illos.* Tolerando absque dubio dolorem sentit, sed non propterea interrumpendum sacrificium. Hoc optimè Propheta regius intelligens, dum à Saule affligeretur, dixit: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur Dominus sacrificium.* Si Deus me sacrificium suum esse cupiat, ecce me promptum, nolo ut propter dolorem, & defectum meum interrumpatur. Quin imò si morte meâ bonus odor Deo excitabitur, mori contentor.

Ingens patientia amici.

1. Reg. 26. 19.

40. De alio quodam servo, quid mirabilius refert Seneca; cùm Dominus ejus morti addictus esset; atque à justitiæ ministris, ad hunc finem conquireretur; illum abscondit, & veste ejus cum annulo assumpta, persecutoribus obviam procedens ait, quod de me statutum est, peragite, sicque collum gladio submisit. O quanta servi fidelitas, non tantùm supervivere poterat, verùm copiosas lucrari divitias Dominum indicando; sed mortem potiùs oppetere voluit, ut vitam Domino conservaret. Ubi quoque plurimi ab uxoribus, & filiis proditi fuerunt; inventus est servus, qui propriâ vitâ Dominum redimeret, à quo in servitutem miserè redactus erat. Si unus igitur homo, tantum effecit pro alio; quale erit dedecus nostrum, si multò minora pro Domino nostro qui nos pretioso sanguine suo redemit non præstiterimus? Qualis erit nostra confusio, si non libenter minimam perferamus injuriam, aut oblocutionem, ut Deus noster honorificetur; cùm ipse tot persecutiones, & blasphemias pro nobis sustulerit?

Fidelitas servorum erga Dominos.

41. Talem animum S. Bernardus habuit, qui libenter cunctas sufferebat injurias, & blasphemias; cùm enim prædicatione sua populum exhortatus esset ut arma sumere, & ad terræ sanctæ recuperationem contra Saracenos, & infideles procedere vellent; nec hoc intentum felicem haberet exitum cùm omnes quasi morerentur non incepto opere. Omnes in S. Bernardum hujus missionis auctorem insurrexêre, conquerentes illum hos omnes in mortem misisse. Non tamen propterea contri-

S. Bernardus magnum zelum honoris Dei habuit.

ſtatus, aut indignatus eſt; ſed conſiderans, ſi contra ſe non inſurrexiſſent, facillimè contra Deum inſurgere potuiſſent; gaviſus fuit ſe ſcutum Dei effectum fuiſſe; & contra ſe potiùs quàm contra Deum, hæc maledicta erupiſſe. Sic Eugenio ſummo Pontifici ſcribens ait: *Si neceſſe ſit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum eſſe; bonum mihi ſi dignetur me uti pro clypeo, libens excipio in me, detrahentium linguas maledicas, & venenata ſpicula blaſphemorum, ut non ad ipſum perveniant. Non recuſo inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam.* Sed quis neſcit ex patientia noſtra ingentem Dei gloriam, & honorem reſultare? è contra vero ex impatientia noſtra alios occaſionem Deum blaſphemandi, arripere? Ad imitationem ergò hujus glorioſi ſancti, pro ingenti favore, & gratia quandoque accipere debemus, ſi homines de nobis malè ſentiant; & voluntariè quamlibet perferre injuriam, ut Deus honorificetur; & bonus odor de nobis excitetur, odor, inquam, orationis, patientiæ, laudis, & gratiarum actionis, eò quòd Deus nos in ſcutum, & defenſionem ſuam aſſumere dignetur. AMEN.

S.Bernard. lib. 2. de conſider.



DISCVR-

DISCURSUS XL.

IN FESTO ANGELORUM.

Optimus in tribulatione amicus, & consolator est Angelus custos; cui ut placeamus Deo grati, & patientes esse debemus.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Amicus fidelis vix reperitur. nu. 1. 2.
Angelus custos fidelis in omnibus amicus. num. 3.
Nutritius, & custos noster est. à nu. 4. *usque ad* 8.
Ut præceptor nos docet, & instruit. à num. 9. *usque ad* 13.
Angelus tutor, & defensor noster, cui cooperandum. à num. 14. *usque ad* 19.
S. Michael præcipuè honorandus. à num. 20. *usque ad* 26.
Angelus custos medicus divinus. à n. 27. *usque ad* 31.
Advocatus & protector noster est. à num. 32. *usque ad* 36.
Angeli de nostra salute summè lætantur, ideò gratitudo ipsis, & laus Deo exhibenda. à num. 37. *usque ad finem.*

Felices abundant amicis, infelices carent.

1. PRopheta Jeremias infelicis civitatis Jerusalẽ maximas calamitates & miserias enarrans; illam præcipuam esse ait, quòd sola omni populo spoliata remanserit. (Thren. 1. 1.) *Quomodo sedet sola civitas, plena populo.* Heu qualiter civitas illa cunctarum domina, à principibus frequentata, ab immenso populo culta; adeò depopulata remansit, ut ne unus quidem amicus ejus supersit, qui consolationem illi præstet? (Ibid.) *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Pari modo mundo ejusque sectatoribus accidere solet; sicut enim iis, quos fortuna ad summitatem rotæ evexit, amicorum cohortes inserviunt; ita ab iis quos depressit, cuncti aufugiunt. Generosum militem in theatrum procedentem ut contra inimicum in pugnam procedat, plurimi comitari, honorare, & animare solent; sed theatrum intrando omnes illum derelinquunt, nec in alio quàm in vigore, & virtute sua confidere potest. Pari

modo

modo nobis accidit, dum siquidem prosperâ utimur fortunâ, nec adversâ dejicimur, amicorum, & sociorum numerus numquam deficit; horâ autem tribulationis adveniente, dum cum infelici fortunio confligendum est, omnes amicum deserentes abeunt. Hoc præclarè te-
Eccli. 9. 11. statur Sapiens dicens: *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Amicus secundum tempus quærit tantùm commodum, & lucrum suum, non autem amicitiam aut perseverantiam cum amico. Quasi diceret, non expectabit mensibus, & annis, sed primo die quo te calamitate, aut tribulatione oppressum viderit, commoditatem suam quærens, te derelinquet. Id pariter Poëta testabatur dicens:

Tempore felici multi numerantur amici;
Si fortuna perit, nullus amicus erit.

Afflicto igitur solo remanente, omni consolatione, & adjutorio spoliatus manet; illique evenit quod Sapiens asserebat:
Ecclesi. 4. 10 *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Cui soli infortunium accidit seipsum consolari debet; si verò associatus fuerit mutuo auxilio, & consilio adjuvari poterit. Fidelis amici consortium adeò unicuique optandum, & desiderandum ut
Eccli. 6. 15. Sapiens dicat; *Amico fideli, nulla est comparatio, &, Qui invenit amicum invenit thesaurum.* Ibid. 14. Adeò siquidem difficilis & rara est hujus inventio, ut si talem inveneris thesauro comparare possis. Si vobis igitur hodie fidelissimum adjutorem, consolatorem, defensorem, & amicum in vita & morte exhibuero, quanta bona vobis exhibuisse videbor; quantam afflictis attulisse consolationem? Attendite igitur, & prout desideratis in omni tribulatione invenietis.

Solatium est amicus fidelis.

2. Dicet fortè quispiam, quomodo tales amici in mundo reperiri poterunt? ubi *Omnes quæ sua sunt quærunt?* (ad Philip. 2. 21.) ubi nemini fidendum, quia *Omnis amicus fraudulenter incedet?* (Ierem. 9. 5.) ubi teste Alcuino Flacco; *Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficilè servatur?* (Alcuinus epist. 11.) ubi inventum mors aufert; *Siccine separat amara mors?* Optimè dicitis, in hoc mundo non reperiri, sed in cælo tales reperiuntur, non mortales homines, sed spiritus cælestes sunt, non corruptibiles & fragiles, sed incorruptibiles, & immarcescibiles, non secundum tempus, & locum amici, sed ubique, & in perpetuum fidelissimi sunt omnes ut nos deducant, & custodiant; *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* (ad Hebr. 1. 14.) Quia tamen inter amicos unus particularis, & præcipuus esse debet juxta Sapientem dicentem: *Multi pacifici*

Angelus custos fidelis amicus.

Eccli. 6. 6. *ti pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.* Pari modo licèt omnes Angeli, sint nostri tutores & amici, singulis tamen particularis, & fidelis custos assignatur numquam clientem suum deserens, sed in omnibus periculis, afflictionibus, & necessitatibus protegens, & eruens. O qualis amicus quem licèt offendas non dedignatur, nec derelinquit: si contempseris, non te contemnit; licèt sit unus, pro mille sufficit, omnique modo, & tempori se accommodat, ut tibi inserviat. Pari modo in comœdiis quandoq; accidit, dum personis aptis indigent, quid ipsis agendum? agilis & insignis actor ait, non timeatis diversas ego personas repræsentabo, atque ita modò armis coopertus gladium vibrans, ducem, aut iracundum agit; modò armis depositis, & togâ assumptâ, librum tenens, doctorem ostentat; his vestimentis rursus depositis, aliisque assumptis, aliam personam exhibet. Auditores ergò diversimodè vestitum, & discurrentem videntes, illusi, diversas esse personas credunt; idem tamen semper adest. Pari modo Angelus custos ut homini inserviat, diversimodè se exhibet; Balaam, & Josue, ut Dux gladium vibrans se ostendit, Danieli & & Joanni, ut doctor apparuit; Abrahamo & Loth: ut peregrinus visus est. Formam quoque animalium irrationalium accipere non veretur; ita enim Ezechieli, ut Leo, Aquila, & Bos monstratus fuit, nam isti Angeli erant.

Angelus custos cuncta officia exhibet.

3. Quid insuper desideratis? Nobiscum cuncta perhibet officia, quæ ad vitæ nostræ defensionem, & sustentationem necessaria esse judicaverit. Infans nutrice indiget? nutrix ejus Angelus custos est; juvenis magistro illum in omnibus erudiente indiget? Angelus custos in omnibus excellens magister est; defensore, & tutore opus est qui clientem in campum deducat, & contra inimicorum insultus resistere doceat? & hoc exactissimè Angelus custos exequitur; vulneratus medico indiges? expertissimus medicus Angelus custos est: cum principe tibi agendum, aut gratia impetranda? & hoc insigniter Angelus custos exequi novit. Si post mortem denique viæ ducem, aut laudum tuarum præconem desideras? Angelus custos id apud Deum diligenter perficiet; numquam illum deseras, aut offendas, & fidelissimum adjutorem reperies. Ut cognoscamus igitur, quantâ gratitudine illi devinciamur, quantumque illi deservire obligemur, per officia quæ nobis exhibet breviter discurrendo, adjutorium ejus explicabimus.

4. Primum igitur Angeli cu-

Angelus custos nutritius noster. stodis officium, est nutritorem, & custodem nostrum esse: ô quãta nostra felicitas? De infantibus quibusdam legitur, quàm mirabiliter ab animalibus irrationabilibus enutriti fuerint: Romulus, & Remus, à Lupa, Cyrus à Cane, &c. Sed lacte Angelorum quempiam fuisse enutritum, quis umquam audivit? Id tamen nobis per Prophetam promittitur; *Mamillâ regum lactaberis, & erunt reges nutritii tui.* (Isa. 6. 16.) Ingens certè promissio, reginæ quippe proprios filios allactare nolunt, quomodo igitur alios enutrient? Hoc de terrenis regibus, & reginis, non de cœlestibus verificari potest; quales sunt Angeli teste S. Gregorio Papa. (S. Greg. 4. moral. cap. 32.) In Apocalypsi S. Joannes mirabile quid refert, se nimirum vidisse mulierem gravidam, à fero Dracone comitatam, partum ejus expectantem ad devorandum. Tempore partus adveniente, quid de illa actum est? Infans in cælum delatus est; & quis illum allactavit? nutrix cælestis, Angelus nempe. Per hanc visionem Deus indicare voluit infantem natum, subitò in cælum elevari, illique Angelum custodem & tutorem assignari, qui ab infernali Dracone illum defendat.

Angeli infantes lactant. 5. An fortè huic nutrici lac deficiet? Ne lac mulieribus umquam deficeret, natura illis duo ubera rotunda collium instar elevata concessit, absque eo siquidem pectus muliebre nimis angustum foret, ut lac abundans sustineret. Sed qualia Angelorum ubera esse creditis? Sunt collium instar elata teste Joële dicente: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel.* (Ioel. 3. 18.) Sed quid per hos montes intelligitur? Angeli sunt montes teste S. Gregorio, colles autem supra hos montes elati, unde lac & mel fluit, quid aliud esse possunt, quàm Angelorum ubera? Dices fortassis, te numquam hoc lac gustasse? *Quale lac Angelorum?* & ego dicere auderem, esse non posse, quin aliquãdo gustaveris. Nónne quandoque post confessionem, & communionem accidit, te quietem internam, & cordis jubilum sentiisse? Quid creditis illud fuisse? Lac Angelorum tibi exhibitum, quia spiritualiter renatus eras. Eleemosynâ pauperibus distributâ, aut mortificatione peractâ, internam consolationem sentiisti; quid creditis illam fuisse? non aliud quàm dulce & amabile lac, ab Angelo custode tuo tibi exhibitum ut in bono proposito cresceres; lac suavissimum, omnem dulcedinem superans, ideóque dictum fuit; *Meliora sunt ubera tua vino.* (Cant. 1. 1.) Quomodo creditis Sanctum Nicolaum adhuc infantem, integris se diebus à materno lacte abstinentem, enutritum fuisse? Lacte harum

harum cælestium nutricum.

Cuncta nutricis officia exhibent. 6. Nec solùm allactant infantes, verùm etiam cuncta alia nutricum obsequia illis exhibent. Illum custodiunt, fovent, & in brachiis gestant, & à malis ac periculis defendunt juxta dictum Psalmistæ: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Dicitur quòd *Deus mandavit*, non quòd ex propriâ natura, & voluntate non sint promptissimi ad inserviendum; sed ut cognosceres non matres, sed nutrices illos esse, quæ ex seipsis non suscipiunt infantes nutriendos, sed commissionem aliorum expectant. *In omnibus viis tuis*, in quo alias nutrices excedunt, illæ quidem infantes gerunt, sed quò volunt, si amicum aut amicam visitare velint eò infantem deferunt, si ad alia negotia pergunt, eò quoque illum deferunt; ita ut illum *in viis suis*, non in viis infantis deferant. Angelus verò non *in omnibus viis suis*, sed *tuis* te ducit; quò vis incedere potes, te ubique comitatur, protegit, & adjuvat. Quis enim indicare poterit, quoties à benigna illa nutrice ex variis periculis ereptus fueris? in ætate præcipuè tenera, & puerili, mille periculis exposita, ab inimico adeò potente qualis est diabolus circumdatus? quoties infantes cadunt, aut in periculis versantur, & nil mali illis obvenit? unde hoc oriri credis? Ab Angelo custode illos defendente. S. Francisca Romana particularem illum favorem à Deo obtinuerat, ut Angelum custodem oculis corporeis semper intueretur; & dum infans nimiùm fleret, contigit illam Angelum custodem sibi abblandientem conspicere. Ecce qualiter ad minima quæque obsequia Angeli inserviunt?

Psal. 90.11.

Vbique nos comitantur.

In omni tribulatione assistunt. 7. Quando omne aliud auxilium deficere, teque in ultima necessitate derelictum credis, tunc promptum Angeli tui custodis adjutorium sæpe adest. Hoc Agar ancilla Abrahæ, insigniter experta est, dum domo expulsa cum filio Ismaele per deserta vagata, omnibus necessariis deficientibus, cum filio siti perire credebat. Ecce subitò promptum Angeli custodis adjutorium aderat, & aquæ fontem, & consolationem divinam exhibens. Notanda sunt autem verba ab illa prolata; *Profectò hîc vidi posteriora videntis me.* Admirabilis certè loquendi modus; si enim te videbat, non ergo tergum sed faciem obvertebat, ideoque illam, non verò tergum videre poteras. Dicere possem, hanc locutionem metaphoricam esse, illamque voluisse dicere; dum illum mei oblitum, & dorsum vertisse credebam, ad-

Gen. 16.13.

verti illum me respicere, meique curam gerere. Meliùs tamen dicamus; Angelos animalibus Apocalypsis oculis undique plenis similes esse; adeò siquidem vigilanter servitio nostro intendunt, ut oculos undique habere videantur. Fabulantur Poëtæ, Nympham, Jö, pastori cuidam Argus dicto, centum oculis per totum corpus prædito traditam fuisse; sed veriori modo de Angelo custode nostro id affirmare possumus, illum centum oculis præditum ut nos custodiat, & ubique protegat; idcircò non mirum si Agar dicat; *Vidi posteriora videntis me.* Gen. 16. 13.

Angelus custos loqui docet.

8. Nutricis officium pariter est, infantes loquelam docere, & verba formare, ideoque mulieres naturâ suâ adeò sunt loquaces, ne umquam verba deficiant quibus alios instruant. Angeli pariter loquelam cælestem edocent. Hanc loquelam S. Paulus se didicisse monstrabat, dum diceret; *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*; (1 Corinth. 13. 1.) Sed unde hanc linguam didicerat? non ab alio homine, sed ab Angelo; à custode videlicet cælesti, ideoque hac linguâ utens, solebant Angeli è cælis descendere, & audire doctrinam ejus. Psalmista quoque idem testari videtur dicens: *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus*; (Psal. 67. 26.) notandum autem *prævenerunt*; sicut enim nutrices primò verba formant, quæ à pueris proferri volunt, sicque prævenire, & edocere dicuntur, eodem modo Angeli efficiunt.

Cunctas scientias edocet.

9. Nec hoc officio contentus, ulteriùs procedens, magistrum scientiarum se exhibet. Philippus Macedoniæ Rex Alexandro filio suo nato, summoperè lætabatur, quòd eo tempore illi obvenisset, quo ab Aristotele insigni Philosopho erudiri poterat; Alexander quoque dicere solebat, se potiori jure obligatum magistro, quàm parentibus; si enim ab his vitam consecutus fuerat; ab illo bene vivendi modum recognoscebat. Sed quis umquam Philosophus, aut magister Angelis in doctrina æquiparari poterit? Si de scientiæ illorum objecto loquamur, omnia naturalia, ac supernaturalia fidei mysteria exactissimè cognoscunt. Cuncta præterita, præsentia, & futura necessariam connexionem cum præsentibus habentia, optimè percipiunt. Quodque magis refert, Deum omnes scientiarum thesauros continentem continuò intuentur. Modus illorum sciendi, maximâ certitudine procedit, unde verè scientia vocari potest, nostra autem potiùs opinio, quàm scientia est. Numquam decipiuntur, aut obliviscuntur, uno eodemque instanti, principia, & conclusiones, causas, & effectus cognoscunt; nullos formant discursus, nec unum ex alio

Angelorum doctrina facillima.

alio colligere debent; non tantùm sibi ipsis, sed nobis quoque student, facilitatem namque edocendi talem habent, ut brevissimè omnia indicent. Infantibus molestum esse solet addiscere, & præcipuè lectiones memoriæ committere. Sed Angelus custos facillimo modo universa edocet. Cùm aliquem facillimè edocere monstrare cupimus, quasi dicere solemus, manibus doctrinam ingerit; metaphorâ desumptâ ab eo qui alicui cibum manibus in os ingerit absque ulla ejus cooperatione. Pari modo Angeli nobiscum agunt; cùm enim Ezechielem & S. Joannem librum addiscere vellent; non dixerunt, evolvite & perlegite hunc librum, sed ut os aperientes illum comederent, ita ut comedendo addiscere faciat. Quid insuper desideramus? Liber S. Joanni comedendus traditus, apertus erat; ut sciamus illum doctrinam claram & evidentem tradere, quam omnes cibi instar deglutire possunt. Si quis autem objiciat, comestionem illam laborem, & fatigationem indicare, ideoque tempus requirere, sicut cibus masticari debet: alium vobis modum addiscendi exhibebo.

10. Dico igitur Angelum solo aspectu nos edocere; quod ex modo quo Hebræi olim oracula recipiebant, confirmari potest. Josephus Hebræus, aliique cum ipso, referunt summum Sacerdotem lapides pretiosos in pectore gestasse solitum; *Vrim*, & *Thurim* vocatos, prout nimirum vulgata editio habet, *Doctrina* & *veritas*; his siquidem splendentibus, Deus victoriam promittebat, & prosperitatem; iis autem obscuratis, tribulationes, & afflictiones indicabat. Sed quid creditis has gemmas indicasse? ex officio illarum percipiemus, indices erant divinæ voluntatis, quod rectè Angelorum officium; Angelus siquidem nuntius dicitur. In Ezechiele clariùs hoc expositum reperiemus, ubi regi Tyro, & figuraliter Lucifero dicitur; *In medio lapidum ignitorum ambulasti*. Per hos lapides cuncti interpretes Angelos intelligunt; sed cur lapides igniti vocantur? An quia à Psalmista tali nomine insigniti fuerunt, dum ait: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem*? Meliùs tamen igniti dicuntur, à splendore igneo emisso; quasi diceret, in medio lapidum instar carbonum ignitorum resplendentium; qualis esse solet carbunculus, ideoque alii traduxerunt; *In medio carbunculorum*. Rectè sicut gemmæ Sacerdotis in pectore resplendentes. Si autem dicatis, in his lapidibus nomina tribuum Israel fuisse conscripta, hoc opinionem meam confirmat; Angeli

Ioseph. lib. 3. antiquit. cap. 9.

Angelus solo aspectu edocet.

Ezech. 28. 14.

Psal. 103. 4.

geli siquidem in corde nomina suorum clientium descripta gerunt.

Per inspirationes bonas illuminat.

11. Quod Deus igitur tunc per gemmas visibiliter exhibebat, modò per Angelos invisibiliter exhibet; lumen siquidem quod quandoque in mente resplendet, & te vanitates mundi cognoscere facit; quid aliud esse creditis, quàm lapidum horum splendorem? Inspiratio intrinseca ut malam conversationem deseras, & Deum non ampliùs offendas, unde provenire credis, quàm ab Angelicis gemmis? An hoc certâ experientiâ declarari cupis? Consilium, & auxilium illorum parumper in necessitatibus, & operum tuorum principio implora; Angelum custodem pio intuitu require, & certò experieris illud tibi plus prodesse, quàm multorum temporum studium. Nec sine mysterio dicitur in rebus prosperis gemmas has splendorem emisisse, in adversis autem obscuratas fuisse; non aliter siquidem Angeli de bono nostro lætantur, quia; *Gaudium est in cælis, super uno peccatore pœnitentiam agente*; de afflictione autem nostra contristantur, juxta dictum

Isa. 33.7. Prophetæ; *Angeli pacis amarè flebant.*

Angeli inspirationes divinas nobis communicant.

12. Dico insuper non solùm quod pro seipsis agunt, verùm etiam quod à Deo addiscunt Angeli majores, libenter nobis communicant. Insignis consuetudo in maris littoribus invenitur, ut si Turcarum excursiones, aut Pyratarum invasiones metuant; plurimas turres extruunt, in quibus ignes expositi brevissimo tempore ubique indicant quid aliquo in loco longè dissito agatur. Zonara historiographus refert Constantinopoli circa mare septem fuisse turres adeò vicinas, ut quod in una dicebatur, in alia audiretur; sicque annuntiando quid ageretur, per totam civitatem subitò sciebatur. Xerxes Persarum rex id ipsum in suo regno mirabiliter exercuerat, homines siquidem adeò vicinos constituerat, ut ex Susan Persiæ Metropoli, Athenas usque ubi bellum gerebat, brevissimo tempore cognosceret, quid ageretur, absque alicujus è Persia discessu. Hæc exempla nobis commodissimè exhibere poterunt, quomodo adeò celeriter nova de cælo ad nos perveniant. S. Dionysius Areopagita docet à Deo Angelos supremos illuminari, & ab his alii viciniores, sicque consequenter donec ad ultimos usque perveniatur, qui hominibus mysteria revelant; quod celerrimâ festinatione peragitur. Apostolus Paulus insignem hinc deducit sententiam dicens: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Sed nónne ad Hebr. 1. 14.

Quomodo Angeli Dei ministri? ne Angelicus Doctor affirmat, Angelos quosdam esse assistentes, numquam è cælo discedentes? Quomodo ergò de omnibus dicitur ministros salutis nostræ esse? Responsio in promptu adest, quia omnes saluti nostræ cooperantur, licèt non immediatè à Deo mittantur, ut nos illuminent, & deducant. Quot ergò Angeli sunt in cælo, tot Legati pro nobis existunt, cumque bonam inspirationem rejicis, non solùm injuriam Angelo tuo custodi infers, illam tibi suggerenti; verùm etiam cunctis Angelis superioribus, te invitantibus, qui in die judicii contra te testimonium ferent, te convincentes Deum non defuisse bonis admonitionibus, & inspirationibus, & renuisti.

Deus ut principes nos excipit. 13. Hinc apparet, quomodo Deus unumquemque nostrum instar principis excipit, Legati quippe residere non solent, nisi apud magnos principes; sicut enim inter personas privatas per litteras fieri solet, voluntatis insinuatio; ita inter principes solent legati in omni loco principali degere, quibus princeps negotia peragenda intimat, & aliis principibus suo nomine denuntiare curat. Pari modo Deus nobiscum agit, legatum suum apud unumquemque nostrum detinet, Angelum custodem nempe, cumque aliquid intimari desiderat, illi indicans nobis patefieri curat. Omni tamen modo Angeli procurant, ut cognoscamus Deum, scientes in hac scientia totum bonum nostrum consistere. De Aquila avium regina scribitur illam pullos suos contra solem suspendere, ut assuescant lucem excellentem intueri, ne palpebræ ullo modo vacillent. *Angeli Dei Legati.* Idem quoque Angeli nobiscum agere videntur, sunt Aquilæ insignes splendidam semper Dei faciem contemplantes, juxta dictum Salvatoris: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*: unde Cherubim quos Ezechiel vidit, non tantùm faciem hominis, Bovis, aut Leonis, verùm etiam Aquilæ habebant. S. Dionysius Areopagita hoc excellens mysterium explicans, ait; *Reportantes quatuor stemmata, & insignia Domini Dei sui, in Aquila sapientiam, in homine bonitatem, in bove justitiam, & tandem in leone fortitudinem.* Angeli igitur propter sapientiam Aquilæ vocantur, ideoque magistrorum instar dirigentes, verum solem contemplare efficiunt. Deum videlicet omnipotentem recognoscere; nobis occultè inspirantes, quod apertè S. Joanni dicebant; *Deum adora*, cognosce illum pro creatore & redemptore tuo.

Matt. 18. 10

Ezech. 1.

S. Dionys. lib. de cæl. hierar. cap. 15.

Apoc. 19. 10.

Angeli tutores nostri. 14. Quid de officio tutoris proferam? Nomen ipsum satis indicat, quanti referat, cùm sit alter pater; si enim pater vitam donavit,

donavit, tutor eandem conservat, & defendit; optimè hoc nomen sanctis Angelis convenit, qui sunt patres nostri per adoptionem. Hoc rectè intelligens S. Paulus Apostolus ait; *Benedictus Deus ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*: quid aliter siquidem paternitas in cælo dicitur? An inter spiritus beatos generatio dari potest, ut unus dicatur pater alterius? nequaquam, sed S. Anselmus ait, hoc de Angelis custodibus intelligi, qui sunt patres nostri per adoptionem, & defensores in præliis. Bonus defensor numquam clientem deserit, sed in omni periculo adsistit, eique victoriam reportanti congaudet. Pari modo Angelus custos, nobis semper adest, in omni loco, & tempore tuetur, teste generosâ Judith: *Vivit Dominus quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem.* Bonus defensor clientem suum ab omni injuria vindicat, nec permittit illum nimiùm affligi. Pari modo Angelus custos nobiscum agit; astutissimus Satan, undique coadjutores quærit, carnem, mundum, aliaque diversa objecta; Angelus autem custos, illa repellit, impedit, & avertit, juxta virtutem quam nobis inesse cernit, & prout illi resistere possumus. In Apocalypsi legimus clavem inferni Angelo

ad Ephes. 3. 15.

Iudith 13. 20.

Angelus defensor noster.

traditam; sicut enim hortulani solent claves fontium tenere, ut aquam plus minúsve immittant; pari modo Angelus juxta necessitatem animarum nostrarum, solvit, & ligat diabolum, ne sine tentatione insuperbiat, & tepescat; vel propter abundantiam suffocetur.

15. S. Paulus mulieribus præcipiebat, ut capita velarent; *Propter Angelos.* An aliquod fortè periculum subest Angelos ex aspectu muliebri peccaturos? nequaquam cùm sint puri spiritus in gratia confirmati. *Propter Angelos* inquiunt S. Anselmus, & S. Thomas; id est propter Sacerdotes, in scriptura sacra Angelorum nomine vocatos. *Propter Angelos*, inquit S. Clemens, propter bonos videlicet. Sed S. Basilius hunc locum propriè de Angelis per naturam intelligit. Sed quid hoc prodest Angelis si mulieres sint velatæ, vel detectæ? Nihil omninò in quantum Angeli, sed in quantum tutores, quia clientes suos plurimis periculis expositos vident, dum eos tali damno, à dæmonibus, aliisque objectis defendere debent. Cùm enim omnes ad Ecclesiam, & pia opera exercenda compellere nituntur; maximam sibi inferri putant injuriam, si ibi insidias struere videant, ubi ad salutem animæ procurandam diriguntur.

Cur mulieres capite cooperto esse debent?

1. Cor. 11. 10.

S. Clem. lib 2 Hypot. S. Basiliu lib. 2. de virgin.

16. Hinc alium insignem sacræ

Qualis contentio pro corpore Moysis? cræ scripturæ locum intelligere licet, cur nimirum S. Thadæus in sua epistola dicat Michaelem pro corpore Moysi cum diabolo contendisse: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore.* Sed qualis erit ista contentio? Quidve uni aut alteri proderat, si corpus Moysis in hoc vel illo loco sepeliretur? Graves expositores referunt, quòd diabolus sciens quàm ille populus ad idololatriã esset inclinatus, & propter plurima miracula ab ipso patrata, facillimè ut Deus adoratus fuisset, voluit illud manifestare, ut ad peccatum eos incitaret. At S. Michael illorum protector noluit hoc permittere, ne illis occasionem peccandi præberet. Nil insuper novi est, Angelos pro nobis præliari contra dæmones; quia S. Joannes in sua Apocalypsi idem refert, dicens: *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone;* quod licèt aliqui in cælo empyreo contigisse referunt, quando Lucifer cum suis sequacibus contra Deum rebellarunt; probabile tamen est per cælum S. Ecclesiam intelligi, quia in Apocalypsi non referuntur præterita adeò antiqua, sed fit sermo de futuris in ecclesia eventuris, quæ etiam in Evangelio regnum cælorum dicitur. In hac igitur continuò Angeli contra diabolos pro nobis præliantur; & quid mirum, si amore nostri Angeli quoque inter se prælientur, teste Daniele Prophetâ; *Princeps regni Persarum restitit mihi;* nempe Angelus custos Persiæ, cùm unusquisque bonum populi sui desideraret.

Epist. Judæ 9.

Apoc. 12. 7.

Dan. 10. 13.

17. Si denique protector diligenter attendit ne quis locum certaminis intret ut præliantes offendat; noster Angelus custos adeò solicitè nos defendit, ut ipsemet locum certaminis undique protegat, & ab insidiis adversariorum tueatur. Ita testatur Propheta regius dicens: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum:* quod S. Jeronymus clariùs explicat dicens: *Circumdabit Angelus Domini in gyro timentes eum;* & Septuaginta verterunt: *Castrametabitur Angelus Domini per circuitum timentium eum;* timentes Deum quasi exercitu vallabit, quomodo ergò non erunt securi?

Angelus circumdat nos.

Psal. 33. 8.

18. Duces militum cùm civitas oppugnanda, aùt conflictus in campo ineundus est, solent milites præsidiarios circa tabernacula relinquere; ne præliantes de rebus suis sint soliciti, sed tantùm manus confligere attendant. Pari modo nobis agendum est, cùm enim Angelicâ custodiâ septi simus, omnem curam deserentes propulsationi hostium solummodo attendendum. Illud Angelus quidam Josue insinuasse videtur, cui stricto

Angeli ingentem præbent fiduciam.

gladio in manu apparens, dixit illi Josue quid præcipis, at ille non aliud respondit quàm, *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Tali duci ut Josue erat, extraneum videtur præcipi ut nudis pedibus incedat; sed pulcherrimum latebat mysterium, ita quippe eadem verba Moysi dicta S. Bernardus exponit dicens: *Solve calceamenta de pedibus tuis*; *involucra* videlicet, *depone carnalium cogitationum*; omnes mundi, & carnis occupationes desere. Angelus igitur Josuæ, indicare voluit, se auxilium ei ubique præbiturum, nec aliquid curandum fore, nisi ut generosè decertet. Quod si insuper attendere velimus Moysi dictum fuisse, *Solve calceamenta de pedibus tuis*; Josue autem, *Solve calceamentum*; insigne mysterium colligere poterimus. Binos videlicet animæ nostræ pedes, duos esse affectus nostros, irascibilem, & concupiscibilem, quandoquidem S. Augustino dicente: *Non movetur anima pedibus sed affectibus*; calceamenta verò horum pedum, sunt cogitationes, & desideria eorum; Moysi verò, qui cum Deo agere debebat conveniebat cuncta relinquere, ideoque ipsi dicitur: *Solve calceamenta*: Josue è contrà cui cum inimicis confligendum erat; affectum concupiscibilem non autem irascibilem deserere oportebat; ideoque dicitur, *Solve calceamentum.* Hoc pariter intendisse videtur Virgilius dicens, Didonem se occidere volentem, *Vnum extra pedem habuisse*, affectum videlicet concupiscibilem deseruisse, & irascibilem retinuisse. Pari modo nobis agendum est, sanctâ indignatione commoti, contra diabolum procedendum; reliqua omnia Angelo custodi nostro committenda.

Iosue 5. 16.

Exod. 3. 5.

Cur Iosue unum calceamentum solvendum, Moysi duo.

19. Ab eodem Josue muri Jerichuntini sonitu tubarum sacerdotalium dejecti fuerunt; non harum fortitudine, sed Angelico ministerio, cur ergò oportebat tubas inflare? nónne Angeli hoc sono indigebant? nequaquam, sed ut populus Israel civitatem oppugnans, cooperaretur, & victoriæ particeps redderetur. Pari modo nobis agendum est, Angeli custodes nos ubique protegent, & contra hostes defendent, insignesque ab ipsis victorias obtinere efficient; dummodo sono orationis nostræ, inimicorum aures perterruerimus, & ad Deum conversi, ex toto corde auxilium ejus deprecati fuerimus. Invoca igitur Angelum custodem tuum ne te derelinquat, sed diligenter custodiat, absque dubio victoriam referes. Dum Angelus è cælo descendit ut S. Petrum è carcere liberaret, post catenas disruptas, dixit illi; *Præcingere, & calcea te caligas tuas*: Si Angelus catenas

Quomodo muri Iericho dejecti?

Angelo custodi collaborandum.

Act. 12, 8.

tenas dissolverat, nónne etiam Petrum vestire poterat, cur Apostolum defatigari voluit? poterat quidem, sed noluit, ut S. Petrus cooperaretur; cumque nec catenas rumpere, nec carcerem aperire poterat, ad minus se vestiret. Per hoc exemplum nos docere volens, ne nimiùm Angelicæ defensioni confidamus, quasi nihil nobis agendum esset, sed cooperandum esse ex parte nostra quantum possibile fuerit. Ad hoc clariùs intelligendum, advertere debemus quòd ubique dum Angeli custodis mentio fit, etiam viæ, & itineris mentio exhibetur: sic Psalmista ait: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*; & in Exodo habetur; *Ego mittã Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via.* Quid hoc sibi vult? An dum firmi hæremus nos non custodiunt? Omninò, sed adeò abhorrent otiosos, ut semper nos in via cælesti progredi vellent, nec umquam tepiditate hærere; sicut illi numquam ab amore divino desistunt.

Psal. 90. 11.

Exod. 23. 20.

S. Michael præcipuè honorandus.

20. Præ omnibus autem Angelis, particulariter in S. Michaele nobis confidendum tum quia promptissimè omnibus adest, aliosque ad defensionem nostram dimittere potest; cùm ut canit Ecclesia, dux sit cælestis exercitus, Ecclesiæ Catholicæ protector, populique Christiani defensor. Apud Principes sæculares duobus modis honores acquirere possumus; per doctrinam, & arma, per ingenium, & consilium; hæc exercitia omnia alia excedere, & continuò principi adesse solent. Si tamen aliquis reperiretur, in utroque æquè expertus, qui dux militum esset, & consiliorum præsidens insignis; simul generosè aciem dirigeret, & prudenter causas, litesque omnes decideret, sententiamque justam in omnibus ferret, quanti fieret? quàm gloriari posset, qui talem haberet protectorem? Talem dicamus esse S. Michaelem Archangelum, in cælesti regno apud regem regum. Primus, & expertissimus in prælio, quia princeps militiæ cælestis vocatus; primus in scientia, & judicio. Cùm enim nec difficilius, nec sublimius sit judicium, quàm meritorum, & demeritorum; unicuique gloriam & præmium, vel infernum, & pœnas æternas assignare; huic judicio à Christo judice est præfectus S. Michael Archangelus; ideoque cum gladio in dextera, & bilance in sinistra depingitur. Gladium ut insigne generalatus sui supra cunctos milites gestat, bilancem autem ut merita singulorum, & demerita ponderet; à primario judice delegatus, ut facta, verba, & cogitationes quorumcumque dijudicet, videatque qui præmio qui castigatione

Quia à Deo nobis propositus.

tione dignus habeatur. Gladio militis, bilance doctoris exercet officium.

S. Michael Dei legatus.

21. Hæc præclara officia in S. Michaele cognovit antiquus, & gravis auctor Pantaleon Diaconus, qui apud Metaphrasten sic loquitur; *Michael qui est verus, & sincerus Dei aßeßor, & ducit ordinem virtutum cælestium, & est sapiens gubernator eorum, qui in Deum credunt. Aßeßorem* vocat, quod proprium doctoris officium, qui principi assistens cum ipso judicium format. Ducere autem ordinem virtutum cælestium, est se ducem militiæ cælestis exhibere. An fortè præclara ejus facta in utroque officio desunt? Non solùm ex iis est ducibus qui tantùm imperant, verùm etiam proprio gladio hostes aggreditur. Lucifero cum Angelis suis Deo rebellantibus, & Angelis bonis resistentibus, S. Michael ducem exercitus Luciferum aggressus est, ut ex illo loco Apocalypsis colligitur; *Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus*; nec virtute S. Michaelis, Draco solummodo devictus, verùm etiam è cælo præcipitatus. In fine mundi quis cum Antichristo præcipuo satanæ ministro confliget, vitamque ei auferet, nisi invictissimus Michael? Ita graves affirmant auctores: S. Thomas, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, aliique. Verum est S. Paulum hanc victoriam spiritui Christi attribuere, cum Thessalonicensibus scribit: *Tunc revelabitur ille impius, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Sed hic aliud singulare privilegium S. Michaelis exhibetur, cùm his verbis sacri doctores S. Michaelem significari velint.

Dux exercitus ejus.

Apoc. 12. 7.

2. ad Thess. 2. 8.

S. Michael spiritus Christi.

22. Hic ergò gloriosus Archangelus, spiritus Christi dicitur, quid ampliùs dici potest? Nihil magis cordi conjunctum, & intima penetrans, quàm spiritus hominis, qui per os intrans, cuncta viscera penetrat. Talis S. Michael Christo conjunctus; spiritus hominis qualitates internarum partium participat, unde si homo peste sit infectus, spiritus quoque inficit. E contrà sponsa suspirabat dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*: quasi diceret, desidero os meum tuo adjungere, ut suavissimo odore è pectore tuo efflante, & spiritu dulcissimo frui possim. S. Michael ergò spiritus oris Christi, conditiones, & qualitates cordis ejus participat. Sed quæ sunt qualitates cordis Christi? Quis illas explicare sufficiet? omninò sunt suavissimæ, & amabilissimæ, harum ergò particeps erit S. Michael Archangelus.

Cant. 1. 1.

S. Michael spiritus Ecclesiæ.

23. A spiritu vita humana dependet, quia tantum est spirare,

rare, quàm vivere, & auferre spiritum, idem est ac vitam auferre; dicemúsne ergò à S. Michaele, qui spiritus oris Dei est, vitam Christi dependere? Certè non si de vita corporis illius realis loquamur, si verò de corpore mystico, quæ est Ecclesia, sermo fiat, non erit fortè inconveniens, cùm S. Michael sit præcipuus ejus protector & defensor, sine cujus adjutorio se à tartareis legionibus defendere non posset. Tantum denique est dicere spiritum, quantum dicere vitam, & cor; sicut enim nos ut demonstremus summum erga alterum amorem, illum cor nostrum vocamus; pari modo propter ingentem amorem quem Deus erga S. Michaelem gerit, quasi spiritus Dei dicitur, & ut talis in fine mundi interficiet horrendum Antichristum, & S. Ecclesiam à tam horribili monstro liberabit, aliasque victorias continuò obtinebit. Id præclarè testatur Pantaleon suprà citatus, dicens: *Qui (S. Michael) fidelium populorum Ecclesias exhilarat, Romanorum custodit rempublicam, Christi amantem Imperatorem amat, adversus Barbaros, Christianos reddit victores: hostes inimicos persequitur; ab eorum qui persequuntur molestiis pios liberat, ab ingentibus maris fluctibus eos qui ipsum invocant eripit, Dæmonis impetus propulsat, vitiorum flammas restringit.*

24. Nec minores utilitates doctrinâ suâ refert, cum pro nobis officium eloquentissimi oratoris, & advocati exequatur; sicut enim ut dux nos ab insidiis inimicorum defendit; ita ut advocatus ab ira Dei nos eripit. Sic testatur S. Ecclesia de ipso canens: *Dum sacrum mysterium cerneret, Ioannes Archangelus Michael, tuba cecinit, ignosce Domine Deus noster, qui aperis librum, & solvis signacula ejus.* Quis verò scit hanc fuisse occasionem admirabilis illius transformationis in cælo? Dum S. Joannes in cælo videret librum septem sigillis signatum, nec aliquem reperiret qui illum solveret, mirabilem vidit visionem, & audivit vocem dicentem: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.* Cùm verò S. Joannes expectaret ut generosus Leo librum illum aperiret; subitò apparuit Agnus; *Ecce Agnum stantem*: Leo ergò in Agnum mutatus erat, sed quomodo?

S. Michael advocatus noster.

Apoc. 5. 5.

Ibid. 6.

25. De Alexandro Magno referunt historici, illum talem convenientiam cum musica habuisse, ut Terpander insignis musicus, nunc uno modo cantando, nunc alio sonando, ipsum ut Leonem terribilem, & ut Agnum mansuetum redderet. Quis porrò ignorat, eandem fortè convenientiam S. Michaelem cum rege cælorum habere?

Quantum S. Michael possit apud Deum.

in fine quippe mundi horribilem inflans tubam, cunctos mortales ad divinum tribunal concitabit, & Salvatorem ferum ut Leonem exhibebit; modò verò suavi musicâ cantans: *Ignosce Domine Deus noster*, feritatem Leonis, in mansuetudinem Agni commutavit? Multa hujus convenientiæ indicia id satis probabile reddunt; primò quia S. Ecclesia soni S. Michaelis mentionem non faceret, nisi occasio ingentis boni fuisset; secundò orationem quoq; hominis mortalis magnam habere vim Deum placandi, ut sacra scriptura sæpius testatur. Tertiò S. Joannem vidisse septem oculos in Agno; quos septem spiritus Dei in omnem terram missos esse affirmabat. Credibile igitur est hos septem spiritus, inter quos S. Michael primus, orationibus suis placasse Leonem, & in Agnum mansuetum commutasse. Si in armis igitur adeò promptus, & in voce efficax; si tantum manu, & linguâ efficere potest; si primum locum inter milites, & doctores obtinet, quis eloqui poterit, quàm gloriosus, & omni laude dignissimus existat? Quis non se felicem putabit, si ab adeò generoso, & eloquenti advocato protectus fuerit?

Quomodo Leo in agnum mutatus?

26. Illud ni fallor rectè intellexerunt SS. Machabæi, cùm enim pauci dispersi contra potentissimos exercitus præliari deberent, ad S. Michaelem recurrentes se ejus patrocino devotos exhibuerunt. Affirmant graves auctores illorum vexillis eadem verba descripta fuisse, quæ S. Michael contra diabolum pugnans, in scuto detulit, nimirum; *Quis ut Deus, quis similis tui in fortibus Domine*, ideoque non mirum si insignes adeò victorias obtinuerint. Quod si adjutorio, & consilio talium patronorum uti renuis, quomodo inimicum adeò potentem, & astutum superare poteris? Dum generoso equiti cum inimico potente confligendum est, si protectorem expertem habuerit, qui quandoque victoriam contra eundem obtinuerit, libenter ejus consilio utitur. Angelus tuus custos, omnesque cælestes spiritus, frequenter victoriam de infernali Dracone retulerunt, semperque victores extiterunt; ipsi sunt tutores & protectores nostri, salutaria dant consilia, quæ si exequaris absque dubio victor existes. Non tamen de te ipso confidendũ, sed omnes occasiones virandæ, & orationi insistendum; sicut enim quidam illorum dixit; *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna*: quòd si victoriam modo appetitis, eleemosynam elargiendo cuncta prospera vobis evenient.

Cur Machabæi tot victorias obtinuerint.

Per S. Michaelem victoria obtinenda.

Tobiæ 12. 8.

SE-

SECVNDA PARS.

Angelus custos medicus noster.

27. QUi cum inimico potente confligit, licèt victor existat, non tamen absque aliquo vulnere, aut damno recedit. Pari modo nobis cum diabolo prælìantibus contingere solet. Quid Angelus custos tali occasione præstat? medicum nostrum se exhibet. Natura valde provida se exhibuit in remediis homini providendis; quodque consideratione dignum est, unde ordinariè mala, & tribulationes proveniunt, inde pariter medicinæ suppeditantur. In montibus Veronæ contiguis ingens herbæ venenosæ copia *Napello* dictæ reperitur; sed personis fide dignis attestantibus, alia quoque herba pro remedio veneni ibi nascitur. In China arbor reperitur cujus radix in duos ramos dividitur, quorum unus est venenum mortiferum, alius antidotum ejus. Pilus rabidi canis, medetur morsui illius: similiter oleum ex scorpionibus confectum; Theriaca præsentissimum contra venena remedium ex viperis componitur; aliaque similia remedia sunt plurima. Cùm morbus gallicus lascivos excrucians, primò vigere cœpisset, nullus remedium adhibere noverat, unde miserè afflicti moriebantur; donec aliquis ingenio præditus, argumentabatur, unde morbus veniret, inde quoque remedia afferenda, cumque morbus ille ex India primò advectus esset, eo perrexit medicinam reperturus; nec sua eum spes fefellit, nam pro se aliisque omnibus ea attulit remedia quibus modò utuntur tali morbo oppressi. Non sine causa denique Poëtæ finxerunt hastam Achillis sanare, & vulnerare consuevisse ex iisdem quippe principiis, mala eorumque medicinæ oriri solent.

Vnde malū, inde remedium.

Angelus medicus divinus.

28. Vulnera, & tribulationes nostræ, unde proveniunt? Absque dubio à natura Angelica, istius quippe naturæ sunt dæmones nos affligentes; conveniens ergò erat, ab eisdem quoque remedia provenire; ideoque rectè dixi Angelum custodem officium medici nobiscum agere. Cùm aliquid valde rarum & excellens dicere cupimus, illud divinum vocare solemus, sic divinum ingenium, medicinam divinam vocamus. Angelus adeò excellens est medicus, ut divinus vocetur; cùm enim nos medetur, & curat, Raphael vocatur, nempe *Medicina Dei*. Plinius de medico Asclepiade dicto refert, quòd ut artem suam probaret, gloriabatur se posse efficere ut numquam in infirmitatem incideret, & si quando incidisset, non illum pro bono medico tenerent: & ita factum fuisse refert, & quasi sano cor-

Plin. lib. 25. cap. 2.

no corpore mortuum fuisse; nam decrepitus è scalis decidens mortuus est. Inter homines nullus gloriari potest se numquam
1. Ioan. 1. 8. infirmari; *Si* enim *dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, dicebat ex præcipuis sanctis qui in mundo fuerunt. Quis igitur expertus erit medicus noster? Absque dubio Angelus custos qui se sanum semper conservare novit, nec umquam infirmabitur.

Angelus sua luce medetur.

29. Dico insuper medicamenta Angelica non esse amara, aut sensibus ingrata sicut medicorum, sed grata, & suavia. Quid enim gratius aut amabilius ipsa luce? Sine illa nulla lætitia esse potest, unde Tobias dicebat:
Tob. 5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video.* Angelus hac luce medetur, quia radix malorum nostrorum est ignorantia; quia *Omnis malus ignorans*; nec alio medio quàm luce cælesti hoc tollitur. Optimè igitur dixit Cyrillus Jerosolymitanus; *Angeli præsentes ubique curant ignorantias nostras.* Licèt quoque Dionysius Areopagita dixit tria esse Angelorum officia, videlicet purgare, illuminare, & perficere; omnia tamen per lucem fiunt. Nec novum est lucē sanare, quia Malachias propheta dixit: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*; id est radiis ejus (hæ quippe sunt pennæ solis) adferet salutem. Propheta quoque Isaias in persona æterni patris dicit filio: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea, usque ad extremum terræ.* Gentiles quoque fingebant Apollinem, per quem solem intelligebant, Deum medicinæ esse. Angelus igitur luce suâ vulnera nostra medetur; cùm enim nobis peccatorū turpitudinem exhibet; ingentem dolorem pro iis commissis excitat; & ita sanat. Ad hoc alludere videtur Propheta regius dicens: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Quales enim sunt hi montes æterni? non hi terrestres corruptioni obnoxii, sicut omnia sublunaria; sed Angeli sancti sunt montes propter altitudinem, & firmitatem; & æterni propter immortalitatem. Per hos ergò Deus nos illuminat, & quid inde sequitur? turbantur insipientes, ita ut hoc sit lumen contrarium stoliditati; ideoque lumen spirituale, sicut insipientia spiritualis obscuritas. Qui ergò ad illud usque tempus in stoliditate permanserunt, cognoscentes proprias infirmitates, & peccata contritione illorum turbantur, sicque sanantur.

S. Cyrill. Catheceſi 14.

Malach. 4. 2.

Isa. 49. 6.

Psal. 75. 5.

Angelus medicus solers.

30. Si amicorum verba, & consolationes magnam habeant vim animum sublevandi, & mentis infirmitatem curandi, dicente Sapiente: *Amicus fidelis, medica-*

Eccli 6. 6.

medicamentum vitæ, & immortalitatis. Quantò magis verba, & & consolationes Angelicæ efficient, qui amicus fidelior, & charior præ omnibus? medicus ordinarius morbum graviorem considerans, alios medicos in adjutorium infirmorum advocare solet, ut meliùs curentur. Idem quoque Angelus facere non dedignatur. S. Paulus refert sibi in somnis apparuisse hominem more Macedonum vestitum ac dixisse: *Transiens in Macedoniam adjuva nos,* hunc autem Angelum custodem Macedonum salutis clientum suorum cupidum fuisse, tradunt Glossa, Beda, aliique. Sed quomodo dicit, *Adjuva nos*? An auxilio humano indigebant? Non pro seipsis, sed cum tanto amore Macedones prosequerentur, beneficium salutis illis exhibendum, sibi fieri putabant. Ideo quoque Macedo apparet, quia amor illum ita transformarat. Vide ergo quàm verè tibi dicebam Angelum diversas formas, & figuras assumere, ob amorem nostrum; quodque magis refert multò melius id efficiunt, quàm illi ad quos ex officio spectat talia agere.

Act. 16. 9.

Angelus numquam nos deserit.

31. Si medicus videat malum esse incurabile, aut infirmum præcepta ejus exequi nolle, illum derelinquit; non ita tamen Angelus custos agit, qui nos numquam derelinquit, licèt quandoque non semper sit ita præsens, cum aliqua præsentiâ ejus indigna peragimus. Semper tamen attendit & curam nostri habet ne planè pereamus; licèt nullum fructum se consequi posse desperet, videatque in reprobum sensum nos traditos, & ad mala præcipites esse. Instar charę matris filio moribundo assistentis continuò nobis adest, ut si ad bonum omninò adducere non possit, ab aliquo saltem malo avertat, ne planè Angelus tenebrarum nobis dominetur. Quis non admirabitur diligentem hanc perseverantiam, cui similem mundus exhibere non potest? Sanitas deperditur, divitiæ evanescunt, amici nos deserunt, fortitudo deficit, honores in fumum evadunt, vita expirat; donis supernaturalibus, gratiâ, fide, spe, & charitate propter demerita nostra spoliamur. Quid amplius, Deus ipse amantissimus pater propter peccata, & scelera contra illum commissa nos deserit; solus Angelus custos fidelissimus amicus, numquam nos derelinquit, sed solus ad ultimum usque spiritum protegit. O quanta fidelitas, quanta amicitia, quanta societas, & in medicando sedulitas!

Fidelis in cunctis amicus.

32. Nec hîc sistit Angelorum custodia, verùm etiam se advocatum nostrum exhibet, unde Salvator in Evangelio nos admonet

Advocatus, & protector.

monet ut revereamur parvulos, quia potentes advocatos in cælis habent apud patrem cælestem, qui justitiam pro illis exigent; *Angeli enim eorum semper vident faciem patris mei,* quasi dixisset, Deus semper intendit, & exaudit illorum orationes, quia semper assistunt, nec legatione, aut nuntio indigent. Nec solùm illorum potentia, verùm etiam amor in his verbis se exhibet? qui enim frigidè amat, in prosperitate amicorum afflictorum obliviscitur. Sed quæ major potest reperiri felicitas, quàm faciem Dei continuò aspicere? In hoc totum bonum nostrum consistit, nec amplius desiderandum, si eousque pervenerimus. Hoc bene intellexit Psalmista dicens: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quis igitur credet Angelos faciem divinam continuò contemplantes; mensæ cælesti omnium delitiarum copia abundanti assidentes; gratiarum & donorum pelago immersos, velle miserias, & calamitates nostras attendere. Ad majorē videbatur fore consolationem dicere, Angelos illis semper assistere, semper aspicere, semper succurrere. Si de amicis terrenis dictum fuisset, absque dubio melius fuisset, sed de beatissimis spiritibus loquens, qui amici sunt fidelissimi, optimè Salvator dixit: illorum quippe felicitas, non tantùm curam nostrarum afflictionum non aufert, verùm etiam majorem reddit. Cùm enim sibi ipsi in nullo providere indigeant, totaliter servitio nostro intendunt.

Matth. 18. 10.

Psal. 16. 15.

Angeli in Deo vident afflictiones nostras.

33. Dico insuper illos faciem divinam aspicientes, meliùs cognoscere miserias, & calamitates nostras, quàm si illas in nobis intuerentur, magisque ad vindicandum accendi. Si amantissimus sponsus vultum dilectæ suæ ferventi amore contemplans, videat illam malè excipi, & pugnis contundi; quis ignorat illum summâ indignatione adversus talem commovendum & severè tale factum vindicaturum? Tali modo Angelis evenit, dum enim summo amore divinam faciem contemplantur, si quis clientes eorum malè excipiat, pupillam oculi divini tangere videtur; dicente Salvatore; *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quomodo igitur credendum, illos patienter laturos, si divinam faciem, quam ardenter contemplantur, videant malè excipi? ideoque optimè dixit Salvator: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, amen dico vobis, quia Angeli eorum, semper vident faciem patris mei qui in cælis est.*

Ideo ad vindicandum promptiores.

Zach. 2. 8.

Matth. 18. 10.

34. Divinam insuper faciem contemplantes, vident quantum Deus sit innocentum amator, quomodo benevolè afflictos, & miseros intueatur, quomodo

Dei exemplum sollicitos reddit.

modo fateatur se orphanorum, & pupillorum defensorem; unde ad imitationem Domini sui, majori fervore seipsos accendunt, ut afflictos opem ferant, & ab omni injuria defendant. Nil magis animos aulicorum & subditorum impellit, quàm exemplum principis. In Genesi de Angelis insigne ad hoc exstat exemplum; cùm Patriarcha Jacob in visione celeberrima vidit Angelos ascendentes, & descendentes, per scalas quæ cælum terræ conjungebant. Unde siquidem creditis hanc eorum sollicitudinem ortam fuisse? Liranus inquit, scalas illas generationem Salvatoris præfigurasse, ita ut descensum Dei in hæc terrena exhiberent. Quin imò ut aliquis curiosè notat, videbatur Deus ad tertium usque gradum descendisse; quia gradus scalarum erant Patriarchæ, à quibus Deus in generatione humana descendebat. Primus erat Abraham, ab ipso quippe generationis seriem S. Matthæus texere incipit; secundus erat Isaac, tertius Jacob, tunc præsens; ad tertium ergò gradum Deus descendendo pervenerat. Videntes igitur Angeli, Deum ad descensum properare; omni solicitudine, & cura descendere, & ascendere contendunt, ut viam principi venienti præparent. Quòd si sola exhibitio descensus divini in terram adhuc futuri, tantum in Angelorum animis efficere potuerit, quid modò erit, cùm non solùm Deum in terram descendisse, verùm etiam tanta pro homine tormenta tolerasse & in dura cruce crudelissimè interfectum fuisse? Ingentia igitur motiva, afflictos adjuvandi arripiunt Angeli faciem Dei videntes. Sapientissimè igitur dixit Salvator: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, Angeli enim eorum semper vident faciem patris mei.*

Quid significet scala Iacob.

Matt. 18. 10

35. Quid de orationum earum efficacia referam? Dicat hanc S. Job, qui illam bene expertus est; *Appropinquavit*, inquit, *corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis*; afflictus omninò & derelictus videbatur miser, sed quid accidit? *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, miserebitur ejus, & dicet libera eum ut non descendat in corruptionem.* Angelus quippe eloquentissimus mille figuras Rethoricas, & rationes invenire novit, ut clientem suum defendat, & eripiat, idcircò dicit; *Inveni in quo ei propitier.* Optimus est interpres; quod homo quippe dicere non novit, ipse prudenter, & rectè profert: sicut quoque interpretes ad bonum sensum cuncta reducunt, & difficultates interpretantur, & dubia solvunt; pariter Angelus orationes, & desideria nostra interpretatur; & si inconsideratè quid petas, quod

Optimus est orator.

Iob 33. 22.

Ibid. 23.

Ibid.

Et interpres.

saluti tuæ non adeò expedit, illud benignè interpretando ad bonum sensum, & utilitatem tuam reducit. In Apocalypsi legimus Angelum ante altare aureum apparuisse; *Vt daret de orationibus sanctorum*; quia Deo incensum orationum sanctorum offert. Sed cur non dicit; *Vt daret orationes*? In hoc pulcherrimum consistit mysterium; Angelus nempe ex cunctis orationum imperfectionibus commixtis, optimum selegit & hoc Deo offert; videt enim orationes nostras adeò tepidas, & imperfectas, ut si illas ita Deo offerret, potiùs iram divinam provocarent, quàm misericordiam impetrarent, ideoque non omnes orationes offert, sed de orationibus optimum selegit. De Pharisæo superbo legimus, orationem ejus apud illum mansisse; *Pharisæus stans hæc apud se orabat*; non ergò cælum hæc oratio conscendebat: scitis quare? quia superbiâ, & inflatione adeò repleta erat, ut nullus Angelus eam deferre dignaretur; ideoque ad majus ejus bonum, ne ira divina graviùs concitaretur; sicq; ne juxta meritum puniretur, oratio illa apud eum remansit.

Apoc. 8. 3.

Meliores orationes offert.

Luc. 18. 11.

36. Angelus custos optimus est noster advocatus, qui res nostras perfectè curat, in mundo non sufficit habere advocatum, sed instigatore indigemus, qui illum continuò urgeat. Sed cælestes hi advocati urgeri non debent quin potiùs nos ipsos instigant, & urgent. Ita testatur S. Bernardus dicens: *Sedulus ille est in omni loco pedissequus animæ, non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: adeò est solicitus, ut numquam quiescere, aut aliud agere videatur. In Isaia legimus thronum divinum Angelis sex alas habentibus, circumdatum; supremis firmiter manentibus, Dei faciem velabant; infimis pariter firmiter hærentibus pedes ejus velabant; mediis autem continuò volabant. Sed quid sibi vult in Angelis alarum, & officiorum diversitas? Alæ Angelicæ, ni fallor, sunt cogitationes eorum, cum enim aliquo in loco esse desiderant, ibi subitò sunt. Hæ cogitationes, in tres partes divisæ sunt, juxta tres alas; prima est versus Deum; *Semper vident faciem patris*, tertia est versus res corporeas, absque discursu; unde in Apocalypsi legimus; *Angelum aquarum, & Angelum qui habet potestatem super ignem*. Secunda, est versus res humanas: sed quid prima efficit? Immobilis & quieta manet, in Dei contemplatione firmiter hærens, secura quod eam non perdet. Quid tertia agit? Nec hæc se movet, quia res corporeæ non resistunt Angelo, sicque

Sedulus est sollicitator.

S. Bernard. serm. 1. in Cant.

Quid alarum diversitas in Angelis.

Apoc. 16. 5.

Apoc. 14. 18.

sicque illas absque labore regit. De gubernatione autem & regimine humano agens, hîc allaborandum, & alæ continuò movendæ; quia continuò homo Angelicæ inspirationi resistit, aliique inimici protectionem ejus destruere nituntur. Ut eos igitur ad portum æternæ salutis perducat, continuò in opere & fatigatione esse oportet.

Lætitia Angelorum in vita justorum.

37. Quòd si tale est salutis nostræ desiderium, quis lætitiam, & gaudium explicare poterit, quo nos mundi laqueos evasisse feliciter conspiciunt? quali nos honore, & triumpho excipient? Dum Lazarus mendicus moreretur, dicit Christus eum ab Angelis in sinum Abra-
Luc.16.22. hæ delatum fuisse; *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* An anima illius tanti ponderis erat, ut multi Angeli eam deferre deberent? Non sufficiebat Angelus custos? Sufficiebat quidem ponderi, sed non gloriæ, nec triumpho. Sicut in festis solemnibus plurimi ad solemnitatem invitantur, sic Angelus custos volens solemne exhibere festum, alios Angelos convocavit, ut victorem, & clientem suum cohonestarent, & lætitiam augerent.

Simul victoriam celebrant.

Dum aliquod publicatur edictum, una tuba sola inflatur; dum verò pro festo solemni, aut communi lætitia, omnes simul tubas inflant, Quando mortui ad judicium convocabuntur una tuba inflabitur, teste Apostolo; *Canet enim tubâ*; dum verò ani- 1. Cor. 15. 52.
ma in cælum conducitur, plurimi Angeli concurrentes, tubas inflant, & virtutes triumphantis extollunt. Quòd si tantum est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quid erit dum fructum pœnitentiæ percipiet? Si videndo opera bona fieri ita jubilent, quid erit in retributione illorum? Videntur in hoc novos excogitare modos ut cæli lætitiam adaugeant. S. Joannes in Apocalypsi hanc lætitiam exprimere videtur dicens, Angelos in cælo cantasse;
Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. Apoc.19.7.
Sed numquid semper in cælo jubilant? Omninò, sed modo reduplicare vellent, & novos reperire modos quibus animæ cum Deo conjunctionem extollere possent.

Angelo custodi gratitudo referenda.

38. Cùm ergò ab Angelo custode nostro tot recipiamus beneficia, quid ei vicissim retribuere poterimus? Quam gratitudinem exhibebimus? Junior Tobias ab Archangelo Raphaele in via ductus, & reductus, & à plurimis periculis ereptus, patri suo confusus dicebat: *Quam* Tobiæ 12. 2.
mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Si autem Tobias hoc dicebat, quia in uno itinere ab Angelo associatus fuerat, quid nos dicemus, qui

qui scimus Angelos semper nos comitari, & defendere. *Vt custodiant te in omnibus viis tuis*; & omnibus spiritualibus bonis replere? Nil certè dignum tanto servitio reperire possumus. Quid igitur faciendum? Cum ingratitudine moriendum? Nequaquam; Angelus quippe quantò est benevolentior, tantò est liberalior, nil à nobis desiderans, nec expectans. Recordor me legisse S. Petrum è carcere ab Angelo liberatum, non illum cognovisse donec evanesceret; *Existimabat se visum videre*, inquit sacer textus. Sed quomodo, nónne incedebat, nónne audiebat, nónne videbat? quomodo ergò videbatur somniare? Dum pauper ingenti favore à principe afficitur, extra se quasi rapitur; si quoque inopinata felicitas, & prosperitas nobis advenit, quasi somnium accidisse videtur. Hebræi de servitute Ægyptiaca liberati, læti canebant; *Facti sumus sicut consolati*, vel ut alia lectio habet; *Sicut somniantes*. Præ lætitia nimirum insolita, videbamur non esse nobis præsentes, sed quasi somniare. Id ex eo accidere solet, quia natura sub gravi pondere exultationis concidere metuens, non tantam sibi persuadet lætitiam, sed eam diminuendo ait; quis scit si decipiar, aut somnus appareat. Apostolis idem post resurrectionem accidit, cùm enim Salvatorem resuscitatum viderent, non præ infidelitate, sed præ gaudio dubitare cœperunt; *Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio*, inquit Evangelista: favores igitur Angelici, adeò videntur sublimes, ut videantur somnia.

Psal. 90. 11. — Act. 12. 9. — Psal. 125. 1. — Luc. 24. 41.

39. Dicamus quoque Angelum noluisse cognosci, ideoque S. Petro somniasse visus fuit. Sed cur hoc? Nónne ingens fuisset consolatio S. Petro tanto afflicto cognoscere se Angelum comitem habere, se spiritum beatum oculis videre, & alloqui, se Dei assistentem in carcere illum excitantem & ad liberationem exhortantem audire? Cur ergò Angelus non se manifestat? Ut mihi quidem videtur ideò factum credo, ne S. Petrus in gratiarum actione, & liberatione cælesti nimiùm occuparetur, aut cæremoniis extraordinariis Angelicam opem prosequeretur. Angelus autē cùm nil istorum indigeat, nec hos applausus excipere curet, noluit se manifestare. Ad hujus rei confirmationem adducere possumus, illud Apocalypsis; cùm enim S. Joannes Angelum de futura gloria, & æterna lætitia bona nuntia afferentem, adorare vellet, prohibuit illum dicens: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum*. Apparet ergò Angelū nullam gratitudinem pro servitio intendere.

Cur Angelus non se manifestavit S. Petro? — Apoc. 22. 9.

40. Ex

Quæ gratitudo Angelo exhibenda?

40. Ex parte tamen nostra ne omninò videamur ingrati, aliquid ei licèt minimum impendere licebit, ut vel sic gratum animum exhibeamus. Primò ut tribulationes patienter feramus, non enim absque illorum consilio sunt nobis immissæ. Si princeps ante castigationem rei, omnes illius protectores, & advocatos convocans ab illis rogaret, ut pœnam clienti eorum infligendam determinarent: an reus condolere posset, & conqueri sibi injuriam illatam? nequaquam. Pari modo Deus nobiscum operatur, ita quippe Daniel Propheta refert sententiam contra Nabuchodonosorem latam, in senatu Angelico determinatam fuisse: *In sententia vigilum decretum est*, inquit sacer textus: Angelorum videlicet numquam obdormientium. Ipsi quandoque sententiæ sunt executores; sic enim in Canticis legimus sponsam de nocte per civitatem vagantem, ab illis inventam fuisse; *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Si illorum ergò consilio, aut etiam per manum adeò benevolam tibi tribulationes infliguntur, quomodo dubitare poteris illas non tibi fore utiles, & animæ tuæ saluti proportionatas? & consequenter quomodo non benignè, ac libenter ab illis recipies?

Dan. 4. 14.

Cant. 3. 3.

41. Aliud quod Angeli à te exigunt est, ut Deum laudes & benedicas. Quando matres parvulis suis multa bona præstiterunt, ut illos erudiunt esse gratos, dicunt, benedic Deo. Hujus rei præclarum in sacra scriptura exstat exemplum, cùm enim Tobias ab Angelo Raphaele multa recepisset beneficia, inquireretque quid illi pro tantis retribuere posset; non aliud exegit quàm ut Dei laudem omnibus annuntiaret. *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei.* Pari modo Angelum custodem vestrum vobis intimare arbitramini, & pro mercede officiorum exhibitorum; nempe nutritoris, magistri, protectoris, medici, & advocati, aliud non requirere, quàm Dei laudem, & benedictionem. Dum S. Michael insignem victoriam contra Luciferum in cælis obtinuisset, non legimus ullam ipsi laudem assignatam, aut applausus exhibitos, ut inter nos victoribus exhiberi solent: sed quòd laudes Deo exhibitæ fuerunt cantando: *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri:* Fructum siquidem quem Angeli, ex heroicis suis factis prætendunt, alius non est, quàm gloria & laus divina. *Benedicite* ergò *Deum cæli*, ab ipso siquidem ut à primo auctore, omnia Angelorum beneficia sunt recognoscenda. *Benedicite Deum cæli*, non solùm quia dignum est, sed quia

Deus in tribulatione benedicendus.

Tobiæ 12. 6.

Apoc. 12. 10.

quia etiam Angelis gratitudinem exhibes, qui tali officio se semper impendunt, & laudes nostras desideranter auscultant. Sponsa in Canticis id præclarè nobis exhibet, dum de cælestibus spiritibus loquens ait: *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8.13.

Angeli nos in laude Dei adjuvant.

42. Nec solùm auscultant, verùm etiam in orationibus adjuvant. S. Bernardus id præclarè nobis exhibet dicens: *Quod psallentibus quoque dignanter admisceri SS. Angeli soleant, quid eo manifestius? quod Psalmista ait, prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum; unde dicebat; in conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.* Vel ut alii legunt; *E regione Angelorum*; quasi duo chori essent Angeli, & homines, alternis vocibus decantantes. S. Bernard. serm. 7. super Cant. Psal. 67. 26. Psal. 137. 2.

Quia ergò Angeli adeò benè laudes divinas celebrant, etiam vos omnes *Benedicite Deum cæli.* Angeli pro beneficiis hominibus exhibitis Deum laudare solent juxta quod Deus ipse patienti Job dicebat: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Quātò magis igitur nos eum laudare oportet, pro beneficiis propriis? *Benedicite Deum cæli.* Non solùm denique linguâ, verùm etiam corde, manibus, & opere, concedat vobis Deus, ut illum laudetis, & glorificetis semper cum Angelis, & Archangelis in cælo. AMEN. Iob 38. 4.



DISCVR-

DISCVRSVS XLI.

Tribulatio insignem honorem, & gloriam secum adfert, ideoque à nobis alacriter suscipienda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

An gloriam desiderare sit illicitum? num. 1. 2.
Tribulatio non videtur honorem, & gloriam adferre. à num. 3. usque ad 8.
Tribulatio gloriam, & honorem confert. num. 9. 10.
Legitimos Dei filios efficit. num. 11. 12. 13. 14.
Regnum donat. num. 15. 16. 17.
Loco digniori constituit. nu. 18. 19.
Afflictus gratum Deo spectaculum. num. 20. 21.
A Deo cunctis honoribus decoratus. num. 22. 23. 24. 25.
Argumenta contraria improbantur. à num. 26. usque ad 33.
Non impatientiâ, & vindictâ, sed patientiâ honor acquiritur. num. 34. 35. 36.
Tribulatio gloriam Dei confert. nu. 37. 38. 39.

An desiderium gloriæ licitum?

1. NOn minùs curiosũ quàm delectabile videtur problema, quod inter alia Angelicus doctor S. Thomas proponit dicens: Si gloriæ cupidum esse, & ad altum honoris culmen prætendere pertingere, sit virtuti, aut vitio adscribendum; si laudem, aut vituperium mereatur? Problema certè multò difficilius, quàm primo intuitu videatur. Quid enim de hoc referam? An bonum & laude dignum esse judicabo? Sed inde sequeretur contrarium ejus malum & vituperio dignum esse. Dicendúmne ergo foret humilitatem, quæ honores, & dignitates fugere, & contemnere docet, perversam esse? Illáne humilitas omnium virtutum fundamentum, omnium gratiarum receptaculum, justorum corona, contra tentationes omnes scutum fortissimum, paradisi porta, gemma incomparabilis, animam adeò adornans, ut Deum quoque in amorem sui rapiat; illa, inquam, maligna erit? E contrà verò bona erit ambitio, virtutum omnium spoliatrix, venenum animæ, fumus mentem offuscans, macula fœdissima, Angelum lucis, in teterrimum dæmonem com-

Videtur illicitum.

commutans? Quis illud credet? si bonum est gloriam & dignitates ambire, quomodo scriptura sacra iniqua non erit, quæ hoc omni conatu fugiendum admonet? Quomodo Salvatoris doctrina non judicabitur fatua quæ idem nobis persuadet? Deus tandem superbis resistens, dicetúrne impedimentum virtutibus opponere? O quàm efficacia argumenta? Sed quid dicemus ergò? An malum erit avidè gratiam desiderare? An Deus auctor rerum iniquarum erit, cùm per naturam pectoribus nostris ardentissimam gloriæ sitim indiderit? Malum ergò erit, quod ab omnibus honorari, & glorificari cupiat, & apertè

Isa. 42.8. dicat; *Gloriam meam alteri non dabo*? Mala ergo esset ipsa gloria. Sed quomodo in præmium virtuti tribueretur? Quomodo à Deo promissa, & donata sanctis?

1. Reg. 2. 30. Quomodo ipse dixit; *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*? Quomodo modum illam acquirendi, assignavit in Evangelio

Luc. 14.10. dicens: *Recumbe in novissimo loco, ut qui te invitavit dicat, amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*

Vera gloria appetenda.

2. O quales scopuli, quales voragines, undique reperiuntur; ne ergò incidamus in illa, duas gloriæ species distinguendas arbitror. Una dicitur vana, fallax, & apparens; altera solida, realis, & vera. Hanc autem concupiscere semper honorificum fuit; illam verò ambire vituperio dignum. Ambitio igitur non absolutè definitur desiderium gloriæ; sed desiderium sive appetitus inordinatus vanæ gloriæ. Ambitiosi ordinariè depinguntur ventum faucibus apertis recipientes, quo inflari quidem possunt, sed non repleri, cùm S. Paulus dicat; *Scientia inflat*; vento nimirum vanæ gloriæ implet; 1. Cor. 8. 1.
sed *Charitas ædificat*; verè nimirum hominem erigit, & veris bonis non vento replet. Dices fortassis, quæ illa vana gloria vento similis? Illam puto vanam, quæ in bonis meritis non fundata; quæ ad Deum, aut utilitatem proximi non ordinata; quæ indebitis modis procurata; quæ denique à mundi fallacia, non à Dei sapientia donata est. Rectè igitur dicebat S. Paulus; *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Dicere igitur possumus gloriam vino similem, quod modicè, & temperatè sumptum, utilissimum est; sed inordinatè, & extra tempus haustum, inebriat, & multorum sæpè malorum occasio est. Optimè hoc intellexit Isaias, ideoque superbos ebriorum nomine nuncupavit dicens: *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim*. Sed vultis cognoscere, quis hoc vino absque ebrietate utitur? Tribulationes voluntariè sufferentes. Cùm ergò tam avidè vinum gloriæ sitimus,

2. Cor. 10. 17.

Gloria vino similis.

Isa. 28. 1.

mus, vobis hodie exhibere cupio, optimum ac unicum esse medium hoc vinum absque ullo nocumento bibendi, tribulationem patienter sustinere. Cùm igitur de gloria agamus, sciamusque hanc non esse gloriosam victoriam, quam ab inermibus inimicis referimus; arment se bene inimici nostri, & in campum prodeant mundani homines, qui vanam gloriam in rebus prosperis & dignitatibus constituunt, & suis argumentis conclusionem nostram oppugnent.

Tribulatio gloria opposita.

3. In primis pro infallibili argumento afferent quem honorem, quam gloriam tribulatio adferre poterit? Quando indicare volumus, duo esse sibi omninò contraria, dicere solemus esse sicut lucem, & tenebras; *Quæ societas luci ad tenebras?* (2. Corinth. 6. 14.) Unde insipiens reputaretur, qui tenebras lucem adferre diceret. Sed tribulatio & gloria scitis qualiter se habeant? rectè sicut lux, & tenebræ. Id præclarè testatur S. Augustinus, & S. Thomas dicens, gloriam nil aliud esse, quàm claritatem, & splendorem. (S. August. tract. 82. in Joan. S. Thom. 2. 2. quæst. 132. art. 1.) In S. Joanne quoque legimus Salvatorem dixisse; *Pater clarifica nomen tuum*, & responsum illi fuit, *& clarificavi, & clarificabo*. (Joan. 12. 28) De morte quoque S. Petri Joannes scribens, ait: *Significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* (Joan. 21. 19) Quis verò ignorat, tribulationes tenebras appellatas? Ita hoc attestatur Isaias dicens: *Tenebræ stupefecerunt me*; (Isa. 21. 4.) tribulationes nimirum; *Sedentes in tenebris*; (Isa. 42. 8.) in magna nempe afflictione. *Occidet sol in meridie*, (Amos 8. 9) in medio scilicet felicitatis, tribulatio adveniet. Quomodo igitur ab his tenebris lux gloriæ expectanda erit? Ulteriùs, & clariùs idem probemus, quid maximè gloriæ repugnat? Humiliari, vilipendi, confundi: sed hæc omnia nónne tribulationi competunt? Propheta David id clarè nos docet dicens; *Bonum mihi, quia humiliasti me*; (Psal. 118. 71) id est, tribulationem immisisti; *Confudisti nos*, (Psal. 43. 25.) id est afflixisti: *Adhæsit in terra venter noster*; valde miserè excepti fuimus. Si frigus igitur calor dicendus, si nigrum album, si nox dies, pariter dicere poterimus tribulationem honorem, & gloriam adferre. Quin imò quid dedecus est nisi tribulatio? Quidque magis affligit, & contristat, quàm omni honore & gloriâ privatum esse? omni dedecore, & injuriâ affectum, ubique despectum & afflictum esse? Illæ certè sunt majores mundi tribulationes, & honoris ac gloriæ privationes; quomodo ergò honorem & gloriam adferre poterunt? Qui meum aufert, dicere poterit mihi suum donare? Quis hoc umquam credet?

Non omnis tribulatio honorem aufert.

4. Dicet fortè quispiam verum esse, aliquam tribulationem honore

honore privare, non tamen omnem; non enim divitiarum perditio, sanitatis ablatio, aut alia similis. Sed hæc aperta deceptio est, omnes siquidem tribulationes dedecus afferunt, quantum enim ad paupertatem attinet, evidenter probatur. Quando duorum contrariorum unum est causa unius effectus, aliud erit causa contrarii effectus, v. g. si album est disgregativum visus, nigrum erit unitivum, sive congregativum visus. Si calor rarefacit, frigus condensat, &c. Sed quis ignorat divitias honorem adferre? Nónne videtis nomine honoris sæpius appellari? Quando Balac dixit Balaam; *Decreveram quidem magnificè honorare te, sed Dominus privavit te honore*; non aliud significare volebat, quàm donis ditissimis ipsi præparatis privatum fuisse. Cùm quoque S. Paulus dicebat: *Qui bene prosunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*; Non aliud indicare voluit, quàm duplici mercede dignos esse. Paupertas igitur, quæ divitiis privat, honore pariter privabit. Dico insuper semper culpæ attribui; si quis pauper evadat, subitò dicitur, nescivit se regere, prodigus fuit in pecunia expendenda. Pari modo si quis ægrotet, statim accusatur, quòd inordinatè vixerit, quòd Deus illum pro peccatis castigare voluerit. Apostoli videntes hominem cæcum,

Numer. 24. 11.

1. ad Tim. 5. 17.

Tribulatio semper peccato attribuitur.

subitò argumentabātur pro peccatis id ei accidisse, unde dicebant: *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Pari modo Annæ matri Samuelis, socia ejus Phenenna improperabat, quod Deus conclusisset vulvam ejus: *Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum ut exprobraret, quòd Dominus conclusisset vulvam ejus.* Non sufficiebat improperare sterilitatem, sed adjungebat, justo Dei judicio id accidisse; nam si non fuisses mulier scelerata, Deus non tantam tibi maledictionem immisisset.

Ioan. 9. 2.

1. Reg. 1. 6.

Exemplo Annæ & Iob probatur.

5. S Job quoque amici idem improperabant dicentes: *Recordare, quis umquam innocens periit?* Diabolus quoque hanc illorum opinionem adaugebat, quia, *Percussit Iob ulcere pessimo.* Aliqui affirmare volunt ulcera illa speciem morbi gallici continuisse, ut crederent homines propter incontinentiam id illi accidisse. Ad hoc alludere videtur Sophar dum de peccatore dixit: *Ossa ejus replebuntur vitiis, adolescentiæ ejus*; quia propria juventutis vitia, sunt intemperantia, & libido, occultè Job carpendo, ab iisdem vitiis infirmitatem ejus ortam. Scriptura sacra, hanc quoque opinionem promovere videtur; sæpius quippe ingentem felicitatem bonis, & infelicitatem malis promittit: dicente Psalmistâ; *Iunior fui, etenim senui, &*

Job 4. 7.

Job 2. 7.

Job 20. 11.

Psal. 36. 25.

non

non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Si audieritis me bona terræ comedetis: dixit Isaias. Talibus denique promissis sacra Scriptura abundat. Videndo ergò quempiam pauperem, & afflictum, argumentari quasi licebit, illum pessimum, & sceleratum esse: quod est maximum dedecus, quod alicui attribui possit.

Isa, 1. 19.

Honor perditus difficillimè acquiritur.

6. Dices fortassis, verum esse honorem aliquo modo per tribulationem deperdi, sed postmodum major acquiritur; sicut seminans se tunc grano privat, dum in terram mittit, postmodum verò majorem acquirit quantitatem. David hanc opinionem confirmat, dum tribulationem populi sui seminanti assimulat dicens: *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent; euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos suos.* Honor verò nimis difficulter recuperatur, quin imò virginitati similis esse videtur, quæ semel perdita, numquam recuperatur. David Absolonem fugiens civitatem & domũ relinquit, pro cujus custodia, uxores dimittit, quæ pro se custodiâ indigebant. Absalon civitate occupatâ, regale palatium intrat, omnesque uxores David adesse videns, dedecore afficit. Non multò pòst recuperatâ civitate, David domum reverti-

Psal, 125. 5.

tur, nullam tamen illarum mulierum secum retinere cupit. Sed quid illæ peccaverant, quæ solæ remanentes oppressæ fuerant? An virgines conservare voluerat? Nequaquam sed honestas, & nullo dedecore affectas habere desiderabat: quia honor & virginitas pari passu incedunt. Cùm igitur maculam honoris incurrissent, eam indelebilem existimabat, unde non ampliùs secum habere voluit. Cùm Judas Machabæus civitate, & templo recuperato, altare renovare vellet, iisdem lapidibus prophanatis uti noluit; sed numquid illos lavare, aut mundare poterat? Omninò, sed semper memoria prophanationis illius remansisset; cùm enim semel infecti fuissent, vix perfectè mundari poterant, unde potiùs alios accepit.

Macula honoris indelebilis.

7. Cur creditis nobilitatem adeò æstimatam? Nónne plebeus humili loco natus, insignia, & gloriosa opera perpetrare posset? Omninò, sed recordatio vilitatis personæ illi continuò adhæreret, nec umquam levari posse videretur. Politicus quidam docens, quomodo aliquis posset de inimicis suis vindictam sumere, dicebat; *Calumniare, semper aliquid remanet.* Continuò illum diffama, sive justè sive injustè; licet enim contrarium sæpe probet, *Semper tamen aliquid remanet.* Semper fumus

Cur nobilitas æstimata?

quidam, aut denigratio famæ remanet, quæ ita perfectè deleri non potest: nec prima gloria recuperari. Cùm David à pluribus calumniaretur, ad Deum conversus dicebat; *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Hæc tamen ingens Davidis præsumptio videbatur; num tu vilis homuncio vis laudari à cælorum Domino quem omnes Angeli continuò laudant? Non est præsumptio diceret David, sed ita fieri oportet; cùm enim diffamatus fuero, nullus, Deo excepto, famam meam resarcire poterit. Hanc necessitatem, etiam Propheta Habacuc cognoscebat, ideoque conquerendo dicebat: *Quare taces devorante impio justiorem se?* Non dicit, cur illum non defendis, sed cur taces; quasi diceret, parum referret dum permitteres in persona propria affligi, si saltem declarares ejus innocentiam: si enim Domine Deus, non loquaris, nullum exstat remedium, quo honorem suum recuperare possit.

Psal. 108. 1.

Diffamatus vix erigitur.

Habac. 1. 13

Honor difficilè acquiritur.

8. Si insuper honor recuperari possit, quis nescit quàm sit difficile, & quantum tribulatio impedimentum adferat? Philosophorum est communis opinio, quod *honor sit in honorante*; ita ut in manu alterius sit, & ab altero dependeat; unde quoque honorem sæpius conquirere putas, dedecus, & infamiam consequeris. Cùm Moyses intelligeret Jethro socerum suum advenire, sciens se fuisse pauperem apud illum, in throno se posuit judiciali, ubi omnis populus sententiam ejus præstolabatur, indeque honorem sibi acquirere putabat. Sed quid secutum, pro honore, stulti nomen adeptus est; dixit quippe illi Jethro; *Stulto labore consumeris*, stultitia est ita agere, nam pro eo quòd honorari, & æstimari velles exiguitatem ingenii exhibes. Quòd si unicuique difficile sit, & periculosum, honores, & dignitates procurare, multò magis id erit afflictis; licet enim hi naturæ, & ingenii dotibus se in altum extollere possent; tribulationis tamen pondere supprimuntur. De his ita Alciatus in emblematibus suis dicebat:

Exod. 18. 18.

Ingenio poteram superas volitare per auras,
Nî me paupertas, invida deprimeret.

Sapiens quoque id optimè probat dicens: *Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent; pauper locutus est, & dicunt quis est hic, & si offenderit, subvertent eum.*

Eccli. 13. 28.

Tribulatio honorem, & gloriam adfert.

9. Ita primo intuitu juxta illorum sententiam dicendum videtur, si tamen bene attendamus, contrarium omninò reperiemus; honoratissimam nimirum, & gloriosissimam tribulationem

lationem esse. Ut hanc nostram conclusionem probemus, dicendum est gloriam vel à rebus externis, vel internis dependere; externæ sunt nobilitas, divitiæ, amici &c. Internæ sunt virtus, fortitudo, sapientia, &c. quæ in tribulatione mirabiliter continentur. Quantum ad res externas, inter eas primum locum nobilitas obtinet, ex illustribus parentibus natum esse, multum refert; quia teste Sapiente: *Gloria filiorum, patres eorum.* Aristoteles quoque in suis politicis ait, nobilitatem apud omnes gentes in pretio esse; cùm sit credibile illos meliores esse, qui honestioribus parentibus oriuntur. Dum cum aliquo agimus, subitò progeniem, & dignitatem inquirimus. Saul Davidem alloquens, non sapientiam, aut fortitudinem inquisivit, sed familiam, dicens: *De qua stirpe est hic adolescens.* In hac nobilitatis progenie, nullus tribulationem superare potest: quis siquidem parens dignior Deo reperiri potest? huic patri filios tribulatio generat, teste S. Paulo; *Flagellat omnem filium quem recipit, quod si extra disciplinam estis, ergò non filii.* Deus, inquit, Apostolus, neminem agnoscit filium, nisi quem tribulatio probaverit, si autem tribulationis non sitis participes, nec filiationis participes eritis. Sed quomodo possumus esse filii Dei?

Prov. 17. 6. Arist. lib. 2. pol. cap. 6.

1. Reg. 17. 55.

Hebr. 12. 6.

Afflicti nobilissimi sunt.

Non per naturam, quia hoc proprium est verbo divino, sed per adoptionem, excellentiori tamen modo. Inter omnes adoptionis modos ille præcipuus est, qui per lactationem habetur; sicut enim filius naturalis ex sanguine patris & matris generatur, ita filius per lactationem adoptatus, sanguine nutricis in lac converso alitur, & educatur. Si regina filium non suum lactare vellet, quis non judicaret ingentem favorem esse, & signum evidens se illum in filium adoptare. Cùm gentiles Herculem mortalem, inter Deos numerare vellent, nullum convenientius remedium excogitare poterant, quàm illum Junonis Jovis uxoris lacte enutritum fuisse.

10. Quod si gentiles de Hercule id fabulati fuerint; potiori ratione, de omni afflicto, & tribulato id affirmare poterimus, illum nimirum ex lacte sponsæ Christi bibere. Quænam autem est hæc sponsa Christi? S. Crux, pro qua patrem, & matrem dereliquit. Patrem dereliquit, quia se pro filio Dei non cognosci, libẽter sustinuit: *Si enim cognovissent, numquam Dominũ gloriæ crucifixissent.* A patre quoque videbatur derelictus cùm in cruce exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Matrem dereliquit, cùm in cruce pendens dixit; *Mulier ecce filius tuus.* Dices fortassis, in cruce non lac sed sanguis

A sponsa Christi lactantur.

1. Cor. 2. 8.

Matt. 27. 46

Ioan. 19. 26

ſanguis eſt; etiam lac eſſe affirmare audeo, quid enim creditis lac eſſe, niſi ſanguinem album, cùm ſit ſanguis bis coctus? Talem ſanguinem Christus è Cruce ſparſit; S. Joannes in Apocalypſi de martyribus loquens ait: *Dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*; ſed quomodo in ſanguine dealbare poterant? quia hic erat ſanguis bis coctus in cruce, & in amore divino. Hoc lac tribulatis in potu offertur; dum filii Zebedæi prima loca regni cæleſtis peterent, illos primò filios ſuos efficere voluit, ideoque tribulationis calicem obtulit dicens: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* calicem nimirum crucis, & tribulationis. Sponſa in Canticis de ſponſo ſuo loquens ait; *Mel & lac ſub lingua tua*: ſed quomodo hæc laus cum alia convenit, quando de labiis ejuſdem ſponſi ait: *Labia ejus Lilia, diſtillantia Myrrham primam*. Myrrha amara eſt, lac dulce; Myrrha corporibus mortuis inſervit, lac infantibus vix natis tribuitur; ſi ergò lac, & mel ſub lingua habet, quomodo labia ejus myrrham diſtillant? Valde bene, ut nimirum cognoſcas in domo Dei lac & myrrham, tribulationem nempe & amaritudinem eandem rem eſſe. Hanc eandem opinionem intellexiſſe videtur Patriarcha Jacob cùm filio ſuo diceret; *Inundationes maris quaſi lac ſugent*; ſed hæ nónne ſalſæ ſunt, & amaræ? quid ergo ipſis cum lacte? Optimè conveniunt, nam Dei ſervis amaritudines & tribulationes ſunt lac dulce.

Apoc. 7. 14. — Matth. 20. 22. — Cant. 4. 11. — Cant. 5. 13. — Deut. 33. 19

11. Parum hucuſque dixiſſe videor, quia non ſolùm tribulatio eſt lac filiorum Dei, verùm etiam partum legitimum probat. In mundo quandoque accidere poteſt lactari filium tamquam proprium, qui verè proprius non eſt, cùm in cunis alius ſuppoſitus fuerit, aut alio modo commutatus: ab hoc autem periculo tribulatio ſecuros nos reddit. Extranea olim in Germania conſuetudo inoleverat, quod præ zelotypia, filios vixdum natos, tali modo legitimos comprobare conſueverant; ut ſi Rhenus fluvius illos in ſcuto expoſitos abſorberet, quaſi illegitimos, & adulterinos exiſtimarent, nec ullum pro iis dolorem concipiebant; ſi verò retenti, & ad ripam reducti fuerant, ut legitimi enutriebantur. Pari modo Deus nobiſcum agit, filio aliquo ſuſcepto, aquis tribulationis probat; illud quippe teſtatur Angelus ad Tobiam dicens: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Nónne videtis Deum quoque velle ut aquâ Baptiſmi, filii ejus regenerentur? Qui in aquis naſcitur, libenter in iis commoratur; cùm igitur omnes Chriſtiani in aquis Baptiſmi ſint nati, libenter quo-

Tribulatio legitimos Dei filios efficit. — Tob. 12. 13.

que

que tribulationis aquas amplecti debent. De his aquis sponsa Cant. 8. 7. in Canticis ait: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Si nos ergò scuto patientiæ retenti, non sinemus aquis tribulationis opprimi, signum evidens erit, nos veros, & legitimos Dei filios existere.

Tribulatio signum filiationis tribuit.

12. Tribulatio insuper non solùm infantes legitimos Dei filios efficit, & probat, verùm etiam seniores. Dum filius parvulus deperditur, & grandior effectus reperitur, vix cognosci potest; cuncta siquidem in facie & corpore immutantur, quomodo igitur cognosci poterit? Si cicatricem, aut maculam desiderii materni in corpore gestet, faciliùs cognosceretur, cùm similia eadem remaneant. Pari modo in filiis Dei accidit, nam boni vix à malis cognoscuntur: 1. Ioan. 3. 2. dicente S. Joanne; *Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*: unde valde difficile est filios Dei à filiis diaboli cognoscere. Hoc rectè intellexit paterfamilias, qui servis suis cuncta in agro zizania eradicare volentibus prohibebat dicens, Matth. 13. 26. *Non ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* Sed nullum posset reperiri signum, quo cognoscerentur? Omninò, effectus desiderii materni, quem è matre gravida contraxerunt. Qualis autem hic effectus? Crux Redemptoris nostri, mater nostra extitit teste Isaia Propheta; *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva*; Isa. 46. 3. desiderium ipsius fuit crucem amplecti; *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Luc. 12. 50. Ideoque hoc desiderium in cunctis filiis ejus remanet: dicente S. Paulo; *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Cor. 4. 10. Alibi quoque ostendens quinam sint filii Dei signum evidens talis notitiæ assignat dicens: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt*: ad Galat. 5. 24. signum crucis & tribulationis circumferunt.

Insignis Spartarum mos.

13. Nec solùm afflictus filius Dei dicitur, verùm etiam ex nobilioribus est. Apud Spartas bene ordinatum populum, amicos, & consanguineos populi Hebræi, ut ex libris Machabæorum constat; insignis inoleverat mos, ut in festo quodam filios ad sanguinem usque virgis exciperent. Hæc consuetudo illorum à Licurgo legislatore introducta fuit, pro sacrificio hominum quod offerre consueverant, utque juvenes ad patiendum confortarent. Inter hos autem juvenes, mirabilis erat contentio quis patientior in verberibus existeret, qui autem alios superaret, dignior filius habebatur. Pari modo in domo Dei accidere dicamus; nos omnes

Plura patiens dignior filius. nes morti æternæ primò destinati eramus; placuit autem divinæ misericordiæ hanc pœnam cum tribulatione commutare, qui voluntariè pro honore ejus & patienter sustinuerit, dignior erit. Ita inter se sanctâ contentione certabant, Martyres & Apostoli, qui tantò gloriosiores esse videbantur, quantò majora tormenta pro Christo perferre potuerant. S. Paulus longo privilegiorum catalogo enarrans se cæteris Apostolis inferiorem non esse dicebat:

2. Corinth. 11. 22. *Hebræi sunt, & ego, Israëlitæ sunt & ego, ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico)* per tribulationes toleratas, quibus se alios excedere asserebat: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum.* Hoc privilegium adeò zelosè tuebatur, ut nulli alteri communicare vellet, ideoque vinculis ferreis constri-

Act. 26. 29. ctus, aliis dicebat: *Opto omnes fieri tales, qualis & ego sum exceptis vinculis his.* Desidero videlicet omnes Christianos Apostolos esse, spiritu Sancto plenos, vasa electionis, nulli excellentiæ invideo; unicum tantùm privilegium mihi reservo, has nempe catenas, quæ me digniorem Dei filium constituunt. Nec in vita solùm, verùm etiam post mortem Apostoli catenas suas plurimum æstimarunt; difficulter aliquid ex iis concedebant summi Pontifices teste S. Gregorio magno.

14. Quòd si afflictus ex charioribus magisque honoratis Dei filiis est, quis dubitare poterit, illum divitias aliaque bona possidere? Non enim hæc nobilitas, ut mundana est, quæ non semper divitiis, dignitati, aliisque bonis associata est. Licet quoque illis abundet, facillimè tamen perdit. Sapienter Græci nobilitatem per Cicadam signrabant: cujus imaginem gerebant omnes, qui de nobilitate se jactabant, unde natum erat illis proverbium *Cicadarum pleni*, quod de illis dictum, qui præter nobilitatem, nil aliud possidebant. Hoc proverbium symbolicum inde ortum habet, quod sicut Cicada latino vocabulo dicitur, eò quòd citò cadat, vel facilè moritur; sic nobilitas nisi à virtute, aut saltem à divitiis sustentetur, facillimè cadit, aut evanescit. Sicut quoque Cicada, nec pro cibo, nec potu bona est, nec seipsam pascere novit, sed rorem cælestem expectat; ita nobilitas nec commoditatem victus, nec habilitatem ad illum procurandum adfert, sed aliunde illum expectare oportet. Nihil denique à Cicada percipis, quàm sonum exiguum, quem in ventre format. Nec aliud sanè nobilitas confert, quàm famam, & sonum, quem ex utero materno acquirit, juxta dictum Oseæ Prophetæ; *Gloria eorum, à partu, & ab* Oseæ 9. 11.

Cur Cicada nobilitatis signum.

& ab utero. Non talis, inquam, est nobilitas affiliationis divinæ, sed thesauros immensos, & bona infinita confert. Quales in Dei hæreditate concluduntur. Id præclarè testatur Doctor gentium dicens: *Si filius, & hæres*, quia filio hæreditas debetur. Inter octo beatitudines, duæ sunt, quibus non tantùm promittitur regnum cælorum, verùm etiam datur; tales sunt quæ tribulationes conjunctas habent; unde dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quod si regno cælorum contentus non fueris, sed regnum terrenum ambias, optimum remedium illud acquirendi erit tribulatio. S. Augustinus id præclarè probans in quæstionibus super librum Josue in illis verbis: *Dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat;* dubium movet, quod aliquam terræ partem Jebusæi, Chananæi, & Amorrhæi possidebant: Quomodo ergò verùm erit totam ab Israëlitis possessam fuisse? Respondeo non minus hanc quàm illam ab eis obtentam fuisse; hæc quippe ad illos in persecutionibus exercendos ordinata fuit: *Omnis terra*, inquit S. Augustinus, *illis in possessionem data est, quia & illa pars in quandam exercitationis utilitatem data fuerat.* Nec diversimodè alium locum Genesis exponit, *Major serviet minori;* videlicet inquit, *Non obsequendo, sed persequendo.*

Afflictus nobilis, & dives.

ad Galat. 4. 7.

Matt. 5. 3.

Josue 21.41

S. August. in quæst. super lib. Josue.

15. Ulteriùs hanc sententiam probando, dico, quomodo creditis Romanos mundi Dominos, tantam potentiam, & excellentiam obtinuisse? Quæstionem hanc variè tractant S. Augustinus, Diones, Salustius, S. Thomas aliique. S. Augustinus ex magna parte virtuti morali adscribit, alii amori patriæ attribuunt, alii animo excellenti; licet enim quandoque vinci videbantur, numquam tamen se victos dabant; alii exercitationi bellicæ, diversi diversis has victorias adscribebant. Si tamen inter hos mihi dicere liceret quid sentiam, in tolerantia laboris, & tribulationis eos cuncta superasse affirmare audebo. Non mea hæc inventio, sed Spiritu sancto dictante prolata. Sed quid? an Spiritus sanctus Romanorum excellentias enarrare aggressus? Ita esse constat ex libris Machabæorum, ubi paucis verbis ingentia Romanorum facta exhibentur. Inter alia autem dicitur, *Sunt potentes viribus, & possederunt omnem locum;* sed quomodo in armis, & potentia non, sed *consilio suo, & patientiâ;* quia non præcipitanter, sed advertendo ad singula, & cunctos labores, & tribulationes volun-

Quomodo Romani cuncta obtinuerint?

S. August. lib. 5. de civit. Dei cap. 12. Diones lib. 38.

1. Machab. 8. 4.

tariè & patienter ferendo.

Potentia in adversis optima.

16. Saul quoque Rex Israel ex eo quod David patienter cunctas tribulationes sufferret, cumque illum in spelunca occidere potuisset, nullum tamen malum intulit, argumentatus est eum sibi in regnum successurum; unde dixit: *Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis*: quasi diceret, antea quidem suspicari poteram, modò tamen te adeò patientem advertens, certissimè cognosco te mihi in regnum successurum. David quoque idem optimè intellexit; cùm enim ab Absalone regno pulsus, & à Semei multis injuriis affectus esset, non in in Semei, sed in Abisai vindicare volenti, insurrexit. Præclarè id testatur S. Bernardus dicens: *Ulciscenti potiùs, quàm exprobranti succendendum putavit*: existimavit siquidem maledictionem illam humanam, benedictionis divinæ semen esse: unde dicebat; *Si fortè reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna.* Cùm siquidem se per tribulationem, & patientiam regnum adeptum fuisse cogitaret, iterum illud hoc medio se recuperaturum confidebat; quodque Semei maledictione sua denuò præpararet ascensum ad thronum regalem, quem Abisai auferre volebat. Afflictus denique, & persecutus cuncta patienter ferens, cælo & mundo dominatur.

1. Reg. 24. 21.

S. Bernar. serm. 34. in Cant.

2. Reg. 16. 13.

17. In hoc Deus procedere videtur sicut populi quidam in regione Peruana, de quibus scribitur, quòd regem eligere volentibus, lignum ponderosum accipiant, regnumque ambientes simul convocant, qui diutius lignum absque eo quod sub pondere ruat, portare potest, ut rex ab omnibus honoratur, & accipitur. Pari modo Deus agere videtur, qui constantius lignum Crucis suis humeris gestare novit, Rex, & Dominus universorum constituitur. S. Joannes populo Thiatiræ scribens in nomine Salvatoris ait: *Non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete, donec veniam, & qui vicerit, & custodierit, usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.* Optimè tandem dixit Seneca;

Just. Lips. in mon. polit. lib. 2. cap. 3.

Patientia regnum donat.

Apoc. 2. 24.

Regem non faciunt opes, non vestis Tyriæ color;
Rex est qui posuit metus, & diri mala pectoris:
Qui tuto positus loco, intra se videt omnia.

Ad hunc statum nemo meliùs pervenire potest, quàm per tribulationem, quæ omnes mundi voluptates despicere, cunctamque mundi cupidinem evincere facit.

Quis locus honoratior in bello, & pace?

18. Quantum ergò ad primum modum, honorem nempe qui à divitiis, nobilitate, & dignitate dependet, nihil in tribulatione desiderandum. Nec minus

minus de eo dicendum, quod à propriis procedit meritis, pulcherrima est differentia inter locum honoratiorem civitatis in pace florentis; & locum honoratiorem in campo militari, & exercitu in civitate, locus commodior, est honoratior, si inter multos in medio, si cum solo à dextris. Dicet tamen aliquis in processionibus ultimus locus honoratior; respondeo id verum non esse, cùm in medio ubi prælatus vadit inter populum & clerum, sit honoratior, ideoque Ecclesiastici, qui magis prælato appropinquant, sunt honoratiores. In exercitu autem quis dignior æstimatur locus? qui periculosior, ubi magis inimico appropinquatur, & fortitudinem contra adversarios exhibere oportet. In exercitu Caroli Quinti generosus dux Prosper Colũna, propter præclara facta privilegium obtinuerat, ut cum suis primo loco inimicum aggrederetur; accidit autem quadam vice, ut exercitus imperialis à posteriori parte invaderetur, cumque ille in anteriori parte cum suis procederet, petiit à Carolo Quinto ut liceret ipsi ordinem immutando inimicum primò aggredi; alii tamen duces se opponentes responderunt, illi in priori exercitus parte privilegium concessum, non verò in posteriori. At ille replicans ait, illam esse priorem exercitus partem, quæ inimico vicinior primos insultus sustinere debet, ideoque dum se illi immediatè opponit anterior pars dicetur, & quæ magis ab inimico distat, posterior reputabitur: illoque argumento juxta privilegium primò inimicum aggressus est.

19. Eandem differentiam, credo inter Dei & mundi servos esse; mundus bella fugiens quietem & propriam commoditatem amat, de quo Salvator dicebat: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.* Luc. 11. 21. Civitati autem Jerosolymitanæ ait; *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi.* Luc. 19. 42. In hac mundi civitate ille videtur digniorem habere locum, qui commodiorem habet, ideoque mundi sequaces, *Amant primos recubitus*, volunt omnes in dignitate excellere. Matt. 23. 6. Christi autem sequaces sunt omnes milites, ad bella properant; idcircò dixit: *Qui non habet vendat tunicam, & emat gladium*; Luc. 12. 37. de universa quoque Ecclesia dicitur; *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. 3. In hoc exercitio quis dignior erit locus? qui hominem inimico viciniorem constituit, qui majoribus periculis expositus erit, qui majorem occasionem præliandi dabit, id est, qui majores perferet tribulationes. *In tribulatione dignior locus.* Hujus rei insignem in Apocalypsi probationem habemus; vidit S. Joannes magnam hominum Apoc. 7. 4.

multitudinem, quæ ingentem electorum significabat frequentiam; inter quos aliqui pulchriores, ditiores, & honoratiores erant. Hos intuens Apostolus scire cupiebat qui illi essent, quod advertens Angelus, nomine ejus

Ibid. 14. petebat; *Hi qui amicti sunt stolis albis qui sunt, & unde venerunt*; cui responsum est; *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Notandum autem hîc est, ad primam interrogationem non responderi, sed ad secundam; *Vnde venerunt?* Quasi diceret, non hanc gloriam ex propria persona possident, sed eò quòd multas tribulationes perpessi sint. Non quia sint nobiles, aut potentes, sed quia fuerunt tribulati, & afflicti. Filiis Zebedæi prima loca in regno cælorum quærentibus, à Chri-

Matth. 20. 22. sto dictum fuit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi diceret, non hæc loca ob nobilitatem, sed ob mortem, & passionem, non propinquis, aut consanguineis meis, sed mei similibus, & in passione sociis debentur.

Afflicti gratum Deo spectaculum.

20. Sed quid mirum si hi afflicti oculos S. Joannis rapiant, cùm Deum quoque alliciant. Propheta regius id optimè pro-

Psal. 112. bat dicens. *Excelsus Dominus, & humilia respicit*, pauperes nimirum, & afflictos, hos siquidem sacra scriptura humiles vocat. Ubi quoque in sacra scriptura dicitur, Deum clamorem peccatorum percipere; *Clamor Sodomorum venit ad me*; de afflictis ait; *Vidi afflictionem populi mei*; ita ut Deus de sublimi attendat, & conspiciat afflictos. Id non solùm in novo testamento, in martyrio S. Stephani probari potest; verùm etiam in antiquo clarè patet. Cùm Patriarcha Jacob ex metu fratris afflictus in terra quiesceret, vidit Dominum in summo cælorum scalæ innixum, sicut aliquis innititur alicui ut perfectiùs attendat; unde gravis quidam auctor ait: *Quàm pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur*; & paulò pòst: *Quis non miles sub oculis Imperatoris, audacius periculum provocet?* Seneca insuper gentilis Philosophus idem cognovit, & de justo tribulato loquens dicebat: *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

Gen. 18. 20.

Exod. 3. 7.

Afflictus Dei miles electus.

21. Sed quid mirum Deum adeò attendere; cùm sit Dei miles generosus, qui opus ejus perficiat. Duobus principibus simul præliantibus ne tantus spargatur sanguis, differentiam quandoque duobus generosis militibus committunt, quorum unusquisque pro principe suo dimicat. In hac occasione felicem se æstimat, qui à principe eligitur,

eligitur, licet se mortis periculo exponat; ita siquidem se princeps in fortitudine sua confidere ostendit, ut quasi ipsi inniti videatur, quidquid gloriæ & honoris princeps possidet. Pari modo Christus, & diabolus simul contendunt: filius hominis venit, ut dissolvat opera diaboli, diabolus instar Goliath servos Dei ad prælium vocat; *Descendat ad singulare certamen.* Quis ex parte Dei constitutus? Afflictus in hoc certamine honorem Dei tuetur, teste principe Apostolorum; *Si exprobramini in nomine Christi beati*: Sed quâ ratione tales sunt beati? audite ipsum egregiè sententiam nostram defendentem, & declarantem, beatos vocat qui opprobria pro Christo sustinent, quia Christus illos elegit, ut honorem & gloriam suam defendant, contra inimicos obtrectatores illam destruere cupientes: *Quoniam*, inquit, *quod est honoris, & gloriæ Dei, super vos requiescit.* Hoc singulari privilegio decorati fuerunt Moyses, & Aaron; cùm enim pro honore, & gloria divina certantes, populus seditionem commoveret, se ad tabernaculum, & Arcam fœderis receperunt; & ecce subitò gloria Domini illos protexit, & tamquam suos Athletas suscepit, ne inimici contra eos prævalere possent. *Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Sed qua de causa gloria Domini tunc descendit? Quia vidit pugiles suos eum defendere volentes nimiùm affligi, & à populo opprimi. Præclarè id notat Origenes in hunc locum scribens: *Non legimus*, inquit, *antea, quòd obtexit nubes tabernaculum, & apparuerit majestas Domini, & receperit intra nubem Moysen, & Aaron, nisi tunc cùm insurrexit in eos populus & voluit lapidare. Discamus ex hoc quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, & quantum gloriæ conferatur, quomodo propugnator fiat Deus.*

1. Reg. 17. 8

1. Petr. 4. 14.

Ibid.

Quomodo Moyses & Aaron à Deo protecti?

Numer. 16. 43.

22. Necdum afflicti honorem sufficienter expressimus, sed ulteriùs procedendo clariorem reddemus. Ingens quondam agitata lis erat, quis titulus honoratior Equitis, vel Doctoris? sed lis hæc ad tribulatum nil pertinet, utramque siquidem dignitatem possidet. Crucem quippe instar Equitis gerit, non illam titularem S. Jacobi, aut S. Stephani; sed veram, & realem Salvatoris nostri; hanc siquidem omnibus suis promisit, dicens: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me.* Hoc rectè testatur Olympiodorus in Job scribens: *Non enim victoria est non pati, sed patiendo invicto stare animo.* Doctor quoque est tribulatus, illud siquidem efficit, quod Imperatores efficere non

Afflictus doctor & eques.

Matth. 16. 24.

non possunt. Ita præclarè testabatur Sigismundus Imperator, dicens cuidam se potiùs equitem quàm doctorem glorianti, possum, inquit, unâ horâ centum creare equites, sed ne unum quidem Doctorem, infundendo scilicet doctrinam. Tribulatio tamen id optimè efficere novit: S. Paulus doctor celeberrimus exstitit; unde titulo Doctoris gentium decoratus, & Ecclesia de illo cantat; *Doctor egregie Paule mores instrue.* Sed in qua universitate lauream doctoratus suscepit? In illa tribulationis, in schola Christi; *Ego,* inquit Christus, *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*: ideoque nil se aliud scire profitebatur, quàm tribulationem, & crucem; *Nil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Semper in tribulationibus suis & opprobriis gloriabatur, seque supra alios extollebat, quia plura perpessus fuerat, & in schola tribulationis magis exercitatus. Ut quis doctrinam aliquam citiùs percipiat, solet illam in compendium reducere; in tribulatione & cruce, omnes scientiæ compendiosè habentur & Christus eas doctissimè ibi tradidit. Sed quid mirum tribulationem Apostolum Paulum docuisse, cùm etiam Salvatorem nostrum optimè erudierit? Ita quippe hoc testatur idem Apostolus dicens: *Didicit ex iis quæ passus est.* (ad Hebr. 5. 8.) Hinc quoque intelligi poterit quod Isaias de illo prædicebat dicens: *In scientia sua justificabit ipse justos servus meus multos.* (Isa. 53. 11.) Quis umquam audivit scientiam justificare? Sed credo illum de hac scientia loqui, de qua dixerat; *Scientem infirmitatem,* (Ibid. 3.) quæ eadem est cum tribulatione, & passione, ita ut pati, & scire, idem quasi sit; unde ex scientia tribulationis suæ erudivit nos quid pro ipso agere debeamus.

Tribulatio honorem Dei exhibet.

23. Nec hîc finiunt tribulationis honores; non exiguum exhibet alicui princeps honorem, si manum suam humero alterius imponat. Sed quid per hoc illi donat? Nihil omninò, quia manus humana nullam habet virtutem ex seipsa, aliquid tamen favoris exprimit. Scriptura sacra idem asserere videtur, dum Isaias ait sibi per manus impositionem favorem eximium præstitum. *In umbra manus suæ protexit me.* (Isa. 49. 2.) Deum autem manum alicui imponere, non solùm favor insignis reputatur; verùm etiam beneficia confert; quia manus ejus beneficiis plena, dicente Psalmista: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* (Ps. 144. 16.) Super quem verò hæc manus ponitur? Super tribulatum, teste Isaia; *Extendit manum suam super eum.* (Isa. 5. 25.) Sed quam manum Deus imponit, dextram, aut sinistram? Artaxerxes

Manus Dei beneficia confert.

taxerxes Longimanus, dicebat principis dextram, favores, & gratias, sinistram pœnas tribuere. Deus ergò cum aliquem affligit, sinistram manum imponit; sed quid est in sinistra Dei? Audi Sapientem id præclarè docentem; divitiæ sunt, & gloria. *Longitudo dierum in dextra illius, & in sinistra illius divitiæ, & gloria.* Per dextram æternitatem intelligens; ibi siquidem præmia, & favores expectandi, non verò hoc tempore; in sinistra autem quâ tribulationem infligit, sunt divitiæ, & gloriæ, quas in hac vita afflicti recipiunt. Optimè hoc cognovit S. Propheta Job, expertus quippe quod sinistra Dei manus illum attigisset, ait: *Manus Domini tetigit me*; unde de tanto honore admiratus dicebat: *Quid est homo quia magnificas eum?* quasi diceret, quanto honore hominem afficis quod eum visitare, illique manum imponere velis? Cùm Aman à rege Assuero interrogaretur, quali honore princeps subditum suum afficere posset. Credens regem sibi velle talem honorem conferre; non alium scivit honorem imaginari, quàm ut equum regium ascendens, regalibus vestibus indueretur, & coronâ regiâ decoraretur. Universa hæc, & multò plura, Deus afflictis præstat; equum regium ascendit, dum crucem defert, coronâ regiâ decoratur, cùm spinis tribulationis pungitur; vestibus quoque regalibus induitur, cùm opprobria, & ludibria patienter suffert.

Prov. 3. 16.

Job 19. 21.

Job 7. 17.

Afflictus mensa divina assidet.

24. Ulteriùs quoque tribulationem efferamus; illamque à dextris regis constituamus. Cùm Rex Hispaniarum, rexq; Franciæ quadam vice simul pranderent, tertium socium Ferdinandum insignem exercitus ducem assumpserunt, dicentes meritò posse regibus assidere, qui tot regna acquisiverat. Pari modo Deus cum afflictis agere videtur; cùm enim de regno suo, & mensa in qua comederet cùm Apostolis dissereret, dixit illos mensæ suæ assessuros, quia iisdem tribulationibus affecti fuerant. *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ut edatis, & bibatis super mensam meam*, si socii tribulationis fueritis, & consolationis eritis; sicque volo vos assidere mecum mensæ patris mei. O qualis honor, & excellentia tribulatorum. Parum tamen videmur dixisse, ideoque majora addenda. Quando subditus principem suum visitare cupit, observare solet, quâ benignitate illum excipiat, inde siquidem colligit, in quo gradu honoris illum teneat. Quomodo igitur creditis Deum in simili occasione cum afflictis agere? quantum honoris, & gloriæ imaginari potestis percogitare,

Luc. 22. 28.

non enim puto vos ad aliquem honoris gradum quo Deus illos afficit, pertingere posse. An ex throno divino consurgens, illis obviam procedit? Parum hoc esset; an à dextris sedere concedit? exiguum esset; An vestibus regalibus induit? nec hoc efficit. Sed quid amplius peragere potest? è Throno suo discedens afflictum in eo collocat. O qualis honor, & gloria ejus? Sed quis hoc credat, nisi S. Joannes dilectus Dei Apostolus idipsum dicat? Sic enim in Apocalypsi sua testatur dicens: *Qui vicerit*, in tribulatione nempe, & patientia; *Dabo illi sedere*; non dicit efficiam ut illi præcipiatur; sed manibus propriis sedem ejus accommodabo. Quam sedem autem Dominus accommodabit? suam propriam; *dabo illi sedere mecum in throno meo*; O qualis excellentia, & gloria afflictorum? Quid amplius desiderari potest? Si in throno Dei tribulatus collocetur, ergò Cherubim, & Seraphim ante Dei thronum stantes, ipsumque adorantes, afflicto id exhibebunt: & 24. seniores qui coronas suas ante thronum Dei ponebant, ad pedes tribulati illas constituent. Omnes igitur sancti, & gentes, Dei thronum venerantes, & ab eo sententiam pro peccatis, & meritis expectantes ante afflictum se constituent, ab eoque sententiam expectabunt?

Afflictus in Dei throno sedebit.

Apoc. 3. 21.

25. Ita affirmare auderem cum ipsomet Salvatore in S. Matthæi Evangelio id asserente. Examen generale quod in die judicii fiet nullam mentionem afflictionum, & tribulationum facit, sed operum bonorum tantùm: *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere.* Quid sibi hoc vult, quod afflicti qui famem, sitim, & mortem ipsam pro Christo pertulerunt, non sint vocati? Scitis cur illi non sint vocati? quia hîc judicandi vocantur, cumque tribulati non inter illos, sed inter judices ipsos computabuntur, non fit eorum mentio. Illa quoque sententia; *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, non tantùm verificatur & dicitur in persona Christi, verùm etiam afflictorum; ut Christus testatur dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* O quanta excellentia, gloria, & honor afflictorum! Cùm ergò videatis pauperes, & afflictos, judices vestros futuros illis benevolentiam, & amorem exhibere procurate largam ipsis impertiendo eleemosynam.

Omnes judicabit.

Matth. 25. 35.

SECVNDA PARS.

26. EX hoc discursu, ni fallor, clarè videri potest, quàm efficacibus argumentis, tribulationem omni honore, & gloriâ dignam esse probaverimus? modò exigua quædam fortalitia

Argumentis contrariis respondetur.

talitia, in quibus se adversarii contrariæ partis receperunt, expugnanda restant: argumenta nimirum in principio discursus posita quæ facili negotio superare poterimus. Quid ergò dicebatur? gloriam & tribulationem sibi invicem opponi, sicut tenebræ & lux? Nescitis tamen talem esse naturam honoris, ut insequentes fugiat, & fugientes persequatur. S. Jeronymus de S. Paulo loquens, id egregiè testatur: *Fugiendo gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores suos deserens, appetit contemptores.* Ad Nepotianum quoque de eodem Sancto loquens, ait: *Quantò magis repugnabat, tantò magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat, eòque dignior erat, quò magis se clamabat indignum:* Sic ergò gloria fugiendo acquiritur. Sed quomodo ab uno contrario fugimus, nisi ad aliud accedendo? verum est igitur quod tribulationem complectens, honorem fugit; sed ideò tantò magis honoratur, quia honor illum insequitur, juxta dictum Salvatoris: *Qui se humiliat exaltabitur.* Nescitis quoque Deo proprium esse, ex tenebris lucem elicere, juxta dictum Apostolicum; *Qui dixit de tenebris lucem splendescere*; & Propheta David ait: *Nox illuminatio mea, in deliciis meis?*

Honor fugientes sequitur.

S. Jeron. epist. 27. ad Eustoch.

Luc. 14. 11.

2. Cor. 4. 6.

Psal. 138. 11.

27. Cui, quæso, umquam facies splendidor quàm Moysi apparuit, cùm teste S. Scriptura Israëlitæ non poterant faciem ejus intueri? Cur verò creditis Deum hunc favorem illi præstitisse? hoc fuisse arbitror ut populo gloriosiorem redderet, à quo tot injurias, calumniasque receperat. Cumque propter illas fama ejus denigrata non fuisset, voluit Deus ut facies ejus splendesceret, omnisque sinistra opinio à mentibus illorum evanesceret. Egregiè illud docet S. Ambrosius dicens: *Quantas à populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quàm miti sermone post injurias appellabat? Quomodo consolabatur in laboribus? deliniebat oraculis? fovebat operibus? meritò æstimatus est super homines, ita ut vultui ejus non possent intendere.*

Exod. 34. 35.

Cur facies Moysis splendida?

S. Ambr. lib. 2. de offic. c. 7.

28. Quid dicebatur multas tribulationes honore privare? bene quidem, sed nónne scitis inde quandoque majorem resurgere gloriam? Hoc præclarè testatur Tacitus insignis historicus; postquam enim præclara gesta Pub. Dolabellæ enarrasset, & negatum victoriæ triumphum indicasset, subjunxit tamen; *Huic negatus honor, gloriam intendit.* De alio quoque Elio Lamia dicto ait, quòd *Non permissa provincia, dignationem addiderat.* Ne autem gentiles potiùs quàm nostros referam; audite Davidem Michol uxori suæ responden-

Ex tribulatione major gloria.

Tacit. lib. 4. histor.

Tacit. lib. 5

spondenn-

spondentem, cùm illi ob honorem Arcæ exhibitum vilitatem ejus exprobaret: *Ludam, & vilior fiam, & gloriosior apparebo.* Ratio autem horum esse potest, quòd sicut gloriosa facies, quantò clarior absque ornamentis intuita, pulchrior apparet; ita persona honore digna, quantò magis illo privatus, tantò apparet dignior, & interiùs honoratior.

2. Reg. 6. 22.

Divitiæ, non divites honorantur.

29. Quid dicebatur, divitias honorem afferre? Sed nónne meministis fabulæ istius jumenti quòd omnes se honorare advertens quia statuam Deorum portabat; noluit ultra procedere, sed auctoritatē stādo tenere, unde verberibus exceptum pœnas luit. Pari modo divitibus accidit, licèt enim omnes illos honore afficiant, non eis tamen sed divitiis honor exhibetur. Sed honor pauperibus exhibitus, verè ad illos pertinet, & si ab hominibus vilipendantur, à Deo semper honorantur. Nec mundus semper & ubique illos inhonorat, sed quandoque honore excipit, qui pro Christo omnia reliquerunt. S. Hieronymus id pręclarè testatur ad Pammachium scribens, ubi sic dicit: *Antequam Christo tota mente serviret, notus erat in senatu, sed multi alii habebant infulas proconsulares. Totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos: præcedebat alios dignitate, sed & alios sequebatur. At nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium sequuntur. Miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.*

S. Jeron. epist. 26. ad Pammac.

Tribulatio honorem tegit, non aufert.

30. Quid dicebatur, nimis fore difficile deperditos acquirere honores? Bene quidem; sed quis umquam dixit honores per tribulationes deperdi? quin imò per illam meliùs custodiuntur. Honor instar ignis est, resplendens, & omnibus se manifestans tribulatio ut cinis, ignem quidem abscondens, sed non extinguens, & conservans ne extinguatur. S. Apostolus Paulus id egregiè probat, dum tribulatis loquens ait: *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo:* quasi diceret, instar mortui ignis vos in Deo tamquam sub cineribus conservate, suoque tempore resplendebitis. *Cùm Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria:* nos autem persequentes ut stipulæ & fœnum igne gloriæ nostræ comburentur. Propheta Abdias de Esau loquens Jacob persequente, dicit illum ab igne Jacob consumendum; *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula.* Si igitur instar Jacob fueris patiens in adversis, eveniet tibi sicut illi accidit, ut inimici tui sicut stipula comburentur, & qui te omninò consumere volebant, ab igne, & splendore gloriæ tuæ consumentur.

ad Coloss. 3. 3.

Ibid.

Abdiæ 1. 18.

31. Quid dicebatur, potentiâ divinâ

Deus tribulatos clariores reddit. divinâ opus esse, ut gloria afflictis rediret? Sed in hoc Deus omnem suam operam impendit, ut patienter afflictos consoletur, & honore præveniat. Dum vas aliquod aureum vel argenteum, varias contraxit maculas, ad aurificem delatum, & in igne conjectum, splendidius, & mundius extrahitur. Pari modo Deus cum tribulatis agit, mundus ipsis undique maculas imponere, & deformes reddere nititur; ipse verò pulchriores & splendidiores igne tribulationis efficere contendit. Præclarè id nobis exhibet Malachias Propheta, dicens; *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Mal. 3. 3. Ubi notandum illum dicere Deum sedere, quæ actio est personæ ad opus suum attendentis; quasi Deo proprium sit afflictos pulchriores reddere. Si verò quandoque illos maculis infici permittat, id ad majorem illorum splendorem efficit. Ut macula melius è panno aut alia materia deleatur, solet primò sapone, aut terrâ lutosâ cooperiri ut mundior evadat, ita Deus cum tribulatis agit.

In arduis gloria. 32. Quid dicebatur, paupertatem impedimentum honori præstare, idque Alciati emblemate probatum erat? Sed nescitis ubi nullum est impedimentum, aut difficultas, ibi nullus honor acquiri potest dicente ipsomet Alciato in emblemate; *Ex arduis perpetuum nomen.* Draconem effingens, qui decem passeribus devoratis, in petram commutatum finxit, ut decem annos figuraret, quibus Græci Trojam obsiderent, sed tandem victores existerent. Ita illud describens;

Hæc nisi mentitur Calchas monumenta laboris,
Sunt longi, cujus fama perennis erit.

Quod conforme est dicto alterius Poëtæ dicentis:

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Afflictorum patientia à mundo honorata. 33. Quid dicebatur, signum peccatoris esse afflictionem pati? Sic mundus quandoque judicare solet, ideoque concedere possem. Sed nescitis justos id advertentes à Deo mirabiliter liberari, aut invictam illorum patientiam tantò magis honorari, quantò magis antea contempta fuerat? Melitenses S. Paulum è naufragio recipientes, & à serpente morderi conspicientes, sinistram de illo conceperunt opinionem dicentes: *Ultio non sinit eum vivere.* Act. 28. 4. Plurimis sceleribus hic debet opprimi, cùm ultio divina ubique eum sequatur, nec sinat vivere. Postmodum verò advertentes nullam illi attulisse læsionem, pro Deo habere cœperunt. Dicet fortè quispiam, unde liberationis securitatem habere potero? Scriptura sacra illam tibi assignat; cùm enim

Deus tribulationes immittit, numquam derelinquit afflictum, sed tandem liberat: dicente Psal. 33. 20. Psalmista; *Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Licèt quoque liberatio non statim sequeretur, propter invictam tamen patientiam ingentem consequereris laudem. Arbor balsami vulnerata, pretiosum, & odoriferum emittit liquorem: unde quidam emblema conficiens hoc dictum adjunxit: *Ex vulnere odor.* Pari modo ex afflictione, & vulneribus justorum, suavissimus bonæ famæ sentitur odor, de quo di- 2. Cor. 2. 14 cebat Apostolus; *Christi bonus odor sumus*: ad honorem nempè Christi bonæ famæ odorem emittimus.

Qualiter bene præliandum?

34. Si ita ergò est ut jam vidimus, quæ erit insipientia nostra, ut impatientiâ & vindictâ honorem acquirere credamus? Non hoc modo honor acquiritur, sed deperditur. Cùm duo equites lanceâ currentes, sibi invicem obviant, quis honoratior ictus? Absque dubio si in fronte tangant, aut in oculis; si faciem attingere, aut lanceam in pectore adversarii rumpere possint; si verò equum feriat, pessimus erit ictus, & ludum perdet. Cùm igitur conturbaris, & affligeris, quid agis? Hastiludium exerces, Job 15. 24. dicente patiente Job; *Tribulatio vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium*: alia versio legit; *Ad hastiludium.* Spectatores non tantùm sunt homines, sed & Angeli; *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* 1. Cor. 4. 9. Hujus lusus judex est Deus; Apostolus Deo indicare volens quàm feliciter hunc lusum complevisset, ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*; omnia rectè perfeci, quid igitur expectandum nisi à judice remunerationem: *Ideò reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* 2. ad Tim. 4. 7. Si honorem in hoc lusu acquirere cupis? equitem, non equum ferire debes. Sed quem putas inimicum tuum? An qui te offendit? deciperis, ipse equus tantùm est; eques autem est diabolus infernalis, hic siquidem eum regit, & incitat; ideóque contra hunc non verò contra illum lanceam vibrare debes.

Contra diabolum, non contra hominem præliandum.

Optimè hoc intellexit S. Martinus Turonēsis Episcopus, cùm enim à Britio Sacerdote suo, multis esset affectus injuriis, vidit illum à duobus dæmonibus incitari, & contra illum dirigi: unde orationis lanceam arripiens, contra illos insurgens subitò dejecit; & Britius Agno mansuetior redditus est. Cùm Saul Davidem persequeretur, scriptura sacra refert, quòd; *Exagitabat eum spiritus nequam*: illum 1. Reg. 16. 14. continuò adversus Davidem incitabat, nec ullam ei præbebat requiem. S. Paulus clarissimè illud

ad Ephes. 6. 2. illud exhibet dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates tenebrarum harum.* Quasi diceret, licèt ab hominibus plurima patiar, non tamen contra illos me pugnare video, sed adversus instigatores eorum; non equus, sed insessor feriendus, non contra homines persequentes, sed contra dæmones instigantes, & dirigentes.

Non impatientiâ, sed patientiâ victoria referenda?

35. Dico insuper vindicando, & impatienter agendo, non inimicum, sed propriam victoriam destruis. Antiquus militum mos erat, armis & spoliis inimicorum indui, & trophæa erigere. Inimicorum igitur devicta arma, & spolia in loco honestiori & publico ad perpetuam memoriam constitui solent. Illos autem homines, contra quos exardescere cupis, ut vindictam referas, quid esse creditis? non aliud quàm inimicorum arma. Optimè hoc intellexit Patriarcha Jacob, dum de Simeone, & Levi filiis suis, qui Sichimitas interfecerant ait: *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia*; quasi diceret, sunt arma, & instrumenta bellica. Sed cujus erãt arma cùm agentia principalia essent? Absque dubio infernalium inimicorum; *Paraverunt*, inquit David, de spiritibus infernalibus loquens juxta Origenem, *sagittas suas in pharetra.* Sed quæ est diabolica pharetra? viri, & mulieres iniquæ, sagittæ autem, quas diabolus ex pharetra accipit, sunt murmurationes, injuriæ, & vindictæ. Quid igitur agendum? Non confringendæ, aut dirumpendæ hæ pharetræ cùm possis; sed ad majorem gloriam, & honorem tuum conservãdæ, & Deo offerendæ, procurando ut Deo ita inserviant, sicut antea diabolo inservierunt. Sic sponsa in Canticis facere solita, unde dicebatur: *Sicut turris David, collum tuum, mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Non rumpebat fortium arma, sed conservabat, & per collum orationis Deo offerebat.

Gen. 49. 5.

Psal. 10. 3.

Cant. 4. 4.

Inimici sancti æstimandi.

36. Quid amplius desideratis? Deus ipse voluit hanc regulam cum armis inimicorum suorum observari; thuribula quippe Chore, & aliorum, voluit in laminas duci, & altari affigi; in signum quòd Sacerdotium sanctum prophanaverant, & cultum divinum despexerant: *Præcipe Eleazaro filio tuo*, ait Deus Moysi; *ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum, producatque ea in laminas, & affigat altari*, ubi notandum; *Sanctificata sunt in mortibus peccatorum*; acquisiverunt nempe sanctitatem, eò quòd instrumenta castigationis extiterint. Pari modo credendum tibi est, inimicos tuos mereri apud Deum te perse-

Num. 16. 37.

persequendo, quia peccator es. Cùm S. Gregorius Papa à Mauritio Imperatore valde infestaretur, scribebat illi se illum ut personam sanctam, & Deo amabilem honorare, & revereri.

Tribulationes charissimæ esse debent.

37. Concludamus denique tribulationes charissimas esse debere, cùm per illas tantum honorem, & gloriam consequamur. *Avida est*, inquit Seneca; *periculi virtus & quò tendas, non quod passura sit cogitat, quoniam & quod passura est, gloriæ pars est, militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem, meliori casu, sanguinem ostentant?* Duces quoque militum nónne in laceris vexillis gloriari solent? omninò, signum quippe est illos multis præliis interfuisse, & inimicos aggressos fuisse. Unde dici solet vexillum lacerum honor ducis; sicuti quis illud pro emblemate ponens subscripsit, *Tantò pulchrius.*

Iusti cadentes à Deo elevantur.

38. Nec diversa intentio istius fuit, qui scripsit: *Percussus elevor*, hoc dicto pilam insigniens, quæ quantò magis à forti brachio percutitur, tantò altiùs elevatur: verum quidem est tandem illam in terram cadere & hærere. Non ita tamen justo afflicto accidit, Deus siquidem illum retinet, nec in terram cadere permittit. Videmus quandoque lanceam in altum projici, & dum in terram descendere omnes credunt, à projiciente dextrè elevatur, & in manu accipitur. Pari modo videtur dixisse David sibi accidisse; *Impulsus, eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me*; ecce quomodo à Deo retentus ne in terram decideret. Sed ad gentiles revertamur; quis ignorat quanto appetitu, & ambitione adacti fuerint, & quævis pericula adierint, ut gloriam, & honorem consequerentur? Hoc adeò constantem reddidit Mutium Scevolam, dum igni ardenti manum immissam teneret. Hoc Horatium adeò fortem effecit ut solus totam Tuscanorum impetum repelleret. De his ita ait Poëta: Psalm. 117. 13.

Vicit amor patriæ laudumq; immensa cupido.

Si tanta igitur, inquit Tertullianus, gentiles pro fragili, & vana gloria passi fuerunt; quanta pro vera, & æterna gloria nobis patiendum? per tribulationem hæc vera gloria nobis adipiscenda; *Si tanti vitream*, inquit, *quanti veram margaritam? Quis ergò non libentißimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?*

Gentiles nos confundunt.

39. Si pro præmio currendo, Asinus citiùs quàm equus silvestris curreret, ô quantum esset dedecus? Gentiles sunt instar Asini, figurati in illo quem Salvator noster in die palmarum ascendit; nos verò Christiani quibus assimulamur? generoso equo; *Equitatui meo aßimulavi te amica mea.* Quale igitur erit dedecus Cant. 1. 8.

decus si ad gloriæ palmam consequendam, velocior Asinus, quàm equus fuerit? Cùm in theatro publico relictis comœdiis Themistoclem omnes intuerentur; dixit se hoc die satis multum obtinuisse, pro laboribus pro patria desudatis. Quantò ergò major merces nostra debet æstimari laus Angelica, & divina, quam expectamus. Non pro una vice aut die ut Themistocli accidit, sed per totam æternitatem? unus Dei intuitus sufficiens esset præmium nostris laboribus. Hoc optimè intellexit Abraham dum filium suum immolare volens, dixit: *Dominus videt*; in amaro illo casu qualis erat immolatio filii, maximam reputabat consolationem cogitare Deum se respicere. Quid igitur erit non solùm à Deo respici, verùm etiam amari, amplecti, & laudari, & in throno proprio collocari? Insipiens ergò erit qui tribulationes renuit, quæ tantum bonum nobis exhibent. Videte igitur ne vos tali insipientiâ decipi sinatis & eritis semper beati, & gloriosi. Amen.

Pro tribulatione ingens gloria.

Gen. 22, 14.



Ex DISCVR-

DISCVRSVS XLII.

Tribulatio voluptatem confert unde à nobis hilariter amplectenda.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Voluptas cunctos allicit. num. 1. 2.
In tribulatione nulla reperietur voluptas. num. 3. 4. 5.
In tribulatione ritè tolerata, summa voluptas. à numer. 6. *usque ad* 18.
Gaudia mundana tribulatione permixta. num. 19. 20.
Tribulatio expertis dulcis, & retinenda. à num. 21. *usque ad* 26.
Amore divino dulcescit tribulatio. à num. 27. *usque ad* 30.
Spes gloriæ tribulationem lenit. nu. 31. 32.
Argumentis contrariis respondetur. à num. 33. *usque ad* 39.
Vanus timor de tribulatione abigendus. num. 40. 41. 42.
In tribulatione sancta lætitia. num. 43.

Trahit sua quemque voluptas.

1. 
LIcèt inter omnia cordis humani oblectamenta, virtuti, & honestati primum locum cedere deberemus; nimis tamen verum est, delitias, & voluptates primatum tyrannicè usurpare. Quis enim ab his se in quamvis partem trahere non sinet? *Trahit sua quemque voluptas*, inquit Poëta. Sed qualibus funibus? Mirabilioribus, & fortioribus quàm umquam vidimus. Non funibus stringentibus, sed delectabilibus; rapientibus, sed non cogentibus. Funibus ex affectibus ipsius ligati compositis; quasi quispiam capillorum contortione, constrictus, & alligatus fuisset; sicut Absalon auratis crinibus ramis quercus intricatus hæsit. *Trahit* ergò *sua quemque voluptas*: vel ut meliùs dixit S. Jacobus Apostolus; *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Jacob. 1. 14 *Abstractus*, ecce fortitudo; *illectus*, ecce amor. Vide quàm libenter currat; *Abstractus* ecce vinculorum effectus; *Illectus*, en voluptatis, & delectationis effectus. Horum fortitudinem Deus intelligens dixit per Oseam Prophetam; *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*; Oseæ 11. 4. quasi diceret; funibus eos attrahere cupio, sed non ex canape confectis, his siquidem animalia

malia irrationalia trahuntur; sed funibus amoris, & dulcedinis, majorem vim ad corda humana trahenda habentibus.

Voluptas cunctos allicit.

2. Quam verò creditis esse Circem homines in bruta transformantem? Voluptas. Quæ Siren dulciter cantando transeuntes somno occupatos devorans? Quæ Orphei musica flumina cursum sistere, & montes post se currere faciens? voluptas. Quæ catena, quæ in Caucasi montis antro Prometheum continebat ligatum, & ab Aquila cor ejus devorare curabat? voluptas. Auctor naturæ vim ejus intelligens, quasi escam in omnibus naturalibus operibus eam disposuit, ut promptè & libenter perficerentur. Id optimè Peripateticorum princeps intellexit dicens: *Delectatio perficit opus.* Quis enim ignorat opus coactè aut illibenter factum, absque delectatione fieri, nec umquam bene finiri, licet ab excellentissimo artifice perficiatur? Si verò delectatio, & gustus accedat, nullus contradicere poterit. Deo numquam placent opera ex necessitate perfecta, dicente Apostolo: *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* 2.Cor.9.7. Ut homines quoque ad se alliciat, etiam delectatione & voluptate utitur teste Osea: *Ecce ego lactabo eam;* Oseæ 2,14. delectatione, & gustu alliciam. Si tantam ergò vim habeat delectatio, & voluptas, videamus parum si in tribulatione nostra reperire possimus. Nulla siquidem res naturæ commodior, quàm efficere ut tribulatio absque ullo fastidio alacriter, & promptè feratur; & tamquam dilecta sponsa amplectatur.

Tribulatio voluptati contraria.

3. Sed quid dico, quid præ manibus agendum arripio? tribulationem, delectationem, & voluptatem adferre? dolorem, jucunditatem? amaritudinem, dulcedinem? quis umquam audivit talia? An delectabile foret vivus fornaci ardenti injici? quàm difficile hoc persuasu? vel solùm cogitando mens horret: illud tamen est tribulationem sustinere: *In igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino tribulationis.* Eccli. 2. 5. An placeret alicui ab ursis, & leonibus devorari? sola imaginatio horrorem causat: ursi tamen, & leones sunt tribulationes teste Propheta; *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus.* Amos 5.19. An jucundum esset gladio acuto transfigi? Mens audire refugit: gladius tamen cor, & animam transfigens, est tribulatio; *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* Luc. 2. 35. & David ait: *Erue à framea Deus animam meam.* Psal. 21.21. An inter serpentes, & Basiliscos commorari oblectaret? Visu solummodo cor trepidat: serpentes tamen & Basilisci sunt tribulationes: dicente Domino per Prophetam;

Jerem. 8. 17 *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* An delectaretur quispiam pungentibus spinis undique configi? una sola pungens quietem aufert; tales sunt tribulationes, juxta dictum Psal. 31. 4. Prophetæ regii; *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* An amaritudo palato, obscuritas oculis, tonitru auditui, fœtor naribus, vulnus tactui, & mors viventibus gustum adferre potest? Vivens, & sensibus præditus, hæc omnia se abhorrere, & formidare, confiteri oportet. Sed quid tribulationem esse creditis? amaritudinem, omnem saporem auferens; dicente Eze- Isa. 38. 17. chia; *Amaritudo mea amarissima.* Tanta illi advenerat tribulationis acerbitas, ut cunctæ regales delitiæ hanc delinire non sufficerent. Est obscuritas nos of- Isa. 21. 4. fuscans dicente Isaia: *Tenebræ obstupefecerunt me.* Est tonitru quemvis robustum exterrens te- Psal. 103. 7. ste Psalmistâ: *A voce tonitrui tui formidabunt.* Est fœtor intolerabilis omnes à tribulato abigens, ut conquerebatur patiens Job: Job 19. 17. *Halitum meum, exhorruit uxor mea.* Est vulnus non in carne solùm, sed ad cor pertransiens, de Psal. 36. 15. quo David dicebat: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Est denique mors continua, quam ut effugere possent, quandoque homines se vitâ privare concupiscerent, de quibus dictum; Apoc. 9. 6. *Quærent homines mortem, & non invenient.*

4. Nec in se solùm tribulatio displicet, verùm etiam cuncta reddit contemptibilia, quibus advenit, licèt maximis delitiis abundent. In hoc mari simillima videtur, ad quod licèt omnia flumina, & aquæ dulces perveniant, subitò tamen amarescunt; ideoque Propheta Jeremias afflictionem Jerusalem deplorans ait: *Magna est velut mare contritio tua.* Parum dixi, non enim admirandum, exiguam aquam dulcem vastissimum ingrediés mare dulcedinem suam perdere; sed maximè foret mirum aquæ amaræ guttam, integrum flumen dulce, aut mellis, corrumpere. Hoc rectè tribulatio efficit, tanta siquidem ejus est amaritudo, ut una ejus guttula mari consolationis immixta, illud amarum reddat. Hujus rei testis sit excellens Aman, qui in regno potentissimi Assueri regis, honoratior, dignior, & potentior habebatur: sed in tanta prosperitate, & excellentia, ecce minima cadit adversitatis guttula; à Mardochæo videlicet non honorari, quod ne quidem attendendum erat; tantam tamen habuit vim, & vigorem, ut ingens illud dignitatum, & honorum pelagus, quod lacteum, & melleum erat, amarescere faceret. Audite hoc ipsum egregiè testantem, cùm enim amicos omnes coadunasset, ac magnitudinem divitiarum, & honoris, ac prosperi-

Tribulatio cuncta vilia reddit.

Threnor. 2. 13.

Omnis tribulatio amara.

prosperitatis cumulum aperuisset; non hæc omnia ambitioni ejus sufficiebant, sed parva adversitatis guttula, totum hoc destruere ajebat: *Cùm hæc omnia*, inquit, *habeam nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum, sedentem ante fores regias.* Nónne ergò conspicitis, quantam vim habeat tribulatio, ut delectabilia quæque amara reddat? Et dicet quispiam illam gustum, & delectationem adferre?

Esther. 5.13

Tribulationes ab inimicis.

5. Dicamus insuper & inquiramus unde tribulationes nobis adveniunt? An ab amicis, & dilectis, hæ amaritudinis aquæ defluunt? Si delectatione, & suavitate forent repletæ, ita dicendum foret; sed oppositum continuò experimur, videmusque ab inimicis & persequentibus has immitti: Propheta David in tribulatione constitutus id optimè testabatur dicens: *Qui tribulant me inimici mei.* Amici quantum possunt, consolantur, & tribulationes alleviant, evidenter ergò apparet, illos æstimare molestas, & odiosas esse, non verò placabiles & amabiles. Dico insuper, quòd licèt tribulationi delectationem inesse probaremus, nihil efficeremus, id siquidem esset probare tribulationem non esse: cum tribulatio adeò dolori, & disgustui sit conjuncta, ut si illum tollas, essentiam tribulationi auferas. Probare hominem irrationalem esse, est probare illum non esse hominem; sic etiam probare aliquid delectabile esse, idem est ac probare, illud non esse tribulationi obnoxium. Tribulatio ergò & delectatio ita sibi invicem repugnant, ut nihil illas conjungere, aut consociare valeat.

Psal. 41.11.

Tribulatio & voluptas omninò repugnant.

Argumentis contrariis respondetur.

6. Efficacia certè sunt hæc argumenta, cùm potissimùm experientiâ, & communi hominum sententiâ corroborentur. Nec aliud credo, etiam belluas, si intellectu prædita forent affirmare posse. Sed ut his respondeamus, nónne tempus, & sciētia nobis supererit? Deo tamen auxiliante tribulationem delectationem adferre posse, probare confido. In primis ergò considerandum arbitror, unde delectatio proveniat; non enim melior discurrendi modus, quàm à causa ad effectum; hæc argumenta à Philosophis demonstrationes vocantur, & scientiam gignere dicuntur. Unde ergò procedit objectum aliquod delectationem adferre, potentiis exterioribus, & interioribus? Non ab alio certè, quàm si conveniens, & proportionatum tali potentiæ fuerit. Objectum clarum, & resplendens, oculo proportionatum, ideoque illi delectationem adfert. Ita hoc præclarè testatur Sapiens dicens: *Gratiam, & speciem desiderabit oculus,*

Eccli. 40.22

culus, & super hæc virides sationes. Objectum è contrà luminosum quale est sol, offendit, & excæcat visum; non quia minus pulchrum, sed quia improportionatum potentiæ visivæ, omnem virtutem ejus excedens. Hinc accidit diversis temporibus unam candemque rem nauseam, & delectationem parere; quia varia potentiæ nostræ dispositio uno tempore erit proportionata, non verò alio. Calido, & sitienti, aqua frigida erit delectabilis, sed frigido esurienti, displicebit. Ita quoque de aliis omnibus potentiis, & sensibus discurrere licebit, ut ergò minorem huic argumento adjungamus, ita dicendum; sed nihil adeò conveniens, & proportionatum naturæ humanæ, quàm tribulatio, non solùm ergò erit delectabilis, verùm etiam alia cuncta superabit. Dicet tamen quispiam si minor illa probari posset, tribulationem nempe homini convenire, cuncta rectè procederent. Sed hanc ecce vobis facillimè probabo.

Tribulatio homini connaturalis.

7. Natura humana duplici modo considerari potest, vel in esse naturæ, vel in esse peccati, in utroque illi tribulatio æquè convenit. Si primò consideremus, quis nescit hominem nasci ad laborem, & tribulationem sustinendam? Nónne avibus naturalis, & conveniens est volatus? Omninò ideoque ipsis delectabilis. Pari modo homini labor, & tribulatio convenit: præclarè hoc testatur S. Job dicens: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum*; in Hebræo autem dicitur; *sicut nascitur homo*, comparativè loquendo. Nec mihi quis objiciat ibi solummodo mentionem fieri de labore, non autem de tribulatione; quia tam unum quàm aliud est afflictio, S. Job autem de labore tantùm loquebatur; quia illa pars particulariter homini à Deo data, dum diceret; *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*; Sicuti dolor mulieribus attributus; *In dolore paries filios.* Sicut ergò nomine hominis mulier quoque intelligitur; sic etiam sub pœna hominis labore nempe, pœna mulieris intelligitur, quæ est tribulatio. Si verbis Prophetæ Job non creditis, interrogate Philosophos qui dicent cùm homo ex duobus contrariis sit compositus tribulationem pati ipsi connaturale erit. Cùm ergò humanum quid dicitur, per excellentiam intelligitur tribulationi subjectum: Seneca illud præclarè testatur dicens: *Homo sum, nihil humani, à me alienum puto*; nullam videlicet tribulationem à me rejiciendam arbitror. Idem quoque David de hominibus loquens dicebat: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

Job 5. 7.

Labor homini communis.

Gen. 3. 19.

Ibid. 16.

Psal. 72. 6.

8. Quantum verò ad peccatum,

Peccatum comitatur dolor. tum, quod non minùs homini commune, quàm natura, quis nescit illi nil magis convenire, quàm pœna, cùm videamus illa duo se mutuò semper comitari? De peccatoribus Psalmista loquens, ait: *Contritio & infelicitas in viis eorum*; dolor & infelicitas in semitis eorum naturaliter crescit, non deforis adfertur. Idem quoque gentilis Orator cognoscebat dicens: *Non tanti pœnitere emo*; peccatum, inquit, committere nolo, quia pœnitentiam habet conjunctam. Si tribulatio ergò naturæ humanæ, & peccato adeò communis est; quis negare poterit illam quoque non esse delectabilem. Optimè hoc intellexit Cato Censorius, Sapiens Romanus, dicens se potiùs nolle remunerationem operum bonorum percipere, quàm castigationem malorum non percipere; adeò siquidem castigationem operibus malis convenire videbat, ut illam desideraret, & consequenter delectationem ex desiderio afferret. Idem fortè Jeremias desiderabat, cùm Deum ita precaretur; *Noli in patientia tua suscipere me*; noli siquidem patienter mecum agere, sed tribulationem immitte, cùm peccavero.

Psal. 13. 3.

Jerem. 15. 15.

Tribulatio peccati amaritudinem tollit. 9. Nonne insuper contrarium contrario expellitur, frigus calore, & humidum sicco? pari modo dicam ego, quod amaritudinem excludit, oportet esse dulce, imò dulcedinem ipsam. Sed quid peccato amarius? *Vide*, inquit Jeremias, *quia malum, & amarum est, dereliquiße te Deum tuum.* Adeò siquidem amarum est ut Deum ad amaritudinem perducat: dicente Propheta Osee; *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Sed quomodo hæc amaritudo tollitur? Dolore, & tribulatione; *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*, aiebat Isaias, *in spiritu ardoris, & spiritu judicii.* Clariùs quoque Sapiens dixit: *Curatio cessare facit peccata maxima*: si tribulatio ergò amaritudinem peccatorum tollit, quis negare poterit illam esse dulcem?

Jerem. 2. 19

Oseæ 14. 1.

Isa. 4. 4.

Eccle. 10. 4.

Tribulatio pulchriores reddit. 10. Dicet fortè quispiam hanc rationem in Philosophia fundatam esse, unde simplices & mulieres illam non admittent. Aliam igitur intellectui eorum accommodam, assignemus. Ut se mulieres pulchriores reddant, & defectus coloris, aut corporis tollant, non verentur quævis subire incommoda, imò per ignem alacriter transirent si opus esset. Sed cognoscere vos volo, tribulationem oculis divinis vos exhibere formosiores; animam siquidem vestram ab omnibus terrenis affectibus purgat, & ab omni peccatorum labe, emundat: superbiam, quâ Luciferi instar elevabaris, aufert: unde Malachias Propheta dicebat:

Purgabit

Malach. 3. 3. *Purgabit Dominus filios Levi, & colabit eos* : sicut aurifex aurum igne purgat, sic Dominus omnes tribulatione clariores reddit; quomodo ergò non erit delectabilis? Adjungendum quoque mulieres libenter speculum intueri, quia pulchritudinem suam libenter considerant: si tamen speculum reperiretur animæ nostræ languores, & maculas indicans, ô quanti fieret? quàm libenter licet carè emeretur? quanta delectatione, & utilitate unusquisque se intueretur? Tale speculum est tribulatio. In Patriarcha Abraham id optimè cognoscetur, qui illud speculum sibi comparaverat: postquam enim Deus illi præceperat, ut unicum filium suum illi immolaret, quod certè magnam illi tribulationem causare deberet; dixit illi Deus: *Nunc cognovi quod times Deum*; prout videlicet communiter exponitur; *Cognoscere te feci*. Quasi diceret, speculum tibi exhibens, indicavi quo timore Deum tuum prosequaris.

Tribulatio animæ speculum.

Gen. 22. 12.

Tribulatio speculum divinum.

11. Clariùs idem vobis exhibeo. Numquam intuiti estis pupillam oculi alieni? In illa siquidem vultum vestrum intueri potuistis. Oculus naturale speculum est, & tantò majus quantò clarius; oculus divinus ergò universa intuens, erit clarissimum speculum. Sed ubi hîc reperitur? In virga tribulationis teste Jeremia; *Virgam vigilantem ego video*; virgam nimirum oculatam, vel oculum in summitate habentem, ut communiter exponitur. Hunc autem oculum divinum fuisse, ex eo colligi licet, quod Deus subjunxerit; *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo*. Quid hæc virga significabat? Tribulationem, quam Deus populo suo immittere volebat. Oculus ergò divinus super tribulatione est, si illam domi retines, commodè te ipsum intueri poteris. Jeremias Propheta tribulationi undique expositus, idipsum rectè judicabit, dicit enim: *Ego vir videns paupertatem meam*, cognovi, inquit, & apertè vidi tribulationem, & paupertatem meam; sed ubi eam vidisti? *In virga indignationis ejus*. Sed hæc virga erátne speculum? Omninò, quia oculum divinum in capite gerebat, ideoque illum intuens, seipsum videt; quomodo ergò delectationem, & consolationem non adferet? Dico insuper in hoc speculo non te ipsum solùm, verùm etiam alios cognosces; non tantùm externè, & apparenter, sed internè, & verè. Multi v. g. tibi abblandiuntur, se offerunt, & mille cæremoniis obsequium exhibent, si cognoscere cupis, an verè hoc putent? tribulationis accipe speculum, & subitò veros à falsis distingues. Sapiens hoc rectè nobis exhibet dicens: *Est amicus*

Jerem. 1. 11.

Ibid.

Thren. 3. 1.

Tribulatio veros amicos exhibet.

Eccli. 6. 10.

amicus socius mensæ, & non permanebit in die tribulationis: si in tribulatione firmiter assistat, signum est verum esse amicum, sed fictus subitò aufugiet; *Amicus certus, in re incerta cognoscitur,* inquit proverbium. Cyrus junior morti vicinus, de nullo se magis dolere dicebat, quàm cùm veros amicos in tribulatione cognovisset, se nullam illis remunerationem afferre posse.

Tribulatio dulcis rectè sentientibus.

12. Si rationes insufficientes videantur, experientiâ idipsum probemus; sed advertendum ut judicium de cibo aliquo seu potu feramus, palatum sanum nos habere debere; infirmis siquidem nullus cibus aut potus gustat, licèt dulcissimus, quia palatum morbo infectum habent. Si verum igitur tribulationis saporem cognoscere velimus, eorum requirenda sententia, quorum palatum sanum est. Sed quinam erunt isti? An mundani fortè? Nequaquam; quia teste Psalmista tales sunt; *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est;* & guttur eorum, ut sepulchrum fœtens: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Quomodo ergò de sapore aliquo judicium ferent? Mulieribus gravidis carbones quandoque & lateres dulces apparent, panis verò & caro non sapiunt: quia humoribus in ventre collectis conveniunt. Pari modo mundanis accidit, dulce amarum reputant, & amarum dulce, propter corruptos humores in stomacho retentos, de quibus Propheta Isaias dicebat: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce.* De his videtur mihi Prophetam loqui, sicut medicus de infirmo ait, quem adeò depravato gustu reperit, ut cuncta amara placeant, & dulcia displiceant; unde malè habere, & morti vicinum esse inquit. Pari modo Propheta Isaias inquit, væ illis qui adeò perverso pollent judicio, ut bona mala, & mala bona arbitrentur, verè malum internæ dispositionis indicium præbent.

Psal. 13. 3.

Ibid.

Isa. 5. 20.

Christus verus tribulationis judex.

13. Quis igitur rectus erit horum judex? Nullus in mundo homo exstitit, qui sanius haberet palatum, & meliùs illud conservare posset, quàm Salvator noster; ideoque de illo optimè Isaias dixit; *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum:* nullo humore maligno palatum inficiet, sed optima quæque comedet, ut quævis rectè dijudicare posset. Quale ergò judicium de tribulatione protulit? Illam cibum suavissimum, & delitiosissimum reputavit, illi cibi verè delectabiles dicuntur, qui hominem ad comedendum alliciunt, etiam dum aliis cibis repletus est: famelico siquidem, quivis cibus dulcis apparet; *Anima esuriens, amarum pro dulci sumet.* Talis videbatur

Isa. 7. 15.

Prov. 27. 7.

debatur Christo tribulatio esse, illam siquidem summoperè desiderabat; unde dicebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur*; per baptismum passionem suam intelligens, licèt quoque ingens fames ejus esset, opportunitatem tamen habuit, se satiandi, dicente Jeremia; *Saturabitur opprobriis.* Sed tanta abundantia illius famem explere potuit? nequaquam, quia primò vitâ, quàm fame illâ privatus mansit: ideoque morti vicinus, exclamare cæpit; *Sitio*; & amorosè apud patrem conquerebatur, quòd tam citò patiendi occasionem abstulerat dicens: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.*

Luc. 12. 50. Thren. 3. 30. Matth. 27. 46.

Quàm libenter Christus pro nobis mortuus?

14. Dum cibus aliquis nobis summoperè placet, illum sæpius sumimus, & paulatim ori imponimus. Pari modo Redemptor noster adeò libenter mortem pro nobis subibat, ut non unica vice occidi, sed multis suppliciis, & lentâ morte interfici vellet. De hac morte S. Petrus dicebat, quod illam, ut cibum dulcem paulatim deglutiret: *Qui est in dextra Dei, deglutiens mortem*, non dixit deglutivit mortem, sed deglutiens, ut gustum præsentem indicaret. Nisi dicere velimus, illud non de morte reali, sed de memoria ejus intelligendum; quasi diceret, placuit tantum Christo pro genere humano mori, ut licet in dextera Dei sedeat, & perfruatur cunctis gaudiis, non tamen cessat continuò ejus memoriam renovare. Dum quis cibum aliquem sapidum, & dulcem gustavit, licèt non ampliùs ore retineat, gustus tamen, & sapor palato inhæret. Nec solùm Christo mors suffecit, verùm etiam voluit illam mille aliis tormentis associari, ob desiderium ingens, quod gerebat; unde insigne præparavit convivium dolorum & afflictionum, & magna satietate comedit, teste Jeremia: *Saturabitur opprobriis.* Tertullianus id optimè expressit dicens voluisse Salvatorem in tormentis pinguescere: *Taceo*, inquit, *quod figitur, in hoc enim venerat; numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.* Quod nimirum in cruce moreretur, parum fuit, ad hoc enim venerat; sed quid tot tormentis, & contumeliis opus erat? An fortè sine illis mori non poterat? Nequaquam; sed cùm ex mundo ad cælum properare deberet, ubi non erat patiendi copia, voluit primò bono convivio satiari, & impinguari ut diutiùs memoriæ illorum inhærere possit.

1. Petr. 3. 22. Thren. 3. 30. Tertull. c. 3. de patient.

15. Ulteriùs hanc tribulationis voluptatem probemus, adeò siquidem Christo ejusque martyribus hæc placuit, ut in illa mori non dubitaverint, & Christus

Christo, & martyribus tribulationes placuerunt.

ſtus etiam poſt mortem lanceâ vulnerari voluit ſicque finire. Omnes quoque ſancti martyres quantâ lætitiâ & exultatione tot acerba ſuſtinuerunt tormenta? S. Stephano *Lapides torrentis dulces fuerunt*: S. Agatha *Lætanter ibat ad carcerem, tamquam ad epulas invitata*; Apoſtoli omnes, *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* De hac lætitia loquebatur S. Paulus inquit S. Joannes Chryſoſtomus dum diceret: *Gaudete in Domino ſemper*; ubi opponendo tribulationem lætitiæ, ſic ait: *Et quomodo gaudere licet, ubi ſunt vincula, ubi tormenta, ubi judicia! Hinc maximè gaudere licet, quomodo verò licet, ubi non hæc? Qui namque ſibi nullius magnæ rei conſcius eſt, quomodo delectabitur? Itaque quantò majorem dixeris tribulationem, tantò majorem dicis voluptatem.* Si omnem denique lætitiam quam S. Martyres in tormentis & tribulatione experti ſunt exhibere vellemus, carta potiùs & atramentum deficeret, quàm finis narrandi fieret.

Act. 5. 41.

ad Philipp. 4. 4.

S. Chryſoſ. homil. 22.

Mundanis tribulatio dulcis.

16. Dico inſuper non ſanctis ſolùm, verùm etiam ipſis mundanis tribulationes dulces apparent. Interroga principem, & nobilem cur adeò libenter ad venationem pergat, ubi ſudat, fatigatur, ſolis ardoribus excruciatur, vento, pulvere, fame, & ſiti vexatur. An propter lucrum? Nequaquam, illud enim principem non deceret; cur ergo? Ut delectationem inde hauriat: ergóne tribulatio voluptatem cauſat? Interroga veteranum militem cur lætatur inflante tubâ, & tympanis ſonantibus? An propter lucrum? Minimè, equidem ipſi ſolvitur, licèt non pugnet; ſed ut ad prælium deveniat, ut manus cum inimicis conferat, ut vulneret, & vulneretur, ita ut ex periculis & tribulatione lætitiam hauriat. Interroga nautas, quomodo inter aquas marinas, & ventorum procellas, quietè vivere poſſint; dicentque vobis non aliam eos reperire delectationem, cùm enim in terra degunt, mare conſcendere cupiunt; ergóne in tot tribulationibus gaudere poſſunt? Interroga amantem quomodo tot pericula ſubire, & nocte dieque dilectam expectare poſſit, qualiter tantâ ſervitute, aut patientiâ non defatigatur? cur amorem illum inſanum non deſerit tot incommoda, & tribulationes cauſantem? Dicet has defatigationes, & tribulationes illi melle dulciores eſſe. Dic mercatori illi, ut è tantis periculis & defatigationibus ſe in portum quietum recipiendo, tanta incommoda, & negotia dimittat; potiùs ipſi vitam, quàm talem laborem auferres. Vides ergò quomodo univerſi in tribulatione quie-

tem & delectationem reperiant?

Si omnibus tribulationes placent? 17. Dices fortassis verum esse aliquibus tales tribulationes placere, quia assueti, aut illorum cerebro conveniunt; non tamen aliæ tribulationes. Sed nónne videtis idem in aliis omnibus evenire: an omnes cibi omnibus æqualiter sapiunt? Nequaquam, sed uni iste, alteri ille. Cur ergò velles omnes tribulationes singulis convenire? Sufficit mihi, unam huic, aliam illi convenire: sufficit mihi nullum hominem inveniri, cui aliqua tribulatio non conveniat, aut nullam tribulationem esse quæ alicui non placeat. Sequitur ergò tribulationem in se bonam esse, & suavem; si verò tibi non placeat, ex parte malæ dispositionis tuæ defectus erit.

Tribulatione nil dulcius. 18. Parum dixi, non solùm tribulatio dulcis, verùm etiam dulcissima inter omnia. Inter omnes fructus, acerbi, & immaturi saccaro conditi, suaviores sunt; ut fructus maturi sunt gustus & voluptates; fructus acerbi, sed saccaro conditi, sunt tribulationes. Ut fructus perfectè dulces reddamus, non sufficit parum saccari immittere, sed multo opus est; pari modo tribulationi evenit, à natura siquidem in omnibus voluptatem quærente, primò tribulationibus amoris saccarum delectationis addidit, dicente Sapiente: *Risus dolore miscebitur*; ecce Prov. 14. 13. quomodo delectatio commixta tribulationi. Proposito nostro rectè notat Clemens Alexandrinus non sine mysterio uxorem Isaac Rebeccam vocatam; sed ad significandum risui per Isaac significato conjungi tolerantiam per Rebeccam indicatam; ita ut sicut ex marito, & uxore fit una caro, sic ex tolerantia & risu unum compositum, & ubi est unum, ibi pariter & aliud est. Romani olim idipsum sapientissimè effinxerunt, statuam siquidem Deæ angustiæ, & tribulationis, Angeronia dicta, in templo Deæ Volupiæ, delectationis nimirum, & voluptatis constituerunt; ut cunctis exhiberent dolorem & voluptatem se invicem complecti, & sibi mutuo commisceri.

Gaudia mundana tribulatione permixta. 19. Sed malè dixisse me fateor, ideoque dicta revocans; dico verum non esse tribulationem gaudio misceri; sed gaudia tribulationi commixta esse; adeò siquidem hujus vitæ delectationes & gaudia sunt misera, ut nisi tribulationis saccaro condita essent, insipida remanerent, nec quisquam ea gustare vellet. Amara, & acerba melle condiũtur, quia dulcissimum; *Quid dulcius melle?* ajebat Sampson; & Sapiens inquit, *Initiũ dulcoris habet*; Judic. 14. 18. Eccli. 11. 3. inter omnia nempe dulcia primum locũ obtinet. Liceat tamen mihi dicere, tribulationem dul-

ciorem

ciorem esse; condiatur unus cibus melle, & alius tribulatione, quis videbitur vobis dulcior? absque dubio tribulatione conditus; imò solus iste placebit, alius respuetur. Sapiens de hoc præclarissimum reddet testimonium, ait enim: *Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Offer, inquit, satiato cibum dulcissimum, & ipsum mel, illud projiciet, & despiciet; famelico è contra offer rem amaram, illam comedet & dulcissima videbitur. Quis illam dulcem reddidit, si naturâ suâ amara erat? fames. Id præclarè S. Ambrosius testabatur dicens: *Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt, condimentum cibi jejunium est.* S. Basilius magnus ante ipsum id quoque testabatur dicens: *Eduliorum sumptionem, jejunium condit, atque edulcat, si vis tibi mensam apparare suavem, adhibe ex jejunio vicissitudinem.* Nec minùs eleganter S. Bernardus; *Bonus est panis, sed esurienti, potus delectat, sed sitientem; denique saturato cibus potusque, jam non sunt grata, sed gravia. Tolle famem, & panem non curabis, tolle sitim, & limpidissimum fontem, ac si paludem respicies.* Quid enim est fames, & sitis nisi tormentum, & tribulatio; talem illam esse dixit Propheta Jeremias; *Melius fuit interfectis gladio, quàm mortuis fame*; meliùs ergo quàm mel universa condit.

Prov. 27. 7.

S. Ambr. lib. de Elia, & jejun. cap. 9.

S. Basil. Homil. 1. de laudib. jejun.

S. Bernard. lib. de gratia & lib. arbit.

Thren. 4. 9.

20. Darius Persarum Rex ab Alexandro magno in fugam conversus omninò lassus, & sitibundus, ad locum perveniens, ubi nil nisi aqua turbida esset, illam tantâ delectatione ebibit, ut postmodum fateretur numquam se potum meliorem ebibisse. Sed quis aquam illam lutosam, adeò suavem reddiderat; lassitudo, & tribulatio. Nec fames solùm, sed difficultas habendi, raritas, & nimius sumptus, cibos sapidiores reddunt: unde Seneca dicebat; *Pretiosos cibos non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas, & difficultas parandi facit.* S. Thomas quoque notat Joseph fratres suos in Ægypto malè excepisse; *Vt ipsa deinde revelatio pleniori gaudio cumularetur.* Idem de omni voluptate, & delectatione dici poterit; nisi necessitate, & tribulatione condiretur, insipida, & ab omnibus despecta remaneret. Quis siquidem majori delectatione, & voluptate abundat? qui princeps nascitur? illa tamen vix utitur, aut quietè fruitur: qui verò ex humili nativitate princeps evadit, quantam inde delectationem, & voluptatem haurit? cur quæso ita? unde hoc accidit? quia huic principatus tribulatione conditus advenit; illi verò absque tali condimento, dicente Euripide; *Geminatur*

Tribulatio cuncta reddit dulcia.

Seneca in consol. ad Heluid. c. 9.

natur cum succedit adversitati prosperitas. S. Job Deus cuncta duplicia reddidit; *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerunt Iob duplicia*: sed de filiis agens, dicit Sacer textus, quod fuerint septem sicut priùs; quomodo ergò omnia duplicata fuerunt? respondent aliqui primos non fuisse mortuos, cùm anima sit immortalis, ideoque duplices habuisse; alii dicunt quia duplices divitias habuit, non debuit duplicatos habere filios: illi siquidem annumerari debent inter consumentes divitias, non verò inter augentes. Alii dicunt quod cùm hi filii ex morte aliorum processerant, præcedens adversitas duplices apparere faciebat; unde dicebat Boëtius; *Nulla est major infelicitas, quàm fuisse felicem.* Ad hoc magis probandum, adjungere licebit regulam Philosophicam; *Propter quod unumquodque tale, & ipsum magis*: quod nimirum alicui talis essentiæ causa est, illud magis talem essentiam participabit. v. g. Ignis est occasio caloris mei, calidior ergo me erit: glacies vinum infrigidat, illo igitur frigidior erit. Ut igitur proposito nostro respondeamus, si tribulatio, ut probavimus, res dulciores reddit, multò magis illa dulcior erit.

Job 42. 10.

Quomodo Iob cuncta duplicia obtinuit?

21. Parum hucusque dixi, adeò tribulatio est delectabilis, ut eam expertis, potiùs cuncta alia, quàm illam dimittet. Solent principes caveas vino pretiosissimo repletas tenere; si aliquod tamen particulariter principi placeat, specialiter reservatur, nec ulli quidquam ex eo tribuitur. Tribulatio igitur quid est? potus delitiosus, præstans vinum; *Calix in manu Domini vini meri, plenus misto.* Est vinum delectabile, vinum linguam & palatum bono odore inficiens, vinum, ut vocant, asperinum; de quo David dicebat: *Potasti nos vino compunctionis.* Qui illud vinum in dulcedine sua gustat, totum sibi arrogat, nec alteri partem concedere vellet. Præclarè id testatur Sapiens dicens: *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus*: videbatur debuisse dicere; *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in amaritudine ejus non miscebitur extraneus.* Etenim si de amaritudine loquatur, quomodo gaudii mentionem facit? S. Gregorius Papa hunc locum egregiè exponit dicens, animam in hoc mundo amaritudinem terrenarum rerum cognoscentem, in cælis æternâ lætitiâ perfruituram: *Humana etenim mens,* inquit, *animæ suæ amaritudinem noscit, cum æternæ patriæ desideriis accensa, peregrinationis suæ pœnam flendo cognoscit; sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc à mœrore cordis alienus est, tunc particeps ad lætitiam non est.*

Tribulatio præ omnibus retinenda.

Psal. 74. 9.

Psal. 59. 5.

Prov. 14. 10

S. Greg. lib. 6. moral. cap. 10.

22. Ve-

Tribulationis amaritudo dulcis.

22. Venerabilis Beda, non multum à S. Gregorio differt, ſed vult quoque illud de lætitia hujus vitæ intelligi, quâ copioſè utitur, qui bonum mœſtitiæ cognoſcit, à quo excludetur, qui dolorum particeps non fuerit. Dico tamen ab hac lætitia omnem alium excludendum, qui enim tribulationis lætitiam agnovit, neminem participem admittet. *Qui novit*, ſecundùm aliquos, id eſt *qui approbat*, qui ſibi complacet in amaritudine cordis ſui, vel etiam qui cognoſcit quid ſit animæ amaritudo, & tribulationis dulcedinem expertus eſt; tantam ſentit conſolationem, ut in illo, *non miſcebitur extraneus*; id eſt, *affectus extraneus* in corde ejus non dominabitur juxta alios. Dicamus quoque cum aliis, nullam perſonam extraneam in tali lætitia admittendam, ſed ſolus illâ frui deſiderabit. S. Paulus hanc lætitiam optimè cognoſcens, alios quoque eam docere cupiebat, cùm enim omnia ſua aliis efficaciter deſiderabat, ſola vincula, & tribulationes ſibi reſervare cupiebat. Dicebat ergò in afflictione ſua; *Opto omnes fieri tales, qualis ego ſum*: ingens certè liberalitas, an omnes doctos ſicut teipſum effici velles, omnes ad cælum raptos, omnes à Chriſto illuminatos, & vocatos, omninò; ſed nihil pro te reſervas, tribulationem meam mihi reſervo; *Exceptis vinculis his*, hoc vinum ori meo placet, de hac cordis mei lætitia non participabit extraneus. Similem conceptum de Chriſto S. Ambroſius ſibi format dicens; Chriſtus in paſſione ſua liberaliſſimus extitit, omnia ſua diſtribuens; militibus veſtes, matrem S. Joanni, paradiſum bono latroni, ſed crucem ſibi reſervavit, in hac mori, & hanc amplecti cupiebat; unde extraneus non participabit in ea.

Hanc cognoſcens ſolus fruitur.

Act. 26. 29.

Ibid.

Tribulationis vinum Chriſto reſervatum.

23. Dum Princeps vino particulari uti cupit, ſibi vas illud reſervari curat, unde ſi quis cellam vinariam luſtrat, ſubitò monſtratur illi, hoc vinum princeps ſibi reſervat. Sed reliqua vina nónne ſunt principis? omninò quantum ad poſſeſſionem, non tamen quantum ad uſum, hoc ſiquidem vinum uſui proprio inſervit. Chriſto Salvatori noſtro, cuncta ſunt donata; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*; ſed quid ſibi ex his reſervavit? Vinum tribulationis, de quo filiis Zebedæi dicebat; *Calicem quidem meum bibetis*; participes vos reddam vini mihi reſervati, qui ingens fuit favor. S. Petrus hoc rectè conſiderans, dicebat; *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*; cùm Chriſtum in paſſione ſua imitamini, gaudete, quia ex vino ſibi reſervato vobis propinat. Prædictis tamen ita declaratis, multis non ſufficient, ut voluntariè tribulationes

Matth. 28. 18.

1. Petr. 4. 13.

nes sufferant; sed majori stimulo indigebunt. Cùm igitur tantò dulcedinis saccaro tribulationes condivimus, adjungamus reliquum: consolationem nempe divinam, quæ omnem excedit dulcedinem; quia proprium est Dei, afflictos consolari dicente Psalmista; *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*; & alibi inquit; *Factus est refugium pauperi*. Expertus coquus cibos ita accommodare novit, ut vix scias quid gustes, & in alios commutatos videantur. Pari modo Deus ita justis tribulationes accommodare novit, ut quandoque ignorent, si tribulatio, aut consolatio dicenda sit.

Psal. 9.14.

Differentia inter consolationem & gaudium.

24. Pulcherrima est differentia inter consolationem, & lætitiam; illa præsupponit tristitiam, hæc non; illa est medicina, hæc cibus; illa est ut conflictus, hæc ut triumphus: mundani consolationem quidem afflictis afferre possunt, non verò lætitiam. Deus è contra non tantùm consolationem afflictis, verùm etiam lætitiam confert. De consolatione S. Paulus ait: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Cur non vocat illam lætitiam, tam bene ac consolationem? quia passionibus pares erant, unde passiones ex eodem subjecto non fugabant. Alibi quoque ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*; ita ut illud non patiatur ullam tristitiam adesse; non verò tribulationem fugat; ideòque dicit; *In omni tribulatione nostra*; non dicit Apostolus; *post tribulationem nostram*; sed *in omni tribulatione nostra*. Propheta David idipsum testabatur, dicens: *In tribulatione dilatasti mihi*; prout videlicet exponit Dydimus; *Non turbationem sedans, neque eos qui injuriam inferunt avertens, sed magnanimitatem exhibens*: & Theodoretus ait: *In afflictionibus ipsis Domini sibi auxilium, ac delectationem affuisse persensit*. S. Joannes Chrysostomus eandem expositionem exemplo trium puerorum in fornace Babylonica, & Danielis in lacu Leonum confirmat; non enim illi de fornace, nec hic de lacu subitò ereptus, sed in eodem loco mirabiliter à tormentis defensi, & consolati. Talem consolationem S. Augustinus meritò omnibus mundi delitiis præfert dicens: *Iustos etiam sequestratâ spe futuræ vitæ, jucundius & lætius præ amore veritatis torqueri, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur*. S. Joannes Chrysost. tribulationis lætitiam paradiso assimulat dicens: *Beatus Paulus cùm videret quasi nivis cumulos, tentationes quotidiè ingruentes, non aliter quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatque*.

2. Cor. 1.5.

2. Cor. 7.4

11

Psal. 4. 2.

S Aug. lib. 83. quæst. 2. 9.

S Chrysost. homil. 1. sup. cap. 1. epist. 2. ad Corinth.

25. Recordor insignis sententiæ

Consolatio divina mirabile vinum. tiæ cujusdam Philosophi, qui de effectibus vini loquens dicebat, primum vitrum ebibitum sitim extinguere; secundum afferre gustum, tertium inebriare. Consolatio divina, mirabile vinum est; *Date vinum his qui amaro sunt animo*; quid effecit? Idem quod vinum, sed nobiliùs agit; prima sitim tollit, omnem videlicet afflictionem, & molestiam; *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Nec mihi objiciatis, hîc de aqua, non de vino sermonem fieri; in domo quippe Dei, nulla est differentia inter aquam & vinum, cum utriusque tanta sit copia, & dulcedo, ut unum pro alio æquè sumatur. Propheta Isaias illud optimè noverat, cùm enim ad bibendum aquam invitasset omnes; *Omnes sitientes venite ad aquas*; postea lac, & vinum obtulit dicens: *Venite, & emite absque ulla commutatione, vinum & lac.* Secunda maximam animæ delectationem adfert. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Tertia inebriat, quia omnem appetitum sensualem tollens, hominem quasi extra se rapit, & in Deum totaliter transformat. De hac mirabili consolatione Propheta regius loquens ait: *Calix meus inebrians quàm præclarus est.* Sed quibus hi favores conceduntur? quis hoc vino inebriatur? Afflictus & tribulatus, dicente Salomone; *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Cùm Sponsus amicos suos ad hortum invitasset, ut Mirrhæ messem viderent; subitò ad bibendum, & inebriandum eos invitabat dicens: *Messui Myrrham meam cum aromatibus meis; bibite amici, & inebriamini charissimi.* Videbatur illos ad myrrham, & amaritudinem invitasse; sed aliud nihil repertum est, nisi vinum, & delectationes; ut nos erudiat, taliter hanc myrrham dulcem redditam, ut nulla tribulationis amaritudo, sed cuncta dulcia, & delectabilia reperirentur.

(Marginal references: Prov. 31. 6. — Joan. 4. 13. — Isa. 55. 1. — Ibid. — Psal. 35. 9. — Psal. 22. 5. — Prov. 31. 6. — Cant. 5. 1.)

26. Optimè hoc intelligebat sponsa cælestis, unde licèt cognosceret labia cælestis sponsi myrrham distillare, juxta id quod dixerat; *Labia ejus lilia distillantia myrrham*; non tamen osculum ejus abhorrebat, imò desiderando, & suspirando dicebat: *Osculetur me osculo oris sui*; & quasi aliquis se opponeret, diceretque myrrham amaram in labiis esse, respondit; *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Quasi diceret, si myrrham amaram habet, etiam vinum suave habet; cumque illa guttatim defluat; hoc pectus ejus repletum, abundanter tribuit. Quia verò aliquis opponere poterat, ipsum ore suo gladium gestare, ut postmodum dixit S. Joannes; *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Illa subjunxit, in uberibus

Tribulatio non amara, sed dulcis. (Cant. 5. 13. — Cant. 1. 1. — Ibid. — Apoc. 1. 16.)

 sponsi

sponsi sui, non solùm abundantiam vini, verùm etiam unguentorum esse; quasi diceret vinum & oleum, solent esse optima medicina vulneribus. Licèt ergò me vulneraret, non tamen ejus osculum rejicere cupio; cùm me vulnerando medicina prompta aderit; & minor erit dolor istius, quàm consolatio hujus, unde tribulatio dulcedine optimè condita erit.

Tribulatio amore divino dulcis reddita.

27. Si hæc tamen dulcedo non sufficeret, aliam insuper adjungemus; à quo autem hanc recipiemus? à perfectissimo amore: S. Augustinus hoc clarissimè testabatur dicens: amor non sentit pœnas, & si sentiat, ipsa pœna delectatio est. S. Bernardus præclariùs idipsum affirmabat; *Labor meus vix est unius horæ, & si plus est, non sentio præ amore*; & alibi; *Vbi autem amor est, labor non est, sed sapor.* Qui verè amat, potiùs pro dilecta pati, quàm ab ea honorari cupit: sic illud affirmat. S. Chrysostomus dicens: *Qui amant magis lætantur, si tale patiantur ab iis quos amant, quàm si honorentur.* Et S. Cyrillus inquit: *Suave nimis est, periculum quod pro Christo suscipitur.* Id ipsum in mundi creatione figuratum fuit, dum spiritus Domini ferebatur super aquas; amator, videlicet & consolator super aquas tribulationis. S. Joannes Baptista idipsum clariùs de se affirmabat, cùm enim mortem

S. Bernard. serm. 85. in Cant.

S. Chrysost. orat. 8. in epist. ad Ephes.

S. Cyrill. lib. 15. in Joan. c. 19.

suam prævideret, quomodo nimirum omninò humiliari, & confundi deberet, Christus verò exaltari; præ lætitiâ summoperè exultans, nil in hac vita ulteriùs desiderabat, unde discipulis suis dicebat: *Hoc ergò gaudium meum impletum est; illum oportet crescere, me autem minui.* Quis umquam sinceriorem amorem, aut mirabiliorem lætitiam expertus est?

Joan. 3. 30.

Abraham, & Isaac veri amatores Dei.

28. Tali amore repleti fuerunt S. Patriarchæ, Abraham, & Isaac: cùm enim Abraham amantissimum, & unigenitum filium suum propriâ manu jugulare deberet, & Isaac in flore juventutis mori per manum patris: non leguntur flevisse, aut doluisse, nec contra Deum lamentatos fuisse, sed alacriter ad illud se disposuisse. Hoc præclarè testatur S. Zeno sic scribens: *Lætatus est pater, filio quoque gaudente & cum gaudio unici pignoris allegat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert.* Et paulò pòst, *in tantis filii casibus lætatur & gaudet; & se Dominum promeruisse triumphat, accipit jam præmia quæ meretur.* Hisce verbis S. Zeno perfectissimum Abrahami amorem indicat; æstimans pro amore Dei pati, non esse pœnam, sed meritum, & præmium; propter ingentem lætitiam, quam sentiebat. Deum ergò sincerè amans, non solùm non sentit pœnam, verùm etiam ingenti lætitiâ

Zeno serm. 1. de Abraham.

Dei manus dulcedine plena.

tiâ

tiâ perfunditur. Cùm enim hæc dona à divina manu proveniant, absque dubio bonitate & dulcedine repleta erunt. Ezechieli Prophetæ datus fuit liber lamentationibus, & tribulationibus plenus, dictumque est illi ut illum devoraret; quem Propheta in os mittens, dicit illum mellis instar dulcem fuisse, quia à divina manu receptus.

Luc.12.40. *Amans amorem patefieri desiderat.* 29. Amor ut nostis, ignis est; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*; igni autem nil magis contrarium, quàm recludi. Id clarè patet in tormento bellico ubi videmus quanto strepitu, & vi ignis erumpat, & quantâ violentiâ procedat, nihil illum retinere, nihil resistere potest. Sed quomodo cognoscitur ignis amoris? patiendo, & tolerando afflictiones; Joan.15.13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In prosperitate vix cognoscitur, de impiis siquidem Propheta inquit; Psal.48.19. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei*, in tribulatione autem verè cognoscitur. Cùm igitur amans nil magis desideret, quàm ut ignis amoris cognoscatur; sequitur quòd dum nullâ tribulatione affligitur, & tantus amor celari debet, viscera sua comburi sentiat; sicque tribulatione adveniente, ardor intus latens exhalans, totaliter illum refrigerat, & consolatur: omne siquidem desiderium adimpletum exhilarat teste Sapiente: *Desiderium si compleatur, delectat animam.* Prov.13.19. Hoc desiderium adeò Salvatorem nostrum inflammabat, ut libentissimè mortem amplecteretur; cumque varias hujus desiderii causas assignare potuisset; nimirum propter redemptionem humanam, propter glorificationem sui corporis, aliasque, has tamen relinquens, hanc solam assignare voluit; ut nempe ignis amoris divini intus latens, mundo patefieret. Sic illud testatur dicens: *Pono animam meam*, Joan.10.17. *ut cognoscat mundus, quia diligo patrem.* Joan.14.31. Quasi diceret, licet nihil aliud utilitatis inde percepturus essem, solummodo ut amorem erga patrem meum manifestare possem, libenter morerer.

In tribulatione amor detegitur.

Amans tribulationem libenter recipit. 30. Numquam in æstivis ardoribus observastis, quomodo unusquisque aëris frigiditatem expetat? omnem frigidè spirantem aërem aperto ore, & pectore haurire nititur. Tempore verò hiemali illum omni conatu effugientes, in domos se recipiunt, & vestibus undique stringunt, ne quid frigiditatis corpus recipiat. Pari modo dicamus, tribulationem nil aliud quàm ventum esse; *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone*, Ezech.1.4. dicitur de tribulatione Job; ab illo nimirum Aquilone de quo scriptura ait: *Ab Aquilone pandetur malum.* Ierem.1.13. Qui ergo sunt igne divini amoris succensi,

censi, ô quàm libenter ventum illum recipiunt, sinum, & viscera pandunt, & semper exiguum recepisse videntur: qui verò non amant, non mirum si hunc ventum effugiant, & se ab illo undique defendant. An aliquos hoc calore accensos videre cupitis? Intuemini Apostolos, qui
Act, 5.41. *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati*: cò quòd hac aurâ frigidâ tribulationis refecti essent, vultis hominem frigidum ab hac aura se abscondentem? Considerate Jo-
Ioan. 19.38 sephum ab Arimathæa, qui *Erat discipulus Iesu, occultus tamen propter metum Iudæorum*: propter ventum frigidum tribulationis se absconderat. Nicodemus quoque eodem frigore constrictus erat; dum enim Salvatorem animæ suæ vitam convenire vel-
Ioan. 3.2. let; *Venit ad Iesum nocte*, ne ab hoc tribulationis vento offenderetur. Postmodum verò Christi calore, & amore accensi, non ampliùs hunc ventum abhorruerunt, sed liberè processerunt, adeuntes Pilatum ut corpus Jesu peterent, & audacter ac honoratè illud sepelirent. Si illibenter igitur tribulationes accipitis, si gustui vestro non conveniant; plangite, & conquerimini, non propter tribulationes quæ bonæ sunt, sed propter frigiditatem vestram, quia amore divino orbati estis, quia corda peccatis onerata geritis. Si tamen Deum amare non potestis, proximum saltem amare non desinatis, illum siquidem cùm non videtis, non diligitis, hunc verò afflictum, & indigentem conspicientes quomodo oblivisci poteritis, succurrite igitur necessitatibus ejus, eleemosynam elargiendo, quæ vobis iter ad divinum amorem exhibebit.

SECVNDA PARS.

31. VT quævis dulcia redduntur, non omnia pari saccaro condienda; aliquibus exiguum sufficit, quia naturâ suâ dulcia, facillimè dulciora redduntur; aliis autem quantum addideris amara remanent. Hujus secundi generis tribulationes, esse videntur, adjunge siquidem consolationis saccarum quantum placuerit, infunde mel bonarum rationum, dura semper & amara remanet, nec facilè deglutienda. Probemus igitur, si hac quippe dulcedinis adjunctione non dulcescat, nescio quid adjungendum foret; sed profectò ita fiet, si bene applicata fuerit; Quænam igitur hæc erit dulcedo adeò excellens? Spes futuræ retributionis, nihil in mundo magis tribulationes, & afflictiones sublevat, & dulces reddit, quàm spes futuræ liberationis, & præmii: hæc militem inter gladios & lanceas transire

Spe gloriæ tribulatio dulcescit.

transire

transire cogit; hæc nautas vastissimum intrare mare, & horribili tempestati se exponere efficit; hæc agricultorem desudare, & grana familiæ alendæ destinata terræ committere jubet: unde communiter dicitur; *Spes alit agricolas.* Si spes denique infernum intrare posset, quàm leves damnatorum pœnas redderet, sicut animabus purgatorii efficit: nullus siquidem molestias, & pœnas suscipit, nisi spe retributionis, & liberationis munitus. Quod si spes gloriæ, aut præmiorum homines quotidie allicit, ut voluntariè labores ingentes, & defatigationes suscipiant; quid non spes æternæ gloriæ, & hæreditatis cælestis efficiet? Cùm milites Holofernis pulchritudinem Judith intuiti essent, dixerunt: *Quis contemnet populum Hebræorum qui tam decoras habent mulieres, ut non meritò pro his contra eos pugnare debeamus?* Quod si terrena pulchritudo tantam habeat virtutem, corda rapiendi, ut tantis periculis, & afflictionibus se voluntariè cuncti supponant; quid pulchritudo cælestis, & divina nõ efficiet? S. Paulus Apostolus licèt præ omnibus maximè esset afflictus, optimè tamen illud noverat, unde dicebat; *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Qui rem pretiosam vili pretio emit, non dolet de expensa pecunia, quia majus acquirit prætium; pari modo bona cælestia sperans, non dolet terrenis privari, quin imò gaudet si hisce se privari conspicit, confidit nempe bona æterna quantocyùs sibi affutura.

Spes cuncta reddit levia.

Judith 10. 18.

Rom. 8. 18.

32. Naturalistæ, de Ursis mirabilia referunt, illos nimirum tempore pluviæ lætari, & exultare; non quia tali tempore frui delectentur, sed quia naturali instinctu cognoscunt post imbrẽ serenitatem secuturam. Pari modo se consolabatur Sara filia Raguelis dum nimiâ afflictione & amaritudine opprimeretur, considerans Deum benignum remuneratorem ait: *Quia post tempestatẽ tranquillum, & post lachrymationẽ, & fletum exultationem infundis.* Ad hanc considerationem videtur nos incitasse Christus, dicendo: *Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum, faciem ergò cæli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire?* Quasi diceret, sicut non expavescitis videndo cœlum vesperi rubicundum, & quasi vindictam minantem, imò inde colligitis fore sequenti die serenum; ita quoque vos afflictos considerantes, non debetis cadere animo, imò vos erigere, & spem formare cuncta vobis bene successura: quod Propheta David attestabatur dicens: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Ob ratio-

Deus post tribulationem adducit lætitiam.

Tob. 3. 22.

Math. 16. 2

Pro Deo pati delectabile. nes prædictas adeò delectabile est pro amore Dei pati, ut personæ repertæ fuerint, quibus patiendi lætitia tantum effecit, ut inde mortem sibi acquisierint. Graves auctores affirmant generosam Machabæorum matrem post conspectum filiorum exquisitissimis tormentis consumptorum præ ingenti lætitia vitâ privatam fuisse. Pari modo de patre quodam legimus, qui cùm tres filios suos ex ludis olympicis victores redire conspexisset, lætitiâ summoperè perfusus, in amplexibus eorum spiritum reddidit.

Tribulationis ignis delectat. 33. Quid modò igitur dicitis, qui delectabilem esse tribulationem negatis? Ut fornacem accensam esse? verum est; sed vos ut pirausta esse potestis, quod animal ita igne delectatur, ut extra illum videatur non posse vivere. Nónne meministis ipsi rectè assimulari tres pueros in fornace Babylonica? Morabantur in illa valde hilariter, Angeli societate gaudentes, & flammarum ardorem ut ventum frigidum recipientes. Angelus siquidem è cælis descendens; *Fecit* Dan. 3. 50. *medium fornacis quasi ventum roris flantem.* S. Augustinus acutè inquirit, & discurrit, quomodo id esse possit, dicitque proprium cibum ignis humidum esse, ideoque illum bene conservari in oculo, in siccis autem cineribus non rectè conservari. Deus ergò ut fidem, & jejunium trium istorum puerorum præmiaret; ignem quoque jejunare voluit; & humidum quod ex lignis pro cibo trahebat, voluit in rorem frigidum commutari. Maximè autem hi tres gaudebant quod ex igne discedere non poterant; igne quippe vincula eorum comburente, liberè in flammis ambulabant. Quid ergò illos in fornace tenebat? Nihil omninò, sed tantam in flammis jucunditatem sentiebant, ut inde exire non vellent.

34. Quid dicitis tribulationes Ursos, & Leones esse? bene quidem, sed vos ut David esse potestis, de quo dictum; *Cum Leonibus lusit quasi cum Agnis & cum Ursis similiter fecit.* Cùm David in desertis pastorem ageret, nec socios haberet quo cum jocaretur, cum Ursis, & Leonibus se exercitabat. Ut Sampson esse potestis, qui Leone occiso, favum mellis in ore reperit; nam tribulatione patienter superatâ, consolationis dulcedinem reperietis. Quid dicitis tribulationem esse gladium ancipitem? Concedo, scitis tamen qualis sit gladius? Quem Cherubim ante paradisum in manibus gerit: ita ut volentes paradisum exultationis ingredi, tribulationis gladio transfigendi sunt. *Tribulatio fera facilè superanda.* Eccli. 47. 3.

35. Quid dicitis tribulationes serpentes, & Basiliscos esse? sit ita, sed sitis vos infantes propter simplici- *Tribulationis serpentes quomodo superandi?*

simplicitatem, & innocentiam; non vos mordebunt, imò delectationem vobis afferent dicente Isaia : *Delectabitur infans ab ubere super foramine Aspidis.* Vel sitis fraga rubicunda propter charitatem, terrena propter humilitatem, tenera propter mansuetudinem, sapida propter discretionem, & non vobis nocebunt; dicunt quippe Scriptores serpêtes fragis venenum immittere non posse. Dicamus quoq; tribulationem serpentẽ æneum esse à Moyse in deserto erectũ, qui intuentibus salutem tribuebat. Sub hac forma gentiles etiam ingentem Draconem fingebant Esculapium dictum, volebantq; hoc numen salutare esse. Quid dicitis tribulationes spinas esse? *Sit ita*, nescitis tamen è spinis odoriferas nasci rosas? Sub his quippe spinis commorari, multis deliti æ videntur: teste Propheta Job : *Esse sub sentibus delitias computabant?* Inter has spinas anima pulchrior apparebat cælesti sponso, eam propterea laudanti; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Numquam legistis Erinaceum pungentibus suis stimulis fructus infigere, eosque sic ad cavernam conferre ut filios inde enutriat? Nescitis denique ex sacratissimo Salvatoris nostri capite spinas tantam hausisse dulcedinem, ut non amplius transfigant, sed delectent? Sic attestatur S. Gregorius Nazianzenus qui in medio illarum constitutus dicebat : *Hæc omnia leviora duco, quia coronâ Christi coronari me sentio.*

Isa. 11. 8.

Ex tribulationis spinis nascuntur Rosa.

Job 30. 7.

Cant. 2. 2.

36. Quid dicitis tribulationem esse gustui amaram? concedo quantum ad exteriorem, sed medulla tantò suavior. Eodem modo tribulationis dulcedo latet, sicut sub amara cortice nucis, vel Amygdali, dulcis latet fructus. S. Ambrosius id præclarè recolligit ex visione Jeremiæ Prophetæ, cui per tribulationis symbolum virga Amygdalina monstrata fuit; *Virgam ex Amygdalo celeriter florentem, video* : juxta versionem Pagnini; vel *Baculum nuceum*, juxta versionem Septuaginta Interpretum. Sic inquit S. Ambrosius : *Nux foris amara, & dura, intus est fructuosa, & in medio dulcis; ita & tribulatio, & si videtur aspera, fructum habet absconditum.* Mellifluus doctor S. Bernardus, egregiè notat, quòd licèt in lingua Salvatoris aliqualis videatur esse amaritudo, dum ad patiendum invitat, & tribulationes prædicit, sub lingua tamen ejus magna est dulcedo consolationis præsentis, & supra linguam ob præmia futura : *Ita ergo*, inquit, *labor in lingua, mel sub lingua, quid supra linguam? ineffabilia quæ nô licet homini loqui; miseri qui solùm quod in lingua sonuit, attendentes, nec quod sub linguâ reconditum, nec quod supra positum fuit,* capere

Sub tribulatione dulcedo latet.

Jerem. 1. 12.

S. Bernard. in sentent.

Tribulationis sonus dulcis musica.

capere potuerunt. Quid dicitis tribulationem ut tonitru auditui esse? Sic est, sed sono suavissimæ musicæ comitata, testatur id S.
Apoc. 14. 2. Joannes dicens: *Audivi vocem tamquam vocem tonitrui magni,* & ne quis putaret terribilem fuisse sonum, subitò subjunxit; *Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum, citharizantium in citharis suis;* ita ut quantum ad sonum ingentem, tonitru videretur, sed quantum ad suavitatem suavis instrumentorum symphonia. Quid dicitis, tribulationem tenebras esse oculis? Sed tales, de
Ps. 138. 11. quibus Psalmista ait: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis;* est nox delitiarum, & consolationis.

Tribulationis odor suavis.

37. Quid dicitis, fœtorem esse naribus? Sed illis quibus Scarabæi nares, cui odor Rosæ displicet, & fœtidarum rerum placet. Non autem naribus purgatis. Id præclarè testabatur S. Paulus Apostolus, qui de sua af-
2. Corint. 2. 15. flictione dicebat; *Christi bonus odor sumus, in omni loco, aliis quidem mortis in mortem, aliis verò vitæ in vitam.* Ecce quomodo idem odor diversis prodest, & obest, ob diversam dispositionem. Suavis odor à siccitate generatus amaritudini associatur, & ab igne fovetur; sic tribulatio humores vanitatis, & voluptatis exsiccans, amaritudinem sensui præbens, & instar ignis purgans, nonne suavem educet fragrantiam? Quid dicitis incisionem, & vulnus esse? Ita est, sed occasionem mœroris, & doloris auferens, ac lætitiam & exultationem adducens: juxta dictum Prophetæ regii: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.* Psal. 29. 12.

Tribulatio mors dulcis.

38. Quid dicitis mortem esse? Sic est, quæ tamen adeò dulcis reddita, ut non dolorem, aut tribulationem, sed dulcedinem & delectationem adferat. Optimè hoc intellexit S. Augustinus, qui fervore divino succensus, dicebat: *Dulce est amare, sed dulcius pro amato mori:* Quasi diceret, S. August. in soliloq.
dulce est saccarum, sed dulcior fructus amarus, qui illo conditur. S. Bernardus quoque dulcedinem illam cognoscens ajebat: *Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimã?* Quid dicitis ab inimicis nos affligentibus tribulationes procedere? Sed dicere posse, non minùs ab amicis quàm inimicis nos affligi. Hoc testabatur sponsus in Cant. de sponsa sua loquens quæ inter amicas degebat; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea, inter filias;* ita ut has Cant. 3. 2.
pungentes vocaret spinas, quia animam dilectæ suæ affligebant. Alibi quoque ait: *Adjuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit:* timens ne à dulci contemplationis somno distraheretur, non ab inimicis sed à chariori- Cant. 3. 5.
bus

Amici & inimici affligunt.

bus amicis. Sed concedamus ab inimica manu contra nos tribulationis sagittas emitti; nescitis tamen inimicos nostros ut Apes esse, teste Psalmistâ : *Circumdederunt me sicut apes?* Licèt enim pungant, mel tamen quoque producunt. Tales ergò sunt inimici nostri, aliquo modo quidem pungunt, dum affligunt; simul tamen dulcissimum mel voluptatis ex tribulatione proveniens conferunt. Ingeniosus quidam supra hoc emblema componens; ursum posuit alvearia adeuntem ut mel comedat, non enim puncturas timet dum suavi melle fruitur.

Psal.117,12

39. Quid dicitis tribulationem delectationi maximè opponi? Concedo, sed nescitis ex duobus contrariis pulcherrimum fieri compositum, & tertium quid produci perfectius ambobus? Sic ex coloribus mixtis insignis formatur color; ex dulci melle, & amaris corticibus pomorum Sidoniorum, optimum educitur condimentum. Pari modo ex amara tribulatione, & dulci consolatione; fit mirabilis cordis lætitia, & exultatio. Quid dicitis non fore tribulationes, nisi dolorem afferrent? rectè dicitis; nec ego dico nullum afferre dolorem, sed sub illo voluptatem, & delectationem latere. S. Augustinus omnium præclarissimè id declarat dum de vero pœnitente loquens ait: *De peccato dolet, & de dolore gaudet.* Licèt quoque dicere possem, ut sint tribulationes, sufficeret dolorem posse afferre, licèt actu non causent; sicut ut quis sit homo, sufficit ut possit discurrere, licèt actualiter non discurrat; alioquin sequeretur, ut dormiens non esset homo. Possem quoque dicere, licèt sensibus afferret dolorem, majorem tamen menti afferre delectationem, ideoque absolutè delectabilem dici oportere.

Quomodo dolor, & tristitia simul esse possint?

S. August. lib. de vera, & falsa pænit. c. 13.

40. Hunc ergò discursum concludamus, vanum timorem de tribulatione conceptum abigentes, quia malum ingens nobis causat, dicente S. Bernardo: *Non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius:* ad hoc quoque confirmandum ait Psalmistam non dixisse; *Non timebis à nocte,* sed *à timore nocturno.* Filiis Israel Deus terram promissionis lacte, & melle manantem promiserat; cumque jam Ægypto egressi illi appropinquarent, mala nuntia illis relata fuére, quòd nimirum; *Terra devorat habitatores suos.* Iratus ergò Deus omnes illos in deserto occidit duobus exceptis, qui tali timore perculsi non fuerant. Pari modo nobis sæpè accidit, ad terram cælestis promissionis tendimus; sed cur non procedimus? Cur ab incepto itinere desistimus? Cur vano timore murmurationis, infirmi-

Timor pejor tribulatione.

S. Bernard. serm. 6. in Psal. 90.

Nu. 13. 33.

tatis, aut alterius considerationis deterriti, cœptum propositum non exequimur? Vanus est hic timor, & diabolica deceptio propter hunc arrepta non mutanda intentio.

Vmbra tribulationis exterret.

41. Philippo Macedonum Regi, quadam vice insignis oblatus est equus, sed adeò ferox, ut nullus eum regere posset. Alexander Philippi filius advertit equum ideò ferocem esse, quia umbram metuebat, quam incedendo causabat; unde ad solem illum convertens, effugatâ umbrâ, mansuetus adeò redditus, ut illi in cunctis præliis inserviret. Pari modo nos sumus Bucephali instar, naturâ quidem generosi, sed adeò timidi ut minimus umbræ suspectus, nos atterreat; ideoque renuentes viam cælestem ingredi, ad verum solem nos convertere nolumus, vanasque umbras dimittere. Ad hanc caliginem nostram detergendam, cælestis regis filius de cælo in terram descendit, ut claritate doctrinæ suæ, vanitatis umbram cognoscere faciat, & à vano timore nos eripiat: meritò ergò ab ipso nos dirigi, sinamus. Optimè hoc nobis exhibuit Zacharias Propheta, dum de Salvatoris adventu loquens ait: *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis:* (Luc. 1. 79.) venit Christus ut ab umbra mortis, & tribulationis te eripiens, per viam salutis alacriter ducat.

Tribulatio somnium est.

42. Dico insuper tribulationes non umbras, sed somnia esse, multò minùs timenda, cùm nihil reale in se contineant. Umbra quippe licet simplex sit privatio, & nihil dici possit; non formatur tamen nisi à corpore solido, unde est signum alicujus realis rei; somnium autem nullam habet realem existentiam, nec minus est signum alicujus rei, veræ, & realis. Plutarchus de Mida narrat, semper illum pavidum fuisse, timore ingenti ex somniis concepto; unde de illo verificatum fuit quod de Delphino idem refert, quod nec dormiens quiescere nescit: adeò autem hic timor in illo prævaluit, ut sibi mortem ex eo inferre non dubitaverit. Sed si ille sibi mortem temporalem præ timore somniorum intulit; quanti sunt hodie, qui mortem æternam incurrunt, præ timore rerum apprehensarum? Talis mihi fuisse videtur piger, de quo Sapiens dicebat è lecto surgere timuisse dicens: *Leo est in via, Leæna est in itineribus.* (Proverb. 26. 13.) Sed si ex lecto non surrexeris, si fenestram non aperueris, & ne fortè oculos, quid scis quid in via agatur? Ah miser non vides te somnia propria referre? Phantasmata nocturna, difficultates somniatas apprehendis, ut in lecto remaneas. Vanum ergò illum

Vanum somnium abigendum.

lum timorem à nobis abigere oportet, & voluntarias apprehendere tribulationes, easque potissimùm, quas benigna Dei manus nobis immittit.

In tribulatione sancta lætitia.

43. S. Joannes Chrysostomus aureo suo loquendi modo præclarè nobis illud exhibuit dicẽs: *Tristemur potiùs, tristitiâ gaudii genitrice, non autem lætitiâ tristitiæ parentes gaudeamus; lachrymas fundamus multam seminantes voluptatem, neque risu rideamus dentium stridorem nobis pariente, affligamur tribulatione, ex qua indulgentia nascitur, neque delitias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur, & angustia.* Abbas quoque Germanus in persona Christi animæ loquens dicebat: *Hoc unicum reputare debes gaudium, quod affligens te doloribus non parco tibi.* Quod si feceritis, certiores vos reddo, tantam in tribulatione reperturos delectationem, ut instar trium juvenum licèt possitis, ex fornace tamen tribulationis exire non velitis. De nobili matrona refert Victor Uticensis, quòd ob religionem catholicam à Wandalis incarcerata, adeò constanter gravissima pertulit tormenta; ut desperantes illam posse ad se convertere, à marito, filiis, & domo illam removentes, in asperam ablegarunt solitudinem. Ubi cogitare potestis qualem traduceret vitam afflicta, sola, misera, in loco adeò deserto, ab hominum consortio separata, omni consolatione destituta; & quæ omnibus bonis, & commodis abundare solebat, amicis & filiis spoliata, ac marito orbata, tantã inde percepit consolationem, tantam in tribulationibus experta exultationem, ut persecutione cessante à suis revocata, numquam assentiri voluerit, sicque asperrimam, sed sibi suavissimam alacriter vitam finivit. Sed surdis & inexpertis forsan loquor, qui numquam scivistis quid sit pro amore Dei pati, ideoque nec vobis id persuadere possum, nec cognoscere potestis, quantam inde sentiretis exultationem. Experimini ergò parum, & date vos totaliter Deo, & verissimum esse reperietis quidquid hoc discursu vobis exhibere studui. AMEN.

German. Abb. lib. 3. de contemp. mũdi cap. 30.

Victor Uticensis lib. 2. de persecution. Wandal.

DISCVRSVS XLIII.

Tribulatio fidei auxilium, & fides tribulationi solatium præstat.

SVMMARIVM DISCVRSVS.

Triplex est bonum, sed difficillimè unitur. num. 1. 2.
Tribulatio cuncta unire potest. n. 3.
Fides lumen vivum cunctos illuminans, & Deo uniens. à numer. 4. usque ad 20.
Quid fides afflictis præstet? n. 21. 22.
Tribulatio utilissima ad fidem acquirendam, & conservandam. à num. 23. usque ad 31.
Tribulatio fidem maximè corroborat. à num. 32. usque ad 35.
Fides nos Deo semper adhærere facit. num. 36. 37. 38. 39.
Tribulatio fidem auget; & fides consolatur & protegit afflictos. à nu. 40. usque ad finem.

Est bonum honestum, utile, & delectabile.

1. Icèt bona universa ab homine desideranda, variè sint per mundum dispersa; prudenter tamen à Philosophis in tres classes divisa fuêre: in bonum honestum, delectabile, utile. Sub primo omnes virtutes, operationes bonas, & quidquid honorem conferre posset concludebant. Sub secundo quidquid voluptatem, delectationem, & gustum sensibus externis, & internis animæ potentiis exhibebat; sub tertio quidquid saluti, aut corpori beneficium, quidquid divitiarum, quidquid denique non ex seipso sed ad alia conquirenda apperitur, colligebant. Hæc divisio valde exacta, & perfecta fuit; tribus scilicet de causis aliquid bonum dici potest; vel quia proportionatum, & conveniens, & sensibus nostris conforme; & ecce bonum delectabile; vel quia rationi consonum; & ecce bonum honestum; vel quia conservationi salutis, aut vitæ inserviens, & ecce bonum utile. Dicamus quoque cum Peripateticorum principe; *Bonum est, quod omnes appetunt.* Cùm igitur tres sint in nobis appetitus, tria bonorum genera esse oportet. Appetitui rationali, bonum honestum; concupiscibili, delectabile, & irascibili, utile tribui potest. Tres quoque gradus in anima nostra reperiuntur; gradus superior,

Tribus appetitibus applicatur.

superior, rationalis; medius, sensitivus, & infimus vegetativus: quibus tria hæc bona optimè conveniunt: rationali honestum; sensitivo delectabile; & vegetativo utile.

Aliquid appetitur vel propter se, vel propter alia.

2. Dicamus etiam duobus modis aliquid posse appeti, vel propter se, vel propter aliud; vel in quantum finis, vel in quantum medium; si in quantum medium, est propter alia, & ecce bonum utile; si in quantum finis est propter se, vel quia in se est bonum, & ecce bonum honestum; vel quia nobis placet, & ecce bonum delectabile. S. Joannes denique idipsum confirmans dicebat; *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis*, & ecce bonum delectabile; *aut concupiscentia oculorum*; ecce bonum utile; *aut superbia vitæ*, ecce bonum honestum. His ergò modis bona cuncta divisa sunt, & verè sunt nimis divisa, vix enim videntur uniri posse, sed continuò inter se repugnare. Si quippe de bono honesto, & delectabili loquamur, quis ignorat quantum inter se repugnent? Hæc duæ sunt viæ per litteram Pythagoricam designatæ, quæ quò magis procedunt, tantò magis à se invicem recedunt. Una spatiosa boni delectabilis; alia arcta, & constricta boni honesti. Salvator noster etiam has vias optimè declarat dicens; *Spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam*: ecce via larga, & delectabilis. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam*; ecce via honesta, & constricta. Si de bono utili loquamur, quis nescit quantum honesto repugnet; id præclarè testatur Sapiens de avaro quippe semper utilitatem quærente loquens dicebat: *Avaro nihil est scelestius*; & consequenter à bono honesto magis distans. Inter utile tamen & delectabile, non tanta videtur oppositio, unde dixit Horatius:

1. Joan. 2. 16.

Matt 7. 13.

Ibid. 14.

Eccli. 10. 9.

Omne tulit punctum, qui miscuit
utile dulci.

Utile delectabili conjungi potest.

Palmam videlicet obtinuit, & ad summum pervenit, qui utilitati delectationem conjunxit; non ausus fuit dicere honestatem, quia hoc impossibile videbatur; sed sufficere videbatur, utilitati delectationem conjungere. Quandoque tamen se mutuò complectuntur, de avaro siquidem Sapiens dicebat; *Fraudat animam suam bonis*. Omnia ergò bona assimuntur ut bono utili intēdere possimus. O quanta bella, quantas contentiones hæc bona in anima nostra causant, cum singuli appetitus se invicem oppugnent. S. Paulus hanc contentionem optimè noverat, unde dicebat: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. S. Iacobus idipsum rectè exprimebat dicens:

Eccli. 4. 5.

ad Rom. 7. 23.

Vnde bella & lites in vobis? nónne ex concupiscentiis vestris, quæ militant adversus animam vestram?

Tribulatio cuncta unire potest.

3. His tamen contentionibus auditis, poterimúsne sperare aliquem fore qui illa adeò diversa uniat, & pacificè conjungat? Omninò non desperetis; inventa est tribulatio quæ illud optimè exequi novit. Tribulationem hæc omnia bona complectere jam ex parte vidimus & latiùs in sequentibus declarabimus; delectationem siquidem afferre præcedenti discursu conspeximus: honestatem gloriam, & honorem causare ex parte probavimus, & ulteriùs ostendemus. Si utilem ergò esse monstraverimus, omnia bona in se concludere certissimè cognoscemus.

Tribulatio utilissima.

Utilitatem ergò tribulationem conferre adeò clarum est, ut vix initium vel finem horum reperire possem. Non solùm quippe in hac vita, verùm etiam in futura utilissima est; corpori, & animæ, voluntati, & intellectui, virtutibus Theologicis, & Moralibus, bonis temporalibus & æternis, subsidium præstat. O quantus beneficiorum & utilitatum cumulus. De his omnibus cùm simul differere non possimus, à virtutibus theologicis initium sumamus. Inter has nobiliorem locum fides obtinet; licet enim hæ virtutes in se bonum honestum recludant; tribulatio tamen in quantum est medium ad illas acquirendas, potiùs utilis quàm honesta dicenda. Perspiciamus igitur primò quantum bonum fides sit; postea verò quàm efficax medium ad illam acquirendam, conservandam, & augendam, sit tribulatio.

Diversitas luminis vivi, & mortui.

4. Quantum ad primum, clarum est, Christum tantam connexionem habere cum anima nostra, quantam sol habet cum corporibus nostris. *Ego sum lux mundi*, de se ipso dicit; sicut enim sol cunctos illuminat; sic Christus, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Insignis tamen luminum differentia hîc notanda; aliquod enim lumen vocatur vivum, aliquod mortuum. Quodnam est vivum? quod immediatè à suo principio derivatur; sicut aqua viva dicitur quæ origini fontis contigua. Quodnam lumen mortuum, quod non immediatè à sole, seu igne causatum, sed reflectendo fit; sicut aqua mortua dicitur, quæ longè à scaturigine quiescit; metaphorâ acceptâ à corpore quod animæ unitum vivum dicitur, & ab ea separatum mortuum vocatur. v. g. Sol fenestram, aut murum illuminat, illud est vivum, sed lumen reflectit ad alias partes, & hoc est lumen mortuum. Quod lumen melius? absque dubio primum magis resplendens, utilius, pulchrius, & perfectius est; unde

Joan. 8. 12.

Joan. 1. 9.

unde illud maximè æstimatur in domo aliqua. Ad propositum ergò nostrum, Deus auctor & Jacob. 1. 17 pater luminum est: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, descendens à patre luminum.* Nullum est lumen veritatis, scientiæ, & cognitionis, quod non sit à Deo, teste S. Ambrosio; *Veritas à quocumque dicatur, à Deo est.* Plurima tamen sunt lumina per reflexionem, & lumina mortua; scientia est lumen per reflexionem, quia Deus produxit intellectum, & in illo semina scientiæ infudit, & ille postmodum produxit scientiam.

Lumen fidei vivum est.

5. Quodnam vivum lumen à Deo immediatè dependens? lumen fidei; ipsomet sole attestante; Joan. 8. 12. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sed nónne sufficiebat dicere; *Non ambulat in tenebris*; ubi enim non sunt tenebræ, ibi est lux? absque dubio sufficiebat ad cognoscendum se in lumine esse; sed adjunxit Dominus; *Habebit lumen vitæ*, ut sciret qualitatem luminis in quo esset. Lumen vitæ quoque vocavit, non quia ad duplicem consequendam vitam ordinatum, hîc per gratiam, & in cœlo per gloriam; verùm etiam quia vitam in seipso complectitur. Lumen vivum etiam dici potest, quia juxta phrasim Hebræam significatur adjectivum, per casum genitivum. 2. Cor. 1. 3. Sic dicitur Deus *Pater misericordiarum*, id est summè misericors; & Christus vocatur filius dilectionis, id est valde dilectus. *Transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ.* ad Coloss. 1. 13. Lumen vivum ergò fides, quia à Deo dependet, & auctoritati divinæ immediatè innititur; cùm nos non aliâ ratione credamus, quàm quia Deus dixit, & prima veritas revelavit. Quàm mirabiles fidei excellentiæ hoc titulo luminis vivi manifestantur?

Proprietates luminis vivi, & fidei.

6. Videamus igitur paulatim has fidei præeminentias: proprium in primis est lumini vivo, solem exhibere; cùm enim oculus noster non nisi illa videre potest, quæ per lumen vivum ipsi directè opponuntur, cùm illud lumen à sole ad nos derivetur, rectè corpus solare exhibet; sed per lumen mortuum non ita, quia nec directè à sole venit, nec virtutem illum repræsentandi habet, sed per discursum colligimus, si lumen est, ergò à sole venit. Pari modo lumine fidei Deum cognoscere poterimus. Lumen hoc in Judæa absconditum erat, ideoque Psalmista ait; *Notus in Judæa Deus.* Psal. 75. 2. Si quis tamen objiciat ratione naturali Deum cognosci posse; respondeo eo modo posse cognosci, sicut per lumen mortuum cognoscitur sol ortus, & supra terram jam esse; cujus autem sit formæ, quis vultus ejus, non facilè cognosci potest,

Deus per lumen fidei agnoscitur.

test, sed tantùm solis existentia. Per lumen vivum autem formam ipsius, & propriam sphæram cognoscere vales, quantum visus tui debilitas permittit. Pari modo lumine naturali, & per discursum Deum aliquem esse cognoscere licet; qualis verò sit, si trinus in personis, si generans filium ab æterno, si res supra naturales producens aliaque similia cognoscere non possumus. Philosophi naturales Deum suo modo tantùm cognoscentes, de eo mille finxerunt mendacia, & errores attribuerunt. Sed lumen vivum fidei, non tantùm existentiam Dei, verùm etiam essentiam cognoscere facit. Propheta regius id optimè cognoscebat, ideoque fidem Dei vultum apprimè dixit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; quia vultum Dei nos facit cognoscere. (Psal. 4. 7.)

7. Meritò proinde dixit S. Bernardus; *Quid est quod non inveniat fides? fides enim falsi nescia, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac usum naturæ, ipsam denique æternitatem, suo illo vastissimo sinu, quodammodo circumcludit.* Verum quidem est, cùm in hac vita tantum lumen sufferre non possimus, Deum clarè cognoscere non valemus. Hæc tamen aliqualis cognitio, quis explicare sufficiet, quantum boni conferat? Philosophorum princeps affirmabat, melius esse minimam rerum divinarum habere notitiam, quàm abundantem rerum creatarum, & sublunarium; si quoque beatitudo naturalis fuisset, in contemplatione rerum divinarum certissimè posita esset. Nónne videmus quanta curiositate homines concurrant ut personam excellentem intueantur? ex illo tamen intuitu, nil utile hauriunt, nec aliquando intuitu digna est. Quid igitur erit vultum Dei aspicere, in quo quidquid creaturis pulchri inesse, aut imaginari potest, & multò amplius continetur, unde tanta bona nobis proveniunt?

(S. Bernard. serm. 28. in Cant.)

(*Fides cuncta apprehendit.*)

8. Secunda luminis vivi prærogativa, & excellentia est, quòd sicut te solem videre facit, sic solem te quoque intueri efficit: quod per lumen mortuum non accidit. Ab hoc autem sole videri, parum refert; sed à sole æterno conspici, multum prodest; ille siquidem non leviter, aut otiosè aspicit, sed objectum à se intuitum beatificat. Sic illud præclarè testatur beatissima mater ejus Maria dicens: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: sed ex quo, aut quare? *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc tamen beatitudo à S. Elisabeth fidei attributa est; *Beata quæ credidisti*; nec hoc tamen dictum

(*Fides à Deo nos aspici curat.*)

(Luc. 1. 48.)

(Luc. 1. 45.)

(Luc. 1. 48.)

dictum, virginis dicto contrarium, sed unum explicat aliud; si enim fuerit Deo fidelis, ergò ab illo intuita; sicque idem est
Psal. 160.6. dicere; *Quia credidisti*, ac dicere; *Quia respexit*. Deus siquidem fideles suos respicit; *Oculi mei, ad fideles terræ*; dicebat per dilectum Prophetam suum: absque fide nemo à Deo aspicietur: *Sine fide impoßibile est placere Deo.*

Fides gloriosos & claros reddit.

9. Tertia excellentia luminis vivi est; ut objectum à se illuminatum clarum, & resplendens reddat; non tamen hoc lumen mortuum efficit. Ita videmus solis radiis aliquam partem illuminantibus, illa adeò redditur clara, ut vix eam intueri valeamus. Lumen fidei, quàm gloriosos reddit homines? Hoc præclarè testatur S. Paulus Apostolus, dicens Romanos mundi dominos clariores fide, quàm
ad Rom. 1. 8. Imperio effectos fuisse; *Fides vestra*, inquit, *annuntiatur in universo mundo*. Dico insuper si objectum est purum, & mundum, ut alter sol resplendet: non aliter fides in corde puro, & Deo grato recepta, hominem ut
Psal. 81.6. Deum in terra efficit; *Ego dixi Dii estis.* Sed qua de causa illos Deos vocat? Christus idem ex-
Joan. 10.35. plicat dicens: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, quia lumen verbi Dei, fidei nempe, receperunt. Clarius quoque S. Joannes, idem affirmat dicens:
Joan. 1.12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Propheta David de hoc lumine pręclarè dixit: *Signatum est super nos* Psal. 4.7.
lumen vultus tui Domine; quid sibi vult *signatum est?* tantum est ac dicere, *sigillatum est*: sicut enim ceræ sigillum cum omnibus suis lineis & figuris impressum remanet; sic in anima lumen fidei recipiente, similitudo pulcherrima vultus Dei remanet. Insigniter hoc Origenes explicat dicens; *Nam signum luminis quod emicat ab aspectu tuo, ad nos usque pertransiens, nobis impressum est, & lumen tui aspectus inustum est.* Meritò quoque hæc dicit, si enim Deus est omnipotens, fidelis de omnipotentia sua participat; quia *Omnia poßibilia sunt credenti*: Marc. 9.22.
infidelis autem manus Dei ligare videtur; cùm propter infidelitatem suam Dei omnipotentiam quasi retineat: sic dicitur in Evangelio Deum nulla miracula in Nazareth patrare potuisse, propter infidelitatem eorum. Sapientissimus est Deus, & infinitæ sapientiæ ejus participat fidelis: ipso dicente: *Omnia quæ* Joan. 15.15.
audivi à patre meo, nota feci vobis. Potestati divinæ nullus resistere potest, nec ulla fortitudo fidei resistere valet, teste Apostolo: *Fide muri Iericho corruerunt.* Om- Hebr. 11. 30.
nem mundum vincit Deus: *Confidite ego vici mundum*, & Joan. 16.33
mundi victoria fidei tribuitur; *Hæc est victoria quæ vincit mun-* 1. Joan. 5.4
dum, fides nostra. Fons vitæ est

Fides Deo similes reddit.

Orig. in hunc Psal.

Psal. 35. 10. Deus: *Apud te est fons vitæ*; & principium vitæ est fides; *Iustus ex fide vivit.* Justissimus est Deus, & proprium ipsi est justificare: *Deus est qui justificat*; & fides viva pariter justificat: *Iustificati ex fide*, dicebat Apostolus. Sicut denique fides divinum quid habet, sic Deus fidelem se vocari lætatur, teste S. Paulo: *Fidelis Deus*, & Psalmista ait; *Omnia opera ejus in fide*: insignis ergò similitudo inter Deum, & fidelem est.

ad Rom. 1. 18.

ad Rom. 5. 1.

2. Cor. 1. 18.

Psal. 32. 4.

Fides optima actionum norma.

10. Quarta luminis vivi excellentia, quòd horologia solaria dirigat, lumen mortuum non, quia illud non indicat situm solis in cælo: sic fides operationes & vitæ nostræ regulas optimè dirigit. Christo Salvatore nostro Apostolos interrogante, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Diversimodè cuncti respondentes, à veritate recesserunt, quia horologia solaria non erant, sed arte fabricata, & juxta intellectum cujusque directa. Unus tamen illorum optimè respondit dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi*; scitis quare? quia horologium solare erat, lumine vivo illustratus, & fide edoctus; unde Christus illum beatum prædicavit dicens: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus cælestis*; quasi diceret, non lumine mortuo, sed vivo illustratus fuisti. S. Ambrosius hæc verba Christi considerans, meritò dicit, cur Christus S. Petro soli dicit; *Duc in altum*; *Quid tam altum, quàm altitudinem divitiarum videre? Scire Dei filium, & professionem divinæ generationis assumere? quàm licet mens nequeat humana plena rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.*

Matth. 16. 13.

Ibid. 17.

Ibid.

S. Ambr. in cap. 5. Luc.

Fides lucerna ad portum dirigens.

11. Nec cognitio solùm, verùm actio, & intentio à fide rectè ordinata est. In præcipuis maris portubus solet alta in turri fax quædam, aut luminare nocte constitui, ut navigantibus portum, & viam quâ navem dirigere debeant indicet. Pari modo cum hoc turbulentum mundi mare navigemus, ne ignorantiæ tenebris inhærentes, & à recta navigandi via declinantes ad portum æternæ salutis appellere non possimus; supra Ecclesiæ turrim Deus ingens luminare fidei constituit, de quo princeps Apostolorum dicebat; *Cui bene facitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*; meliusque, hoc quàm illud lumen in hoc mundi pelago errantes dirigit. Ad propositam igitur horologii solaris similitudinem revertentes, sicut illud à sole per stylum ferreũ rectè dispositum, punctualiter ordinatur; sic anima lumine rectæ fidei illustrata, cunctas operationes & cogitationes suas dirigere potest.

2. Petr. 1. 19.

12. Per hoc lumen fidei non solùm

Fides nos sedulos efficit. solùm quandoque actiones nostræ, sed frequenter diriguntur. Insignis pictor Apelles, ut diligentiam in arte sua exhiberet, dicere solebat; *Nulla dies sine linea*; numquam videlicet diem ita otiosè perago, quin ante solis occasum aliquid exaratum supersit. Ulteriùs tamen anima fidelis, & fervens procedens, non diem solùm, verùm ne quidem horam otiosè se transigere dicebat, quin aliquid boni effectum superesset. In horologio solari idem apertè colligitur, nulla siquidem hora sine linea est; verus quoque sol noster idipsum fideles suos edocens, dicebat; *Vos estote parati quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet*: quasi diceret, non mihi sufficit vos vigilare, & bonis operibus quotidiè intendere; sed volo vos omni hora id peragere, cùm ignoretis quâ horâ filius hominis ad vos sit venturus. Dico insuper, sicut horologium rectè ordinatum, alios quoque dirigit, quia ab illo commensuratio temporis, & horarum sumitur, quæ præcipua negotiorum humanorum, & vitæ nostræ directio; ac proinde meritò horologio solari hoc dictum quis supposuit; *Si aspicis, aspicior*; si nimirum sol luce tuâ me illuminas, alii quoque me aspiciunt. Pari modo animæ fideli accidit, quæ lucem divinam sequendo, & vestigia solis æterni imitando; illa à Deo aspicitur, & vicissim ab aliis videtur, & observatur. Hoc præclarè intellexit S. Paulus Apostolus, ideoque Corinthiis scribens dicebat; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; Thessalonicensibus quoq; idem insinuans dixit: *Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti, ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & Achaia.*

Luc. 12, 40.

Fides alios dirigit.

1. Cor. 11. 1.

1. ad Thess. 1. 6.

13. Quinta excellentia luminis vivi est, calefacere: si in meridie sub densâ arboris umbrâ steteris, luce quidem frueris, sed non calore; radiis autem solaribus, & vivo lumini expositus, luce, & calore simul frueris. Pari modo fides instar luminis vivi, non est calida formaliter, unde sine charitate reperiri potest; sed virtualiter, quia apta, & disposita ad calorem divinum producendum; unde à Concilio Tridentino vocatur, *Principium justificationis*. Fides instar panis est, qui nec vitam, nec calorem in se formaliter, sed virtualiter continet, quia illo se cibans, fovetur, & in vita remanet. A Christo Salvatore nostro, panis verbo Dei opponitur, quod est principium fidei, dicendo; *Non in sole pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Apostolus quoque dicebat; *Iustus ex fide vivit*; sed quomodo id intelligitur? An sola fides justo vitam

Fides justificationis principium.

Quomodo justus ex fide vivat?

Matt. 4. 4.

tam tribuere potest? Nequaquam; quia, *Fides sine operibus mortua est*, quomodo ergò vitam aliis tribuere potest? Dicitur igitur justum ex fide vivere, eo modo, quo doctor è suis libris, & studio vivit; non quia libros, aut studium comedit, eoque se nutriat, sed ex lucro, quod per studium acquirit, se sustentare dicitur. Eodem modo Psalmista dicebat, justum opera sua comedere; *Labores manuum tuarum, quia manducabis*; ex lucro nempe inde proveniente vives. Aristoteles etiam asserebat, quòd maxima pars hominis è terra viveret: ex fructibus nempe terræ se nutrirent. Justus ergo non solùm ex fide vivit, sed ex charitate, & operibus bonis, in fide radicatis; ex fide nempe viva.

ad Rom. 1. 18.

Arist. lib. 1. Polit. 4.

Fides admirabilis medicina.

14. Dicamus quoque fidem ut optimum medicamentum esse; quod ut accipienti prosit, oportet illud naturali calore foveri, alioquin plus nocebit, quàm proderit. Sic fides admirabile est medicamentum, dicente Sapiente, per illam peccata purgari; *Per misericordiam, & fidem, purgantur peccata.* Ad hoc autem efficiendum, oportet illam charitatis calore foveri, & ut ita dicam, vivificari; dicente Apostolo illam veram esse fidem, *Quæ per charitatem operatur*: illud, *operatur* in sensu passivo accipiendum, prout etiam illud intelligitur; *Mysterium operatur iniquitatis*, id est, *in actum deducitur*, ut doctissimi expositores id explicant: alioquin charitas, omnium virtutum regina, fidei pro instrumento inserviret, quod non est dicendum. Sed fides hoc modo à charitate inflammata, quos morbos non sanat? Contra superbiam remedia edocet dicens: *Qui se exaltaverit, humiliabitur.* Avaritiam fugat thesauros cælestes promittendo; *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Libidinem removet docens puritatem cordis necessariam, ad Deum videndum; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Omnes denique animæ nostræ infirmitates curat; meritò ergò dixit S. Paulus Apostolus; *Sani in fide*, id est *per fidem.* Si verò quispiam salutem non recipit, inde est, quia opera ejus charitatis fervore non sunt succensa.

Prov. 15. 27

ad Galat. 5. 6.

2. Thessal. 2. 7.

Matt. 23. 12

Matt. 6. 20.

Matt. 5. 8.

ad Titum 1. 14.

Fides bona opera utilia reddit.

15. Sexta vivi luminis excellētia est, maturos reddere fructus, & frumenta, illisque bonum tribuere saporem; experientiâ quippe constat, fructus sub umbra provenientes, aut non maturare, aut ingrato sapore præditos esse. Pari modo vivum fidei lumen efficit; *Sine fide enim impossibile est placere Deo*: hac luce privatos, impossibile est bona opera producere. Lex antiqua, licet aliquod haberet lumen, & bona quidem esset, plena tamen erat umbris: *Vmbram habet lex futurorum*; nullos fructus ad maturitatem

ad Hebr. 11. 6.

ad Hebr. 10. 1.

turitatem perducere poterat: *Nihil ad perfectum adduxit lex* teste Apostolo. Gentiles quoque licèt variis viderentur ornari virtutibus; verâ tamen fide privati, nec perfectas virtutes possidere poterant teste S. Augustino: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum, sine summo bono, ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Hoc S. Augustini dictum in illa Philosophorum sententia fundatum, quod *Primum in unoquoque genere, est causa cæterorum.* Deus cùm sit summum & optimum bonum, erit omnium bonorum causa, ac proinde absque illo nil poterit dici bonũ. Cumq; sit prima veritas, & illa nobis per fidem non fuerit communicata; omnes virtutes falsæ, & cuncta bona in nobis fallacia erunt.

ad Hebr. 7. 19.

S. August. lib. senten.

Fides nos in altum elevat.

16. Septima excellentia luminis vivi est, vapores è terra elevare, unde postmodum omnia Metheorologica formãtur. Pari modo fides, nos omnes, qui nil aliud quàm vapores sumus, teste S. Jacobo Apostolo; *Vapor est ad modicum parens,* à terra sublevat ad conspectum divinum; dicente S. Paulo. *Habemus accessum per fidem in gratiam istam,* & alibi; *credere enim oportet accedentem ad Deum*: sine fide quippe non patet accessus ad Deum. S. Augustinus acutè notat, S. Matthæum de Centurione dixisse; *Accessit ad eum centurio*: Licèt S. Lucas dicat illum non venisse, sed amicos misisse. S. Matthæus autem id dixit non solùm quia; *Qui per alium facit, per se facere dicitur;* sed quia nobis exhibere voluit, Christum per fidem magis Centurioni appropinquasse, quàm mandata ejus per amicos allata; sic enim inquit S. Augustinus: *Quia fidem Centurionis, quâ verè acceditur ad Iesum, ipse ita laudavit; ipsum potiùs accessisse ad Iesum, dicere voluit prudens Evangelista, quàm illos per quos verba sua miserat.* Per fidem ergo ad Deum elevamur, sicut per spem appropinquamus, & per charitatem ipsi conjungimur.

Jacob. 4. 15

ad Rom. 5. 2.

ad Hebr. 11. 6.

Matt. 8. 5.

Fides eloquentes reddit.

17. Octava vivi luminis excellentia, à statua Memnonis fingitur, quæ radio solari illustrata, loquebatur. Veriùs tamen hoc fidei attribui potest, teste Psalmista, de seipso dicente: *Credidi*, ecce radius solaris eum illuminans, & subitò locutio secuta est; *propter quod locutus sum.* S. Paulus quoque idipsum testabatur dicens: *Corde creditur ad justitiam*, ecce radius illustrans; *Ore autem confessio fit ad salutem.* Ecce loquela. E contrà rectè dici potest, fide carentem, mutum esse, nescit quippe de Deo loqui, nescit orare, sicut à naturali lumine intellectus loquela dependet, ideoque animalia eo carentia, etiam loquelâ carent: pari modo à fide quæ

Psal. 115. 1.

Rom. 10. 10

 supra

supra naturale lumen, à quo intellectus noster ad invisibilia intelligenda elevatur, rerum divinarum locutio dependet.

Fides cuncta ad Deum reflectit. 18. Nona denique vivi luminis excellentia est; ab objecto ad principium suum reflectere, sed lumen mortuum non reflectit. Pari modo fides cuncta ad Deum reflectit; omnia siquidem à Deo recognoscens, ad Dei gloriam, iterum ordinat, Prophetâ regio dicente: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (Psal. 113. 9.) Lumen scientiæ non se reflectit, sed in subjectum proprium rediens, illud inflat, teste Apostolo: *Scientia inflat.* (1. Cor. 8. 1.) S. Augustinus insignem notat differentiam, inter veros fideles, & hæreticos, hi nullam gloriam sed dedecus Deo attribuunt; illi autem maximè eum glorificant: *Quomodo*, inquit, *clarificant Deum, qui dicunt per orbem terrarum impleri non posse ejus promissa: aut quomodo non spernunt Deum, qui baptismum ejus incredibili temeritate impietatis exsufflant?* (S. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani.) Postea verò de Catholicis ait: *Quomodo Catholici non clarificant Deum, qui promissa ejus multis hominum sceleribus impediri non posse confidunt? Qui Sacramenta ejus tam debita veneratione prosequuntur, ut ea, si etiam ab indignis tractata fuerint, illis suâ perversitate damnatis, illa intemeratâ sanctitate permanere demonstrent?*

19. Ingens ergo bonum est fides, secumque plurima trahit. *Fides vexillum militum Christi.* In exercitu signa & vexilla reperta fuêre, ut singuli scirent, quò se recipere deberent; illa autem derelinquere, semper dedecus æstimatum fuit. Virtutes militum instar, insignem componunt exercitum; in Canticis de anima virtutibus prædita dicitur; *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* (Cant. 7. 1.) & postmodum de ea dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: (Cant. 6. 9.) ob plurimas virtutes collectas. Hoc virtutum exercitu, regnum cælorum intercipitur, quia *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (Matt. 11. 12.) Sed quis ejus vexillifer? Fides, dicente Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* (Psal. 4. 7.) & juxta aliam versionem; *Erectum est super nos tamquam vexillum lumen vultus tui Domine.* Hoc lumen, ut ante dixi, est lumen fidei, ipsa ergo vexillum gestat, ideoque ad illam omnes milites concurrunt. Bonus miles non quærit quò vadat, sed sequitur vexillum; sicque omnes virtutes, sequuntur fidem. S. Paulus de Abrahamo ut bono milite loquens dicit illum hoc præclarè executum fuisse: *Fide*, inquit, *exivit Abraham, nesciens quò iret.* (ad Hebr. 11. 8.) Quasi diceret, Abraham ut rectus, & obediens miles vexillum ducis sui secutus est absque eo quòd sciret, quò iret: sed tantùm fidei vexillum sequens. Ex hac præeminentia,

justificatio,

justificatio, sanctitas, & cuncta merita fidei attribuuntur; non quod illa sola sufficiat, ut stolidè hæretici asserunt, sed quia sub ejus vexillo cunctæ aliæ virtutes reperiuntur. Nec novum quid est effectus integri exercitus vexillo tribuere, sic enim Jeremias
Jerem. 35. 38. ait: *Desolata est terra, à facie iræ columbæ*: ab exercitu nempe, qui in vexillis signum columbæ gerebat; quales erant Assyrii qui in memoriam reginæ Semiramidis illam gerebant. Pari modo Je-
Jerem, 1.13 remias se videre inquit, *Ollam succensam & facies ejus, à facie Aquilonis*: per quam intelligebat exercitum Chaldæorum, ignem in vexillis portantem, di-
Ibid. 14. citque; *Ab Aquilone pandetur omne malum*. E contrà verò cuncta mala incredulitati, & exiguæ fidei adscribi solent; sic Abraham diviti Epuloni illum precanti ut Lazarum ad fratres suos mitte-
Luc.16.31. ret, respondit: *Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*: ostendens peccata illorum ex incredulitate, & mala fide provenire.

Per fidem Deus nos possidet.

20. Civitate aliquâ interceptâ, subitò vexillum in muris ejus exponitur, in signum possessionis; pari modo Deus per fidem possessionem nostri accipit. Audite Davidem id egregiè
Psal.134.4. dicentem: *Iacob elegit sibi Dominus, & Israel in possessionem sibi*:
Ibid. 5. sed unde hoc noscis? *Quia ego cognovi quòd magnus est Dominus*; quia vexillum ejus supra nos est, cognitio nempe fidei ejus. Alibi quoque ait: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*, ibi Psal. 75. 2.
nempe est cognitio fidei divinæ, dicit ergò Deum ibi esse, ipsumque illos possidere; ut consequẽter ait: *Factus est in pace locus ejus*, in Jerusalem nempe, quæ Ibid. 3.
visio pacis dicitur; *Et habitatio ejus in Sion*. Absque charitate, gratiâ divinâ privatus, ex populo tamen & ovili Dei es; sed fide deperditâ, ab ovili, & Ecclesia ejus deperderis, nec ovis ejus dici mereris. Nec fides solùm efficit, quòd à Deo possidearis, verùm etiam quòd tu possideas Deum. Uxor, & maritus, se mutuò possident; *Dilectus meus mihi, & ego illi*, dicebat sponsa in Cant. 2. 16.
Canticis. Fides autem hoc sponsalitium perficit; *Sponsabo te mihi in fide* dicit Dominus per Pro- Oseæ 2. 20.
phetam suum; ideoque credentibus nuptiæ cælestes promittuntur; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*: peccatum Marc. 16. 16
verò contra fidem vocatur adulterium; *Generatio mala, & adultera signum quærit*, dixit Dominus de falsis Judæis. Matt. 12. 39.

Quid fides tribulatis præstat?

21. Negari ergò non potest, fidem ingentem thesaurum esse, sed quid illi cum tribulatione? Quin imò sicut cunctis hominibus difficilis videtur nostra fides, propter supranaturalia credenda, quantò magis videbitur

bitur afflictis? non exiguum quippe apparet bonum afflictum cum patientia non fidem perdere. In Valerio Maximo me legisse recordor, de Tuccia virgine Vestale, quæ matri Deorum dedicata, sub gravi pœna ad castitatem colendam obligata erat; quia verò vanè ornata incedebat, in suspicionem venit violatæ virginitatis, quam ut inviolatam exhiberet, cribro ex Tiberi aquas hausit, illudque implens ad templũ Deæ Vestæ tulit, absque ulla effusione. Sive autem hoc diabolicum, aut divinum miraculum fuerit, quo Deus virginitatem decorare voluerit, admirandum prodigium exstitit. Simile certè dicite illud esse, quòd homo afflictus in fide firmus permaneat. Natura siquidem fragilis semper instar aquæ ad ima tendit; *Omnes sicut aquæ dilabimur*: dixit Sapiens mulier Davidi regi. Quid est tentatio fidei? Cribrum commotum, sicut enim hoc frumentũ probat, & examinat; sic fides veros fideles: unde dicebat S. Paulus; *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, salvi fiant.* Clariùs quoque Salvator idem affirmabat, dum prævidens diabolum discipulos suos in discessu suo tentaturos, dixit S. Petro: *Simon, Simon ecce satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hominem ergò instar aquæ fluidum, in hoc tribulationis cribro firmum manere, nec undique concuti, aut dejici, summoperè mirandum, & divinæ manus subsidium implorandum, ideoque Christus ait, se rogasse pro Petro ne deficeret fides ejus. Cùm Salvator miracula ordinaria patraret, auctoritate sua peragere videbatur, absque alia requisitione, dum verò extraordinaria patrare cuperet ut dum Lazarum à mortuis resuscitare vellet, patrem cælestem precabatur; ut sciremus ergò ne Petrus in magna afflictione fidem perderet, ex majoribus esse miraculis, voluit Christus ostendere, se patrem ad hoc rogasse.

Fides afflictum corroborat.

2. Reg. 14. 14.

1. Cor. 11. 19.

Luc. 22, 31.

22. Clariùs idem probatur, impossibile videtur aliquem posse fidem servare, qui verba factis contraria exhibet; *Fides,* inquit S. Augustinus dicitur, *ab eo quod fit id quod dicitur.* Quomodo ergò afflictus Deo fidem adhibebit? si ejus facta verbis, & promissis sint contraria? nónne siquidem Deus magnam felicitatem justis promisit? omnes scripturæ id plenè testantur, nónne iniquis plurima mala cominatus est? verissimum est. Nónne sæpissimè dixit se exauditurum preces nostras, maximè tribulationis tempore: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me?* Modò omninò contrarium accidit, ut afflictus experitur; cùm enim se innocentem

Quomodo Deus fidem servet afflictis.

Psal. 49. 15.

centem & justum æstimet (nullus siquidem meritò se pati asseret) se tamen adeò videt miserè afflictum, & malos in prosperitate constitutos, ut quantumvis Deum pro liberatione precetur, nullum tamen sentit adjutorium, quomodo igitur in fide constans manebit? Hæc tentatio adeò Davidem afflixit,
Psalm. 72. 2. ut diceret: *Mei autem pæne moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei, pacem peccatorum videns*; De
Ibid. 11. illis autem quid dixit: *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Quomodo Deus tribulationem nostram aspicere, & patienter sustinere potest? si verò justos & servos suos afflictos videns, non liberat; ideò est, quia non potest, vel quia non vult; si non possit debilis & impotens est; si nolit, non est bonus, nec consequenter Deus. Quàm ergò difficile videtur, afflictum in tribulatione firmum manere?

Tribulatio fidei utilissima.

23. His tamen non obstantibus, si tribulationem meliùs consideraveritis, reperietis illam ad fidem acquirendam & conservandam optimum esse medium. In primis siquidem quomodo fides acquiritur? per au-
Rom. 10. 17. ditum: *Fides ex auditu*, inquit Apostolus. Dum aliquem non auscultantem, aut dormientem alloqui cupis, quid efficis ut te audiat? illum trahis & percutis; sic Angelus S. Petrum in carcere dormientem alloqui cupiens, illum percussit: *Percussoq́ latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter.* Act. 12. 7. Pari modo Deus nobiscum agit, sæpiùs vociferatur & clamat, ut nos excitet: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat voces suas.* Proverb. 1. 20. Homines illam audire renuentes, percussiones & tribulationes adjungit: *Ego sto ad ostium, & pulso*; Apoc. 3. 20. *pulsat* (inquit S. Gregorius) *cùm per ægritudinem mortem esse vicinam denuntiat.* Ita sponsæ suæ primò dicebat: *Aperi mihi soror mea*; Cantic. 5. 2. noluit illa audire, unde percussit eam, de qua illa ait: *Venter meus intremuit ad tactum ejus.* Ibid. 4. Tuncque surgens aperuit illi. Athenienses idipsum rectè exercuerunt, referente siquidem Oecumenio, in gravissima tribulatione ad diversos Deos recurrerunt; ad Jovem, Martem, Minervam, aliosque; sed in vanum semper. Æstimantes tandem Deum aliquem ignotum esse qui ipsis hoc malum intulerat, altare ipsi statuere decreverunt hac additâ inscriptione: *Ignoto Deo*; & subitò pestilentia cessavit. Ab hoc altari S. Paulus occasionem sumpsit illis fidem prædicandi, dicens: *Quòd ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Actor. 17. 23. A percussione ergò tribulationis Athenienses commoti fuêre, Deum verum quærendi, ipsique altare erigendi.

24. Dico insuper, nónne sæpè

Deus nos tribulatione ad fidem adigit. vidiſtis, quomodo canis homini obedit; dicendo erige te ſuper pedes, ſubitò ſe erigit; dicendo verte, aut ſalta, ſubitò hoc peragit; cuncta denique imperata exſequitur; ſed quomodo? quia magiſter virgam manu tenet, quâ canis ſæpiùs exceptus eſt, unde illam videndo, verberum recordatur, ſicque promptè obedit. Idem Deus nobiſcum efficit, vult ſibi obediri, vult fidem ſuam à nobis ſuſcipi; ſi vox ſola non ſufficit, virgam tribulationis arripit, & ſubitò obtinet quod deſiderat. Iſaias refert Aſſyriorum Regem alioquin Gentilem, divinæ voci obedientem fuiſſe; rationem autem aſſignans, ait eum virgâ percuſſum
Iſai. 30. 31. fuiſſe: *A voce Domini pavebit, Aſſur virgâ percuſſus.* Non audebit replicare aut reſiſtere; quia virgam Domini expertus eſt. Quando voci adjunguntur verbera, licèt vox ſola audiatur, ſubitò tamen canis trepidat, putans verbera ſequutura. Hoc Iſaias indicare videtur, dicens: *A voce Domini pavebit Aſſur, virgâ percuſſus.* Quia ſolet percuti à Domino, ideo voce ejus auditâ, ſubitò tremit.

Tribulatio ſummè attentum reddit. 25. Ampliùs dico, non ſolùm vox Dei tribulationem indicat, verùm etiam ſola labiorum apertio; tribulatio ſiquidem vocem adeò claram habet, ut quantumvis ſubmiſſa fuerit, ab afflicto percipiatur. Iſaias Propheta hoc egregiè notat, dicens: *In tribulatione murmuris doctrina tua.* Iſai. 26. 16. Quid per hoc indicare volebat? S. Jeronymus ait tribulationē adeò fore magnā, ut vocem elevare non poſſit, ſed vix gemet murmurando. Septuaginta è contrà legunt: *In tribulatione parva doctrina tua.* Sed textus Hebræus propriè habet: *In tribulatione muſſitatio doctrina tua.* In tribulatione nempe te docere, non multâ loquutione opus erit, ſed os aperire ſufficiet. Nec afflictus ſolùm bono prævalet auditu, verùm etiam tempus illi favet; nocte multò meliùs vocem uniuſcujuſque audimus, quàm de die; omnia ſiquidem non minùs profundo ſilentio, quàm tenebris ſepulta ſunt, teſte Sapiente: *Cùm enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus venit.* Sap. 18. 14. Et alibi ait: *Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Pſalm. 21. 3. Idem quoque de tempore tribulationis affirmari poterit; illa etenim animam quaſi tenebris cooperit, omneſque ejus appetitus & paſſiones refrænat, ut vox divina meliùs intonet; unde etiam nox vocatur, teſte Propheta regio: *Probaſti Domine cor meum, & viſitaſti nocte.* Pſalm. 16. 3. Nil mirum ergò faciliùs in hac nocte nos vocem divinam auſcultare.

26. Dico

Tribulatio vox divina.

26. Dico insuper, tribulationem ipsam vocem divinam esse, quam fides nos edocet; ostendens quomodo à Deo in cunctis operibus dependentes nihil absque ejus voluntate boni possidere possimus. Optimè hoc intelligebat Propheta David, ideoque confitebatur
Psal. 15. 2. Domino, dicens: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et S. Jeronymus vertit: *Quoniam non est mihi bene sine te.* Cognoscendo ergò Deum bonis nostris non indigere, nosq; nihil absque illo posse habere (quod per tribulationem experimur) cognoscimus illum verum Deum esse. Inter plurima exempla quę ad hoc propositum adduci possent, præclarum est illud Tullii Hostilii tertii Romanorum Regis, audacis, & totius cultus Deorum contemptoris; qui infirmitate oppressus, ad sacrificia Deorum omninò conversus, se plurimùm illis commendabat; quod falsis Diis exhibebat, quia verum Deum ignorabat. Et quotidie experientiâ patet, tribulationem cunctos incitare, ut verum Deum in-
Oseæ 6. 1. quirant, dicente Prophetâ: *In tribulatione sua mane consurgent ad me.*

Ad fidem etiam voluntas concurrit.

27. Adjungamus quoque, ad fidem habendam, non solùm intellectum, verùm etiam voluntatem concurrere; cùm enim fides evidentiâ careat, oportet voluntatem intellectum ad credendum inclinare. Tribulatio autem utrique succurrit, intellectum illuminans, & voluntatem nostram ad fidem accendens. Quantùm ad intellectum, non solùm illum ad divinam voluntatem promptè percipiendam disponit; verùm etiam cuncta impedimenta rerum terrenarum aufert, ne fidei lumen offuscent. In lucernis vel candelis si elychnium est nimis longum, lumen impedit, unde emunctorio præcisum clariùs lucet. Quid est homo? lucerna est: *Ne extinguas lucernam Israël*, dictum est 2. Reg. 21. 17.
Davidi; ne videlicet te vitæ periculo exponas. S. Job etiam ait: *Quare misero data est lux?* Job 3. 20.
Deus hanc lucernam illuminat: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joann. 1. 9. Quis lucernam offuscat? res mundanæ: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*; Et: *obscuratum est insipiens cor eorum.* Hîc tribulatio advenit, quæ emunctorii instar superfluum elychnium tollens; commoditates nimirum, & superfluas divitias auferens, lumen fidei clariùs in lucerna splendere efficit. David hoc optimè intelligens, dicebat: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut* Psalm. 118. 71.
discam justificationes tuas. Nisi humiliatus & afflictus fuissem, non adeò bene præcepta tua observassem.

vassem. Hujus rei præclarum habemus figuratum exemplum in arbore illa, Nabuchodonosori exhibita, de qua dictũ fuit: *Præscindite ramos ejus*; nimiùm quippe excrevit, & seipsum impedit; ad quem verò finem hi rami præscindendi? ut meliùs crescat? nequaquam, sed ut humilietur: *Donec sciat quòd dominetur excelsus super regnum hominum.* Voluptates denique, & divitiæ, ut spinæ sunt suffocantes verbum Dei, ut nullum in nobis fructum producat; tribulatio autem instar falcis illas præscindentis.

Dan. 4. 11.

Ibid. 22.

Afflictus voluntatem fidei accommodat.

28. Quid de voluntate modò dicam? singuli quod sibi prodest, libenter credunt; afflicto nil magis, quàm fides nostra prodest. Diogenes morti vicinus, facie ad terram versus sepeliri voluit; cumque hujus rei causam sciscitarentur, respondit; quia cuncta citò subvertenda conspicio, unde si facie versus terram jacuero, exiguo peracto tempore versus cœlum convertar. Quid fides nos edocet? cuncta subvertenda: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi: Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc hic consolatur, tu verò cruciaris.* Afflicti quomodo hîc jacent? facie versus terram omninò derelicti, & despecti, teste Davide: *Conglutinatus est in terra venter noster.* Et: *Conculcaverunt me inimici mei.*

Matth. 20. 16.
Lucæ 16. 25.
Psal. 43. 25.
Psal. 55. 3.

Quod ergò meliùs illis nuntium adferri potest, quàm fides nostra, quæ cuncta subvertenda docet? Hoc nuntio S. Job in tantis tribulationibus suis consolabatur, dicens: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* S. Paulus quoque id rectè cognoscens, dicebat: *Si in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; Quasi diceret, væ nobis, si alia vita non superesset, nec fides nos doceret, futuram meliorem reperiri, sic enim cunctis essemus miserabiliores.

Job 14. 14.
1. Corint. 15. 19.

Fides afflictis multùm prodest.

29. Dico insuper, in hac vita afflictis fidem prodesse; in aliis quippe religionibus afflicti ut iniqui & perversi habentur; tamquam à Deo persequuti, & odio habiti. Melitẽses tunc Gentiles, videntes S. Paulum à vipera morsum fuisse, illum scelestum esse judicabant. Socii Jonæ validam advertentes tempestatem, argumentabantur malignum quempiam inter illos esse debere. Fides verò nostra honori afflictorum consulens, tribulationes non semper ob vindictam peccatorum à Deo infligi, sed quandoque charioribus Dei amicis ad probationem, aut purgationem immitti docet. Consolatur quoq; fides, quia Deum misericordem & clementem prædicat, qui illos hîc exercens, in cœlis maxima disponit

disponit præmia, & cuncta hîc avertit mala. Hæc non solùm SS. martyrum exemplis, verùm etiam divinâ miseratione ostendens, qui in tantum pro nobis affligi voluit, & tot pro nobis sustinere dolores.

Fides refugium afflictorum. 30. Cùm Romulus civitatem Romanam conderet, asylum, & refugium afflictorum constituit, pro iis qui patriæ exules, debitis gravati, aut afflicti fuissent. Pari modo videtur Deus in fide nostrum fortissimum constituisse asylum; in illa siquidem cuncti afflicti consolationes, auxilia, & munitiones contra cuncta irruentia percipiunt. David quoque afflictione suâ Saulem fugiens, omnes variis tribulationibus oppressos ad se recepit & pro-
1. Reg. 22. 2. texit, dicente Scripturâ: *Convenerunt omnes qui erant amaro animo, aut ære alieno oppressi.* Christus Davidem imitatus videtur, cùm teste Gabriele Archangelo in domo Jacob regnare deberet, & accipere sedem David; omnes afflictos & miseros ad se convocabat, illisque bene faciebat; unde Pharisæi indi-
Joan. 7. 48. gnati dicebant: *Numquid ex Principibus aliquis in eum credidit; sed turba hæc maledicta.* Salvator quoque id ipsum in Evangelio
Matt. 11. 5. ait: *Pauperes evangelizantur.* Quasi lætum nuntium Joanni mitteret, quòd afflictis & pauperibus consolatio & salus fieret. Mercatores eò merces suas deferunt, ubi melius pretium se percepturos cognoscunt; sed quò afflicti & miseri confluent nisi ad fidem nostram, in qua sola ipsis optimum pretium pro tribulatione promittitur? ubi teste Apostolo: *Momentaneum* 2. Corinth.
& leve tribulationis nostræ, æternum 4. 17.
gloriæ pondus operatur in cœlis? Ad hanc ergò fidem non dubitetis accedere, ut auxilium & consolationem bonam recipiatis.

31. Optimè hoc intellexit *Fides afflictus subvenit.* S. Franciscus, cui cùm frater ejus secundùm carnem, sed non secundùm spiritum ridendo dixisset, si guttam sudoris sui vendere vellet; respondit se caro pretio jamdudum universum Regi cœlorum vendidisse. Fides nostra insuper afflictis favet, quia summopere misericordiam & charitatem in pauperes & miseros commendat. Ingentia promittens præmia qui illis in aliquo proderunt, aut eleemosynis succurrent, quod vix apud aliquos effectum reperimus; nullibi ita pauperes excipiuntur quàm à Christianis. Exhibete vos igitur tales factis, & bonâ eleemosynâ, quales nomine esse desideratis.

SECUNDA PARS.

Afflictus patiens multa bona reponit. 32. Tanta est amicitia, & cognatio inter fidē & afflictos, ut non

ut non modò fides plurimùm tribulatis prosit; verùm etiam tribulatio fidei multùm conferat. Qui plurimos divites alicui particulari multa bona committere vident; argumentantur illum fidelem valde esse debere. Afflicti patientes quid agunt? Deo omnia sua committunt, illi serviunt, obediunt, illisque sufficiunt, quæ Deus elargiri dignatur; nullam in hac vita mercedem, sed in futura sperantes. Nolunt ergò in hac vita plenam recipere solutionem, sed fidei ipsius committunt; Deum fidelem agnoscentes, & dignum cui cuncta nostra credamus. Qui pro Deo vitam suam exponunt, titulo martyrum decorantur, quasi testimonium perhibentes; quia ingens præstat testimonium fidei nostræ, cùm pro illâ vitam propriam, quæ res omnium charissima, exponere non dubitent, meliorem in futuro præstolantes. Qui pecuniam in censum ditissimo viro tribuit, non illam recipere festinat; scit quippe quantò magis tardat repetere, tantò plus recipiet. Pari modo qui Deo sua tribuit, non illa sibi reddi acceleret, quantò enim magis tardaverit, tantò abundantiùs retribuetur. Propheta Isaias id optimè asserebat, dicens: *Qui crediderit, non* Isai. 28. 16. *festinet.* Qui bona sua Deo commiserit, non opus est ut citò repetat, quia nullum amissionis periculum incurret; quia si hîc non statim persolvat, in alia vita centuplum restituet: *Mensuram plenam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Lucæ 6. 38. Et: *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. 19. 29.

Bonos affligi ingens fidei argumentum.

33. Efficax insuper fidei nostræ argumentum est, bonos in hac vita afflictos conspici; fides siquidem nos docet judicium universale futurum, in quo reddetur unicuique juxta opera ejus; Deum quoque in alia vita præmia bonis, & castigationes malis reservare. Cùm ergò in hac non videmus omnibus æqualiter, & præmia meritis, & peccatis castigationes distribui, dicendum est in futura vita id ipsum reservari. Dices fortassis hoc bene procedere quantùm ad tribulationem bonorum, sed quid de afflictione malorum dicemus? non minus hanc, quàm illam fidei nostræ firmissimum argumentum esse; quia effectus divinæ justitiæ est. Dii Gentium scelesti erant, unde ab illis malorum punitiones prodire, dici poterat. Sed Deus noster summè bonus & sanctus est, ideo illi peccata & peccatores displicent: *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Sap. 14. 9. Atque ita videndo malos affligi & puniri, argumentamur, Deum scelera eorum cognoscere, & justum esse

judicem.

judicem. Propheta David id optimè cognoscens, dicebat: *Manè astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.* Videbo, inquit, quòd sit Deus iniquitates abominans & puniens; non quia oculis suis Deum conspicere poterat, sed ex effectibus cognoscam, eò quòd peccata puniri videro. Psalm. 5. 5.

Tribulatio à malis defendit.

34. Quid modò dicitis, quibus tribulatio fidei prodesse non videtur? tentationem fidei cribrum esse, nos verò aquam? naturaliter loquendo verum est; sed per Dei gratiam frumentum sumus, teste S. Ignatio martyre: *Frumentum Christi sum.* Eoque cribro purificamur & separamur à palea malorum; de quibus S. Joannes dicebat: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Sicut dum granum ventilatur, immunditia excidit, quia granum non est. Quid dicitis? ingens miraculum esse afflictum in tribulatione constantem in fide manere. Respondeo ad gravem quamlibet tentationem sufferendam particulari gratiâ Dei opus esse, quantùm verò ad fidei abnegationem, magis inclinari homines in prosperitate, quàm in adversitate. Salomon hujus rei insigne præbebit testimonium, non exemplo solùm, quia in prosperitate nimia ad idololatriam deflexit; verùm etiam verbis à Spiritu sancto dictatis: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.* Pericula postmodùm utriusque allegans, quantùm ad divitias, ait: *Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus.* Quantùm verò ad paupertatem, ait: *Aut egestate compulsus, furer, & perjurem nomen Dei mei.* Ubi patet in prosperitate, non autem in adversitate abnegationem fidei imminere. 1. Joann. 2. 19. Proverb. 30. 8. Ibidem. Ibidem.

Voluptas & libido fidei contraria.

35. Sapiens quoque ejusdem opinionis esse videtur, dicit enim apertè: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Quasi diceret, gula & libido à Deo avocant; quia teste Osea: *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Non mirum ergò, si homo corde privatus, in graves errores cadat. S. Paulus quoque idem affirmat, Galatis scribens: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt luxaria, idolorum servitus.* Sed idololatria nónne infidelitas? & infidelitas nónne error intellectus? quomodo ergò Apostolus carni adscribit? rectè quidem; quia carnis voluptates hominem ad veram fidem negãdam, & varia idola adoranda conducunt. Hoc clarè in populo Israëlitico patet, qui nimiâ escâ saginatus, & carnis voluptatibus seductus, ad idololatriam, & veri Dei abnegationem conversus est; de quo sacra Eccli. 19. 2. Oseæ 4. 11. Ad Galat. 5. 19.

Exod. 32. 6. pagina refert: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Meritò proinde S. Ambrosius: *Vidimus sacrilegium ebrietati fuisse conjunctum, nam sicut mater fidei continentia, ita perfidiæ mater ebrietas est.* (S Ambros. lib. de Elia cap. 12.)

Fides & virginitas idem esse videntur.

36. Ex eo igitur quod luxuria ita fidei opponitur; adeò convenienter sacra Scriptura de fide & virginitate loquitur, ut idem esse videatur. Non solùm quippe infidelitatis & idololatriæ peccatum adulterium vocatur; verùm etiam fidei & virginitatis violatio, eodem nomine exprimitur: *Generatio mala & adultera signum quærit*; inquit Salvator Pharisæis; per adulteram, infidelem intelligens; quia ab infidelitate proveniebat miracula quærere. Osee quoque de populo Israëlitico ad idola converso loquens, dicebat: *Auferat adulteria de medio uberum suorum.* Jeremias quoque idololatras increpans, ait: *Sub omni ligno frondoso prosternabaris meretrix.* Sub omni nempe arbore condensa altare erigebas, & idola adorabas. Similibus loquendi modis sacra Scriptura repleta est. Sub nomine quoq; virginitatis S. Paulus fidem intellexit, dum Corinthiis scribens, ait: *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Credibile siquidem non est, Corinthi omnes fuisse virgines, licèt quoque ita fuisset, putandum non est, Apostolum noluisse aliquem uxorem accipere; per virginem ergò fidelem intelligit. Jeremias quoque idem dicere videtur: *Amodo voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* E contra autem Apostolus ait: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; per quod adulterium intelligit. Pro eadem ergò re sacri Scriptores fidem & virginitatem accipiunt.

(Matt. 12. 39. — Oseæ 2. 2. — Jerem. 2. 20. — 2. Corint. 11. 2. — Jerem. 3. 4. — 1. ad Tit. 5. 12.)

Fides & virginitas sibi similes.

37. Sed quid fidei cum virginitate, cùm illa ad animam, hæc ad corpus pertineat? an quia vera fides est integritas mentis, sicut virginitas integritas corporis. Ita ut dici possit, fidem esse mentis virginitatem; & virginitatem corporis fidelitatem: vel sicut mulier infamis nullam potest habere virtutem vel excellentiam, sic in anima fideli nulla virtus laude digna reperiri potest: vel sicut maximam injuriam sponso infert mulier non virgo; nec majus peccatum matrimonio oppositum, quàm adulterium. Sic anima non potest se conjungere Deo vero sponso, absq; fide; nec ullum peccatum nos magis separat à Deo quàm infidelitas. vel sicut delicatissima est virginitas, quæ etiam cogitatione illicita fœdatur, & deperdita numquam acquiritur; sic fides valde pretiosa, nec solùm non credendo, verùm etiam

dubitando

dubitando offenditur, & semel omissa, difficillimè recuperatur. Hæc cuncta bene procedunt; meo tamen proposito magis convenit, fidem ideò virginitati comparari, quia utrique gula, & ebrietas æquè contraria, & facillimè à peccato contra virginitatem, ad infidelitatem proceditur; unde patet quàm similis fidei virginitas.

Veritas socia castitatis.

38. S. Paulus Ephesiis scribens, ut contra insidias infernales se armarent, inter reliqua arma hæc eis assignat, ut lumbos in veritate succingerent: *Accipite* (inquit) *armaturam Dei, succincti lumbos vestros in veritate.* Quem locum S. Gregorius Nazianzenus considerans, ingeniosè dubitat, cur Apostolus lumbos veritati conjunxerit; cùm veritas ad intellectum pertineat, quæ pars superior animæ nostræ, & lumbi sint partes graviores, magisque terreni nostri corporis: *Quid lumbis* (inquit) *cum veritate commune?* Sed ecce responsum subitò adjungit, dicens; in lumbis concupiscentiam & sensualitatem designari, quæ veritati inimica, quia mentem excœcat; sicut è contrà castitas per cingulum lumborum intelligitur, quæ veritatis amica est, & extra fidem nostram non reperitur; ideoq; meritò Apostolus lumbis veritatem conjunxit, dicens: *Succincti lumbos vestros in veritate.* Ex his dictis clarissimè patet, in quanto periculo fidem amittendi versantur, qui in prosperitate & deliciis vivunt; à quo longissimè absunt qui in adversitate & afflictione degunt. Meritò ergò inquit S. Chrysostomus: *Virtus fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur.* Et Cassiodorus: *Tribulatio est, quæ semper dilatat Ecclesiam, quando eodem tempore confessores fiunt, martyres coronantur, totaq; turba justorum, contritionibus semper augetur.*

Ad Ephes. 6. 13.

S. Gregor. in orat. 2. in par.

Ubi suprà.

S.Chrysost. homil. 36.

Cassiodor. in Psal. 4.

Tribulationes justorum promissis divinis non contraria.

39. Quid dicitis tribulationes bonorum divinis promissis cõtrarias esse, & providentiæ divinæ de servis suis præjudicare? respondeo hoc argumento Gentiles tempore S. Augustini usos fuisse contra Ecclesiam, cui doctissimè & firmissimè satisfacit, in libro de civitate Dei. Breviter autem hîc vobis exponam; vel enim loquimur de promissis Testamenti veteris, vel novi. Quantùm ad vetus testamentum, verum est Deum ingentem bonorum temporalium copiam legem suam observantibus promisisse; sicque ordinariè fiebat. Voluit tamen amicis suis semper favorem aliquem præstare, illisque tribulationes immittere, ad majorem suam, eorumque gloriam: ita S. Job, & Tobiæ, aliisque evenire permisit. Si verò de Testamento novo loquamur, non reperie-

musDeum bona temporalia, sed æterna promisisse; hîc autem potiùs tribulationes & persecutiones prædixisse; & promissiones veteris Testamenti meliori modo adimplevisse, majora bona retribuens. S. Augustinus ait contra Deos Gentilium tribulationes immittentes licitè argumentandum erat, quia non aliter adorabantur quàm pro bònis temporalibus; non verò contra Deum nostrum ita procedendum, qui non bona temporalia, sed æterna promisit. Hinc aliud argumentum fidei nostræ corroborandæ colligere possumus; illam nimirum ab omnibus ferè amplecti, cùm tamen nullam prosperitatem, aut voluptatem temporalem promittat, imò sequacibus suis afflictiones & tribulationes prædicit.

Fides tribulationi consolationem præstat.

40. Ex prædictis fructus aliquos juxta morem colligere licebit, quorum primus erit major confirmatio, & radicatio in fide, & proposito nostro conveniens, non exigua in afflictionibus consolatio. Qui alto mari expositus, feris tempestatibus, & ventis agitatur, magnam procul dubio sentit afflictioné, qui verò ignorat quò navem dirigere debeat, & tempestate victus ventis se exponere cogitur, ingens perditionis periculum incurrit. Si tamen solers nauta sidera, & maris regiones observans, adsit, etiam in tenebris cognoscet cui terræ, aut portui vicinus, quosq; scopulos declinare oporteat; eoque cuncti roborati pericula evadere, & incolumes portum appellere sperant. Quod si insuper geminum conspiciant ignem, Castorem & Pollucem à Gentilibus putatum, certissimum futuræ serenitatis indicium concipiunt. Tribulatio quid est, nisi vastissimum & tempestuosum mare dicente Davide: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me?* Psal. 68. 3. Infideles huic mari expositi, nullam habent experientiam, nesciunt quò recurrere, vel navem patientiæ dirigere, quomodo desperationis scopulos declinare possint; unde plurimi illorum etiam sapientiâ præditi in tantam devenêre impatientiam, ut vitam sibi ipsis eriperent. Nos verò in hoc turbulento maris sinu experti, tribulationis ventos cognoscere, & ad quem finem nos dirigere possunt, quos murmurationis & desperationis scopulos declinare, & quomodo tandem igne divino nos illustrante tempestas cessabit, facillimè cognoscere possumus. Scitis autem quæ sit hæc ars navigandi? Scriptura sacra per fidem subministrata. Optimè hoc intelligebant Machabæi, ideoque post mortem quoque hujus rei testimoniũ exstare cupientes, in sepulchris naves sculpebant.

Fides tribulationi securitatem exhibet

Scriptura sacra afflictis solatium.

bant; quasi dicerent, hîc navis tribulationis nostrę portum appulit. Sed quis illos in tanta afflictione consolabatur? ars navigandi in Scriptura sacra, sic enim Lacedæmoniis scribentes, dicebant: *Nos quidem cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros.* Nec lumen illud salvificum deest, ipsum siquidem lumen fidei hoc officium præstat, de quo Propheta David dicebat: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod serenitatem & tranquillitatem promittit: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.*

2. Machab. 12, 9.

Psal. 4. 7.

Ibid. 9.

Fides ut scutum protegit.

41. Dico insuper, tantam debere esse in hoc fidei lumine confidentiam; ut licèt in mare caderes dum fides tibi adsit, timendum non foret. De Mirtillo generoso milite refertur, quòd dum in bello oppugnaretur, scuto se undique contra hostium insidias tuebatur; postmodùm verò navem conscendens, illâque disruptâ, submersus fuisset, nisi eodem scuto salvatus fuisset. Pari modo fides nobis proderit, & scutum erit, teste Apostolo: *In omnibus sumentes scutum fidei.* Hoc inimicum superabimus, juxta consilium S. Petri: *Adversarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Hoc scuto securè quodvis tribulationis mare transibimus; unde S. Paulus transitum maris rubri filiorum Israël, fidei adscribit, dicens: *Fide mare rubrum transierunt.* Omnibus denique periculis & malis fides prodest, ideoq; juxta Apostolicum dictum, in omnibus sumendum. Cùm S. Petrus quâdam vice maris undas calcaret, hoc scutum non fortiter sustinuit, ideoque dubitans submergi, clamare cœpit, & Salvator illi dicere debuit: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Spartano cuidam ad bella properanti mater scutum præbens, dicebat: *Aut cum hoc, aut in hoc.* Significare volens, illi scutum vitâ charius esse debere, ideoque cum hoc vivus domum regredi, aut in hoc mortuus deportari deberet. Nos verò ulteriùs procedendo dicere debemus: *Et cum hoc, & in hoc.* In vita nimirum, & morte, fides semper salva tenenda; tuncque æternam promerebimur coronam, dicente Deo per Apostolum suum Joannem: *Esto fidelis usque ad mortem, & accipies coronam vitæ.* Non propterea quoque bonorum operum gladius omittendus prout S. Paulus dicebat: *Stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini.* Quasi diceret, sinistrâ fortiter scutum fidei tenere, & dextrâ bonorum operum gladium vibrare.

Ad Ephes. 6. 16.

1. Pet. 5. 8.

Ad Hebr. 11. 29.

Matt. 14. 31.

Apoc. 2. 10.

1. Corint. 15. 58.

Fides horologium cœleste.

42. Ut horologium est fides nostra, sicut enim in terra positum, undique clausum, motum

tamen cœlorum indicat, & situm ſolis oſtendit; ita fides in corde humano clauſa, occultiora tamen cœli myſteria manifeſtat. Ut autem horologium exactum, & veridicum ſit, motus æqualis, & perfectus ipſi neceſſarius. Pari modo fides ex motu, & operatione viget, quia: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Sicut quoque horologium abſq; motu falsò horas indicat; pari modo Catholicus non rectè operando, facillimè in errores, & opiniones falſas incidit; vel ſi fidem retineat, otioſa & inutilis eſt. Quæ ergò occaſio nos in tribulatione impatientes, & debiles animo efficit? quia fortiter fidem noſtram non retinemus, ſed permittimus illam in nobis otioſam, & abſque motu eſſe. Cur ab inimicis noſtris frequenter devincimur, & dejicimur? quia ſcuto fidei nos non defendimus. Cur alacriter tribulationes non amplectimur? quia exigua in nobis reperitur fides. Credere cœlum eſſe, in illudque non niſi per tribulationem ingrediendum, poſtmodùm verò fugere, non bene convenit. Credere infernum peccatis deſtinatum, nec voluntariè tribulationes ſufferre, ut illud evitemus, non bene concordat. Credere æternam gloriam afflictis deſtinatam, nec velle affligi, non bene convenit. Confidite ergò, & firmâ fide conſtanter in hoc tribulationum pelago navigate fideles, & ſecurè ad portum ęternę ſalutis pervenietis; quod vobis Deus concedat. Amen.

Jac. 2. 20.



DISCVR-

DISCVRSVS XLIV.

Spes nostra in tribulatione reviviscens, ingentem afflictis consolationem præbet.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Mirabiles casus in reperiendis thesauris.

1. INgens fortuna hominibus æstimanda, agrum aut hortum possidere, pretioso thesauro ditatum; pro quo acquirendo nec sumptibus, nec labori parcitur. Ita experientiâ exceptâ, teste Salvatore, regnum cœlorum thesauro in agro abscondito comparatur: *Simile est regnum cœlorum thesauro in agro abscondito.* Mirabiles tamen casus illum quærentibus sæpius evenerunt. Fuit qui loco thesauri jam quasi habiti, laqueum reperit, quô præ desperatione vitam finivit; vitæ æternæ, & propriæ salutis thesauro deperdito. Alii loco auri & argenti, fœtida mortuorum reperêre cadavera, unde parum abfuit, quin similes efficerentur. Alii frequentissimè multis peractis laboribus, & ingenti fatigatione debiles redditi, absque ullo lucro cesserunt, perdentes thesaurum incomparabilem temporis, & salutis: ita de Pompæi militibus, circa Carthaginem fodientibus, refert Plutarchus. Præ omnibus tamen singularis fuit casus Darii Persarum Regis, qui Babyloniâ captâ, sepulchrum famosæ Semiramidis aperiri jussit, ubi loco thesauri ingentem reperit

Matth. 13, 44.

perit lapidem, hac inſcriptione ſignatum: *Quiſquis Rex pecuniis eguerit, apertô monumentô, quantùm voluerit capiat.* Ob hæc ergò promiſſa lætus effectus, lapidem ſubitò auferri jubens, loco theſauri, in alio lapidis latere hoc dictum reperit: *Ni vir malus eſſes, & pecuniâ inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos erueres.* Sicque duplici confuſione illuſus abiit.

Si theſaurus in tribulatione.

2. Sed quis ſcit an ſimile hodie nobis non accidet? ut horridum ſepulchrum, aut ager ſpinoſus tribulatio apparet; theſaurus in ea abſconditus, eſt ſumma utilitas in ea reperta: Apoc. 2.4. *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam;* inquit Joannes in Apocalypſi; ecce campus Ibidem. ingens; *Sed dives es;* Ecce theſaurus. Hiſce diebus hunc agrum effodere incipientes, gemmam reperimus pretioſam, fidē nempe; hodie autem aliam me reperturum confido, quia ſpem immediatè fidem ſequentem præ oculis habemus. Apoſtolus quoque nos confortat, dicens: Rom. 5.4. *Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò ſpem.* Sed quid ſibi vult, reperire ſpem? per hoc mihi indicari videtur, lapis à Dario repertus, qui in una parte ingentes promittebat theſauros indigenti; in alia verò parte avaritiam arguebat quæſitoris. Pari modo ſpes agere ſolet, magna in principio promittens dona, ſed in fine vacuis manibus clientes ſuos dimittens. Tobiæ ſeniori in tribulatione theſauros reperire ſperanti uxor exprobrabat, dicens: *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua.* Tob. 2, 22. Sed cur *vana?* vanus dicitur, levis & inconſtantis propoſiti. Pari modo ſpes cunctos decipit, dum ingentia oſtendens bona, ſed arripere cupienti ſubitò evaneſcunt. Antequam igitur tribulationis campum effodere aggrediamur; conſideremus parum ſi ſit hic theſaurus utilitate compenſandus; & ſi ſpes vera & realis, aut vana & falſa, nociva aut utilis alat mentem; ſi denique deſiderabile ſpem invenire, poſtea quoque videndum ſi in tribulatione vera ſpes reperienda.

Quid ſit deſiderium?

3. In primis certè apparet, ſpem non ſolùm deſiderabilem, verùm etiam licèt alii velint, deſiderari non poſſe. Quid ſiquidem eſt deſiderium? primogenitus amoris filius, in rem abſentem, poſſibilem ipſi judicatam tendens. Si amor quippe ignis æſtimatus, illud flamma eſt; ſi amor eſt pondus, illud motus ad centrum eſt; ſi amor eſt cor, deſiderium eſt cordis delectatio; ſi amor eſt radix, illud eſt truncus. Amor verſus præſentia & abſentia; deſiderium ſolùm verſus abſentia eſſe poteſt. Plato amorem nil aliud eſſe

esse affirmabat, quàm pulchritudinis desiderium, amorem pulchrum esse negabat; quod enim desideratur non possidetur; cùm amor igitur pulchritudinem desideret, illam possidere non potest. Sed hæc conditio, quòd non possideatur, poteritne de spe affirmari, ita ut quis reperiatur, qui illam non possideat? nequaquam, nullus siquidem est qui illam non possideat; si videas pauperem, mendicum, nudum, derelictum, afflictum, interrogesque illum, si aliquas possidet divitias, dicet non; si amicos, domum, famulos, vestimentum, aut cibos habeat, respondebit non: interroga si spem recipiendi habeat, omninò inquiet; aliàs non mendicaret: *Erit egeno spes*; ait S. Job. In diluvio universali cuncta perierunt, cuncta submersa fuerunt, paucis exceptis cum Noë in Arca reclusis. Spes autem anne submersa fuit? anne cum Noë in Arca reclusa? non lego illam cum Noë in Arcam intrasse; sed cuncta mortalia periisse videns, seque salvare cupiens, Arcæ deforis adhæsit, teste Sapiente: *Cùm perirent superbi gygantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, retinuit sæculo nomen necessitatis*. Universa inter homines divisa; hic divitias, ille honorem, iste sanitatem, ille pulchritudinem obtinet; non omnes servi, non omnes nobiles; non omnes sani, non omnes sunt infirmi; una tamen res omnibus cõmunis, spes nempe. Cùm Thales Milesius interrogaretur, quid magis in orbe commune? respondit spem communissimam esse; idem David affirmabat, dicens: *Oculi omnium in te sperant Domine*. Non singula singulis communia, alia quippe pueris, alia juvenibus, alia senibus congruunt, dicente Apostolo: *Quando factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. Unica tamen res singulis æquè congruit, spes nempe; illa juvenibus & senibus communis: *Spes mea ab uberibus matris meæ*; inquit Psalmista: *Et usque in senectam, & senium Deus ne derelinquas me*.

Spes cuique adest.

Job 5. 16.

Sap. 14. 6.

Cunctis singula divisa.

Psalm. 144. 15.

1. Corint. 13. 11.

Psal. 20. 10.

Psal. 71. 18.

4. De Philosopho Rhodio nuncupato refert Plutarchus, quòd cùm in teterrimo carcere auribus & naso truncato gravissimis tormentis affligeretur, amici illi consuluerunt, ut sibi vitam tollendo finem his malis imponeret; quibus ille respondit, dum vita superest, spes melioris boni restat. Dæmon potentissimus & crudelissimus inimicus, patientem Job omnibus spoliaverat bonis, amicis, filiis, & sanitate, vix illi pellem relinquens, spem tamen numquam illi auferre poterat, unde patienter sustinens, dicebat: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Illam sinu conclusam retineo, nullus

Spes numquam amittitur.

Job. 19. 27.

nullus me illâ privare poterit. Navigantes in medio turbulenti maris, omnibus spoliati bonis quandoque remanent, spe tamen non orbati; infirmi à medicis sæpè relinquuntur; spem tamen sæpè retinent. Manibus, pedibusque ligati scelerati, in teterrimum projiciuntur carcerem, spes tamen liberationis illis continuò adest, donec in alto ligno ligati pendeant. Afflictus quoque spe consolationis armatus, alacriter sustinet; egregiè hoc declarat Poëta his verbis:

Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec spes huic venâ deficiente cadit;
Hæc facit ut videat cùm terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactat aquis.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens, in cruce vota facit.

5. Omnia denique spes alit & fovet, etiam teterrimam mortem, omnia devorantem & destruentem, melioris siquidem vitæ spem exhibens. Antiqui spem confractis telis manu tenentem fingebant, indicare volentes, cuncta spei subjacere. S. Job idem confirmat, dicens: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Corpus in sepulchrum spes comitatur: *Caro mea requiescet in spe.* Morte crudelius peccatum est, hominem bonis omnibus spolians, ideoque in latronibus illis figuratum, qui hominem in Jericho euntem spoliarunt, vulnerarunt, & nudum derelinquerunt. Non tamen spem illi auferre potuerunt. Gentiles licèt omnibus vitiis repleti, spem retinuerunt, teste Isaia: *In nomine ejus Gentes sperabunt*; prout S. Matthæus citat. Peccatum quoque originale quod tanta mala generi humano intulit, spem solam reliquit. Hesiodus refert, quòd cùm Dii vas omnibus bonis refertum, commendassent Pandoræ, illique præcepissent, ne aperiret illud; curiositate victa, scire volens quid intùs lateret, illud aperuit, sed cunctis subitò bonis ad cœlum convolantibus, spes sola extremitati vasis adhærens, mortales de bonis amissis consolata est. Si spes igitur cunctis adest, nec umquam amittitur, quomodo ut res desiderabilis, & per tribulationem acquirenda à nobis proponitur? insipiens esset ille mercator, qui merces suas eò deferret ubi earum ingens copia, nec aliquis iis indiget. Proverbium vetus exstitit: *Noctuas deferre Athenas*; ubi absque fructu abundabant. Nec minùs videretur insipiens, qui mortalibus spem promittere vellet, cùm universi eâ abundent.

Spes in morte, & post eam.

Job. 13. 15.

Psal. 15. 9.

Isai. 11.

Spes sola remanet.

6. Dices

6. Dices fortassis, tantum bonum est spes, ut licèt ejus sit ingens copia, semper tamen appetibilis est: omittédo tamen in rebus creatis abundantiam auferre desiderium; quia: *Anima saturata calcabit favum.* Dicam solummodo verum non esse, spem ingens bonum esse. Cùm aliquid vanum, nec ullius valoris esse dicere volumus, ordinariè dicimus, somnium est; sed quid creditis spem esse? non aliud quàm somnium, docente Aristotele: *Spes est vigilantium somnium.* Cùm quidam judicem interpelleret, pro solutione somnii decretum fuit, audire eum debere sonum pecuniarum, eoque habendi desiderio se pascere debere: *Vigilantium somnium*, dixit Aristoteles, quia nostro modo fictum, ut de amantibus dici solet: *Qui amant ipsi sibi somnia fingunt*; spem futurorum suo modo fingunt. Propheta David in persona Hebræorum id ipsum testatur, dicens: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Sed illúdne actum erat, aut speratum? speratum solummodo; sequitur enim: *Converte Domine captivitatem nostram.* Lætitia ergò somnii fuit; ideoq; alii ex Hebræo vertunt: *Facti sumus sicut somniantes.* Ut hoc autem intelligamus, videamus quid sit somnium; vana designatio in nostra imaginatione, talia sunt nostra desideria, imagines à nobis in mente formatæ. Propheta David aliquos describere cupiens, qui cuncta desiderata obtinebant, dixit: *Transierunt in affectum cordis.* In Hebræo habetur: *In picturas cordis.* Obtinebant nimirum, quidquid in mente fingebant.

Spes vanum somnium.

Prov. 27. 7.

Psal. 125. 1.

Ibidem 4.

Psal. 72. 7.

7. Parum hucusque dixisse videor, multò siquidem pejor spes somnio est, somnia quippe cuncta præsentia exhibentia nō affligunt; spes verò affligit animam, quia desiderata bona vicina quidem, sed absentia demonstrat. Hanc afflictionem Poëtæ, Tantali exemplò figurabant; qui ingenti siti ardens, limpidasque præterfluentes aquas ore haurire cupiens, numquam eas attingere poterat; nec famelicus cibos ori appositos arripere nequibat. Sapiens quoque id ipsum præclarè testatur, dicens: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Bona sperata propè videns, nec iis frui valens, maximam excitat afflictionem. Ut aliquid displicere nobis indicemus, dicere solemus, est sicut fumus in oculis; sed cur sicut fumus? quia cùm ignem accendis, primò consurgit fumus, quem flamma sequitur, ita ut fumus sit spes ignis, interim tamen assidentes affligit; ita spes quoque agit. Rectè hoc intellexit Alexander Severus Romanorum Imperator,

Spes vanā affligit.

Prov. 13. 12.

Spes fumus est.

tor, qui aulicum suum spem aliis vendentem, quasi illos Principi gratos reddere & obtinere poterat quod vellent; in ligno suspendit, & fumo inferiùs excitato, mori coëgit, tubicine interim proclamante: *Fumo pereat, qui fumum vendidit.* Iste nimirum plurimos vanæ exspectationis fumo illusit, modò fumo perit. Quam porrò pœnam creditis Deum iis inflicturum, qui spem suam in rebus creatis constituunt? in fumum reducet, teste Isaiâ: *Isti fumus in furore meo erunt.* (Isai. 65. 5.) Nec tamen in hac vita absque castigatione & tormentis erunt.

Spes mundana dolorem adfert.

8. Dentes putridos ore gerens, magnum sentit dolorem, dum ori quidpiam imponens unde gustum excipere credebat, in dentem putridum impingens cruciatum excitat; sicut etiam vulnerato pede incedere tentans, in vulnus latens incurrit. Talem re verâ dicite mundanam spem esse, cùm enim à natura sit nobis indita, ut per illam quasi fortiori dente cunctas rumpamus difficultates, bonum speratum impedientes, & suave nutrimentum animæ famelicæ procuremus; utque ad bona amata procedentes sustineret; dum in mundo sub durissima tribulationis cortice, nulla bonorum medulla reperitur, & quantò magis proceditur, tantò magis à desiderato termino recedere videamur; eò misera spes reducitur, ut loco delectationis dolorem, loco gaudii mœrorem, loco confortationis debilitatem adferat. Ad hoc alludere videtur Sapiens, dicens: *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* (Prov. 25. 19.) Talis amicus infidelis mundus est, servis suis mille tormenta loco gaudii infligens; sicut qui dente putrido comedit, vel pede vulnerato diu incedit.

Spes mundana fallax.

9. Mundi sequacibus accidere solet, sicut podagrâ aut malâ corporis dispositione laborantibus accidit, qui minimâ temporis vel qualitatis mutatione doloribus replentur, & perturbantur; sed tali impedimento aut mutatione cessante, dolores pariter cessant. Pari modo cum mundanis agitur, dum prospera adest fortuna & cœlum favet; spes optimè collocata videtur, utpote in amico nondum infideli reperto confirmata: fortunâ verò mutante, tribulationisque nebulis apparentibus, amici infidelitas subitò detegitur, eoque tempore quô maximè foret necessarius amittitur; & sicut dens putridus cum dolore extractus abjicitur, & cognoscitur qualis fuerit.

Spes dilata affligit.

10. Sed quid mirum in mundanis hoc accidere, cùm bona spiritualia dilata dolorem afferant?

tant? in S. Matthæo legimus, virgines omnes ad vētum sponsi præstolantes obdormivisse: *Dormitaverunt omnes, & dormiērunt.* Rationem autem hujus rei Evangelista reddens, ait: *Moram autem faciente sponso.* Sed quomodo sponsi expectatio somnum causare poterat? an quia instar solis erat, cujus absentia tenebras inducens, somnum causabat? sed tunc dicere suffecisset quia sponsus aberat; non tamen hoc Evangelistæ sufficiebat, sed tarditatem adventûs assignare cupiebat; credibile ergò videtur hanc dilationem virginibus mœrorem causâsse, indeque somnum provenisse. S. Lucas id nobiscum affirmare videtur, dicens Apostolos in horto Gethsemani obdormivisse præ tristitiâ: *Invenit eos dormientes præ tristitiâ*; non somno, sed mœrore oppressi dormiebant.

Matt. 25. 6.

Luc. 22. 45.

11. Dico insuper, expectationem totius boni saporem deperdere, & miseros absque occasione reddere, cùm felices esse possemus. Hoc verum esse clarè patet in ambitiosis & divitibus; interroga illos cur non sint alacres & contenti? respondebunt se honores, dignitates, majoresque divitias expectare, quas cùm non assequantur, præ dolore affliguntur: si verò illas non expectarent, feliciter & quietè viverent; sed spes futurorum omnem tollit præsentium lætitiam. Nobis ergò accidere dicendum, ut cani carnem per pontem portanti accidit, umbrâ enim carnis in aquis conspiciens, illam partem multò arbitrabatur majorem; erga illam igitur indignatus, ex ore alteram dimittens, & hac, & illâ privatus exsistit. Nobilis ille commodè & quietè in domo sua degens, sufficientes possidet divitias; illi tamen in mentem venit, ut si ad aulam procederet, dignitate & honore afficeretur; unde spei umbra roboratus eò tendit, sed propriâ commoditate, verisque bonis privatus, miserè vivit. Nec credendum has Æsopi esse fabulas, sed rei veritas quotidie experta. Sapiens id mirabiliter testatur, dicens: *Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, & sequitur ventos.* Tria insipientem decipiunt, vana spes, mendacium, quia subitò credit, & somnia; sed quomodo? *Quasi qui apprehendit umbram.* Ecce quomodo Æsopi canis umbrâ carnis deceptus, veram quam ore gerebat perdit.

Spes non sinit quietè vivere.

Eccli. 34. 1.

12. Meliùs igitur dicendum videtur, tribulationem omnem spem tollere, nec exiguum fore bonum:

Tribulatio videtur spem tollere.

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Ita certè loquendum videtur, unum quippe contrarium alio tollitur; & ingentium bonorum desiderio valdè opponitur magna sufferre mala. Turbine tempestuoso in mari exsurgente, nautæ cuncta dimittunt vela; tribulatio quid est? vehe-
Ezech. 1. 4. mens commotio & ventus: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Vela sunt desideria in altum elata, quæ tribulationis tempore cessant. Rex Ezechias desiderii
Isai. 38. 13. vela summè extulerat: *Sperabam usque ad manè*, inquit; gravis advenit infirmitas, & su-
Ibidem bitò demittit vela: *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Isaias quoque Propheta hoc rectè intelligere videbatur, comminando iis qui vela dimittere ne-
Isai. 18. 1. queunt: *Væ terræ cymbalo alarum*, inquit; qui nempe desideria sua ut navium vela extendunt; quia ventus turbinis illa subitò destruet, teste Psalmistâ:
Psal. 47. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Textores dum fila rumpuntur sibi mutuò rursùm connectunt, filis autem deficientibus, nil connectendum superest. Simili modo nos hîc desideria desideriis annectimus, ut finem intentum consequamur,
Isai. 30. 1. dicente Prophetâ: *Væ filii desertores ut ordiremini telam, & non per Spiritum meum.* David quo-
Psal. 89. 10. que ait: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Aranearum instar vitam nostram texendo consumimus; si desiderium illud complere non possimus, aliud atteximus; si dignitatem illam obtinere nequimus, alia inquirenda; dotem illam adipisci non valemus, alia consequenda. Quid efficit tribulatio? ab hoc labore & defatigatione nos eripit, filum disrumpit, commoditate privat; ad aliud nos attendere cogit, quàm ad vanitates & desideria complenda.

13. Afflictus id præclarè emblemate exhibebat, ingentem formabat rotam, aquam ex alto puteo haurientem, à qua longa catena dependens, vasa partim vacua, partim plena gerebat, hoc addito dicto: *Plena dolore, spe vacua*; vasa nimirum plena, dolore sunt repleta; & vacua, spe sunt vacua. Nec meliùs certè afflicti conditionem exhibere poterat. Rota est vita nostra, teste S. Jacobo *Dolor spem aufert.*
Apostolo: *Inflammat rotam nativitatis nostræ.* Rota numquam Iac. 3. 6.
quiescens: *Numquam in eodem statu permanet.* Hujus rotæ vasa Iob 14. 2.
quæ vacuantur & implentur, sunt dies & noctes: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Psal. 18. 3.
Quomodo hæc in afflictis peraguntur? aliqua dolore plena, aliqua spe vacua; audite afflictum & patientem Job idipsum referentem: *Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas numeravi mihi.* Per Iob 7. 3.

menses

menses vacuos, vasa spe vacua rectè intelliguntur, cùm vacuum in Hebræo spei correspondeat. Pro *noctes laboriosas*, Septuaginta legunt: *Noctes dolorum datæ sunt mihi*. Dies ergò fructibus colligendis destinatæ, vacuæ erant; & noctes quieti datæ, doloribus repletæ. An clariorem hujus rei probationem desideras? audi ipsum paulò pòst dicentem: *Dies mei transiêrunt, & consumpti sunt absque ulla spe*. (Iob 7. 6.)

Quomodo tribulatio causa spei dicenda?

14. Si tamen affirmare velimus tribulationem spem causare; aliô modô verificari non videtur, quàm eô quô Fabius Maximus cuidam glorianti suâ ope Tarentũ interceptum fuisse, cùm tamen perditionis causa fuisset; respondit, ita certè est, nisi enim tu perdidisses, ego acquirere non potuissem. Pari modo tribulationi glorianti se causam spei esse, non alio modo verificari poterit, quàm ei respondendo, nisi tu me bonis spoliasses, illa recuperanda sperare non potuissem; unde nullô modô ei obligamur, melius quippe fuisset, illa semper absque spe recuperationis possidere. Efficacia certè sunt hæc argumenta; cùm ego tamen spei causam defendendam susceperim, nullatenus de victoria desperandum. Adeò quoque longè absum ut iis consentiam, ut dicere potiùs audeam, nullum in mundo spe majus reperiri bonum; nec convenientius medium illam acquirendi, quàm tribulationem; ad cujus probationem me sic accingo.

Nullum spe majus bonum.

15. Prima conclusionis nostræ pars erat, nullum spe majus esse bonum; ratione philosophicâ illud sic probare aggredior; quis nescit illud summum esse bonum, ratione cujus quævis ingentia mala exigua videntur; ex uno siquidem contrario aliud cognoscitur. Ut febrim malignam maximè prædominantem à corpore arceamus, potens requiritur medicina; sed quæ illam spe exceptâ efficere poterit? illâ ablatâ, quodvis malum insupportabile videtur; illâ verò positâ, nullum malum adeò magnum, quin subitò exiguum videbitur. Dum Noë nascebatur, pater ejus spiritu Prophetico tale ei nomen imposuit, quo consolationem per eum futuram indicare volebat, dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum*. (Gen. 5. 29.) In quo autem hæc consolatio fuit? aliqui dicunt in eo fuisse, quia aratrum reperit, quod instrumentum summopere laborem rusticorum alleviat. Alii ex eo fuisse dicunt, quia vinũ reperit, quod non exiguam consolationem laborantibus & afflictis afferre solet. Utroque tamen multò melius spes consolatur. In

primis illud de aratro probemus; certissimum est hunc laborem spe messis futuræ potiùs alleviari quàm aratro. Ante tempora Noë, aratrô nondum repertô, terra equidem colebatur; sed sine spe, etsi centum adessent aratra, nullus ad arandum manus extenderet. Quid sibi vult littus maris, aut terra omninò sterilis non arari? non aratri, sed spei defectu, cùm tantus labor inanis absque fructu esset. Apostolus Paulus hoc

1. Corint. 9. 10. optimè intelligens, ait: *Quoniam debet in spe qui arat, arare.* Spe roboratus arare debet, illa quippe deficiente, nullus umquam terram coleret.

Spes melior vino. 16. Spem quoque vino meliorem esse, sponsus in Canticis dilectæ suæ indicavit, dicens:

Cantic. 1. 2. *Meliora sunt ubera tua vino.* Ubera quippe spei symbolum sunt, cùm illis lac numquam deficiat; unde David idem attestatur,

Psal. 20. 10. dicens: *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Vinum cor quidem lætificat, sed capiti nocet; spes optimum cordi & capiti remedium. S. Paulus hoc præclarè cognoscens, illam galeam & scutum nuncupat; galea caput defendens; & scutum vulnera

1. Thessal. 5. cordis avertens: *Induti galeam spem salutis.* Scutum quoque esse Scriptura sacra indicat, dicens:

2. Reg. 22. 31. *Deus immaculata via ejus, scutum est omnium sperantium in se.* Vinum modicè sumptum prodest, plurimùm sumptum obest; spes quomodocumque accepta, bona est; teste Psalmistâ: *In Domino sperans non infirmabor.* Psal. 25. 1.

Spes turris à fortissima. 17. Dico insuper, spem nos sæpiùs absque ullo labore à cunctis malis eripere, quod hac similitudine optimè probatur. Magna est differentia dum quis ab armis & à turri defenditur; arma siquidem pondus & laborem nobis adjungunt, quia portanda & dirigenda; turris autem securiùs nos absque ullo labore tuetur, licèt in lecto quiescas. Spe munitus fortissima turri tueri dicendus est; quia: *Turris fortissima nomen Domini.* Quis hac turri defensus? Prov. 18. 20. qui in illud nomen dignè sperat: *Speret in nomine Domini, & innitatur super Domino;* inquit Isai. 50. 10. Isaias. In turri hac modestè quiescens, nulla mala metuere oportet, dicente Isaiâ: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Isai. 30. 15. Silentium quietis est symbolum; *Siluit terra in conspectu ejus;* id est: *quievit.* 1. Machab. 1. 3. Et in Exodo dicitur: *Vos tacebitis & Dominus pugnabit pro vobis.* Exod. 14. 14. Sed quomodo in silentio erit fortitudo nostra, cùm quiescendo nihil agamus? rectè quidem, quia spe muniti erimus; spes nos circumdabit, & ab inimicis, ut turris fortissima tuebitur. Ampliùs conclusionem nostram confirmando,

Spes melior divitiis. dico spe divitem & abundãtem nulla curare bona. Cùm Alexander

der Magnus se ad Asiam debellandam disponeret, pretiosissima singulis distribuit dona; aliquô verô illi dicenti, quid sibi reservaret, respondit spem sibi abundanter superesse, quâ fretus, nulla curabat bona; hoc aulicus ejus rectè intelligens, acutè illi respondens dixit; si tibi Domino meo spes abundans ita sufficiat, ut reliqua respuas bona; mihi quoque sufficere debet, unde nulla vestra requiro bona. Si hoc igitur spes rerum mundanarum in corde humano efficere potest, quid non efficiet spes cœlestium? S. Joannes id rectè explicans, inquit hanc spem nobis ita prodesse, ut etiam illâ solâ beati

1. Joan. 3. 3. esse possimus: *Qui habet hanc spem, in eo sanctificat se.* Spe futuræ vitæ munitus, sanctus evadit, nulla mundana curans; nil è contrà pejus de aliquo dici potest, quàm illum desperare. S. Paulus gentes malas fuisse, & in multa scelera corruisse inquiens, dicit illas desperâsse:

Ad Ephes. 4. 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.* Ex opposito igitur virtus contrarii magis elucescet.

Sine spe alia bona exigua.

18. Quinimò dicere audeo, tantum bonum spem esse, ut illâ deficiente, alia bona non multùm sint æstimanda; quantumvis unusquisque sit dives, aut excellens, magis tamen se spe futurorum, quàm præsentium fructu pascit. David ex Pastore ovium potentissimus Rex effectus, an hoc illi sufficiebat? nequaquam, plura siquidem desiderabat, quàm possidebat; cùm igitur Deus hoc in illo adverteret, misit ad illum Nathan Prophetam, qui illi multa bona pro se, posterisque suis promitteret; unde consolatione & gaudio plenus, inter cætera gratias Deo agens, dicebat: *Adduxit me hucusque, sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loqueris etiam de servo tuo in longinquo, ista etenim lex Adam Domine Deus.* Non

2. Reg. 7. 19.

solùm inquit, Deus me ad hanc dignitatem evexit, sed plurima promisit, hæc enim est lex Adam. De qua lege Adam loquebatur David? de ea siquidem quâ magis futura quàm præsentia attendimus, magisque nobis de futuris præmiis quàm de præsentibus gaudendum.

Spes mundana vana, divina solida.

19. Si hæc igitur ita sunt, quomodo vana spes esse dicitur? respondeo duo genera spei esse, una in mundo, altera in Deo est; mundo innitens, vana, inutilis, & nociva est; in Deo autem vera, solida, utilis, & & fructuosa est. In rebus mundanis sperantibus accidere solet ut agricultoribus, qui post multos labores campum segete abundantem conspicientes exultant; in messe verò segetum aristas

ar istas grano vacuas reperientes, ex multo labore vix aliquem fructum colligunt. Sapiens id præclarè de mundanis
Sap. 3. 11. testabatur, dicens: *Vacua est spes illorum.* Aliquid deforis apparet; sed intùs nil boni retinet. Clariùs idem Osee Propheta de spe mundana loquens, in-
Oseæ 8. 7. quit: *Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam.* Granum videlicet deforis insigne videbatur, sed intùs vacuum erat, unde nullam farinam reddere poterat. Spes tamen in Deo reposita, plus intùs abundat, quàm deforis appareat; Sapiens de hac bonorum spe loquens, id nobis clarè exhibet, dicens:
Sap. 3. 4. *Spes illorum immortalitate plena est*; Plenitudo videlicet istius spei immortalis est, numquam deficiens: vel sicut fructus arboris vitæ qui immortalitatem manducantibus præbebat.

Spes divina firma est, spes mundana fragilis.

20. Inter spem igitur divinam & mundanam, illa videtur esse differentia, quæ inter altitudinem terræ & aquæ est; terra se elevans, montes firmos, stabiles, & fructiferos format; aqua se in undas elevans, montes formare videtur, sed inanes, vacuos, & subitò evanescentes. Spes mundi quid aliud
Sap. 5. 15. est quàm aquarum elatio, dicente Sapiente: *Spes impiorum tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur.* Osee Propheta hanc doctrinam optimè in persona Regis Samariæ exponit, dicens: *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam* Oseæ 10. 7.
super faciem aquæ. Spes mundi inflat, sed vanè & inaniter, absque ullo fundamento in statu meliori nos deserens, & cogitationes elatas in mente fovens. Spes autem servorum Dei instar montis fortissimi, ad quem destruendum nulla humana potentia sufficit. Propheta David id apertè prædicat, dicens: *Qui* Psal. 124.
confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Spes mundana ut arundo vacua & fragilis, cui si innitaris, subitò confringitur, tibique nocet; optimè de ea Isaias ait: *Ecce con-* Isai. 36. 6.
fidis super baculum arundineum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam. Spes servorum Dei ut columna firma & stabilis, quæ quantò majori pondere aggravatur, tantò magis solidatur. Salomon in atrio templi duas eminentes fundaverat columnas, sed quid suprà posuit? duo lilia, symbola nimirum spei; indicare volens, ut dum templum orationis causâ petimus, spe impleri debemus; quæ non in fragili arundine, sed in stabili firmaque columna fundari deberet, sicque numquam deficeret.

Spes mundana dens putrefactus [partially visible: "Spes munda- na dens pu-"]

21. Si de mundana spe dicebatur, instar dentis corrupti esse,

tridus, spes esse, spes servorum Dei instar dentis fortissimi est, ideoque sponsæ in Canticis dictum fuit: *Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascẽderunt de lavacro, & sterilis non est inter eas.* Pecora partus nutrientes dupliciter comedunt, semel pro seipsis, & semel pro fœtu quem lactant, & ex lavacro majori appetitu redeunt. Talis est justorum spes, non solùm ipsis, sed aliis quoque sufficiens, nec umquam deficiens. Si spes mundana ut pes lassus & debilis est, spes servorum Dei ut ala volans, nullam defatigationem admittens: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & assument pennas; sicut aquilæ current, & non laborabunt.* Dicamus quoque spem justorum pedem esse, sed qualem descripsit Plinius, aliquorum in India unum tantùm habentium pedem, sed adeò magnum & latum, ut non solùm commodè illos sustineat, verùm etiam lassos in terra jacentes, umbrâ suâ contra solis fervorem erectus protegat. Aliam quoque proprietatem affingit, adeò esse levem, ut illô solô velociùs currat quàm cæteri duobus. Hoc autem si fictè aut verè referatur, talis mihi spes justorum esse videtur, omnes alios magnitudine & velocitate excedens.

divina dens fortissimus.

Cant. 4. 2.

Spes justorum pes velox.

Isai. 40. 31.

22. Pes est, quia tali nomine à SS. Patribus insignitur; S. Isidorus ait: *Spes vocata est, quòd sit spes progrediendi, quasi pes diceretur.* S. Chrysostomus locum illum Psalmi exponens: *Pes meus stetit in directo*; hunc pedem spem esse ait: *Pes vester, id est; spes vestra, non extollatur in prosperis, & in adversis non dejiciatur, sed clamate cum Propheta, dicentes; Pes meus stetit in rectitudine, id est; rectus constitit, nec umquam imposito onere claudicavit.* Solus est hic pes, quia in unicum tendit objectum, Deum nempe. Actus quoque & habitus ab objecto speciem & diversitatẽ sumunt juxta Philosophos. Hanc unitatem optimè expressit Psalmista, dicens: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Singulariter,* inquit Haimon; *id est, singulari specie, habitâ de te solo, quia nihil nisi te solum desidero. Singulariter,* inquit Remigius; *id est, solâ spe hæreditatis meæ. Singulariter,* inquit Rudolphus; *id est, in una singulari spe, quia singulariter unum & verum bonum speratur, quia hanc unam petii à Domino; illi autem è contrà in multiplicitate sæculi sperantes, adhuc unitate dividuntur.* Philo Hebræus ponderans illa verba Moysis: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis*; dicit thesaurum bonorum unum esse, quia Deus est; sed thesaurum malorum multiplicem esse, quia plurimæ sunt castigationes

S. Isidor. lib. 8. etymol. cap. 2.

Psal. 25. 12.

Spes justorum una est.

Psal. 4. 10.

Philo lib. 2. Allegor.

Deuteron. 32. 34.

nes juxta merita singulorum.

Spes justorum fortissima.

23. Ingens & fortis est spei pes quia bonis promissis correspondet, quæ cùm Deus sint, majora esse non possunt. A Deo quoque fortitudinem & stabilitatem accipit, dicente Prophetâ: *In Domino sperans non infirmabor.* A beato Laurentio Justiniano forti columnæ spirituale ædificium sustinenti assimulatur: *Spes est quasi columna quæ totum ædificium spirituale sustentat, quâ deficiente, totum ædificium corruit.* Ab hoc pede contra ingentes tentationis & tribulationis æstus defendimur, dicente Isaiâ: *Factus es fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab æstu.* Nec sine mysterio post spem turbinis umbraculum ab æstu adjunxit, quia hoc proprium spei officium. S. Gregorius Papa nos erudiens quomodo spei pede in altum elevando non offendamur tribulationis æstu, sic ait: *Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala quæ exteriùs tolerat, sentit.*

Psal. 25. 1.

Laurent. Justin. in ligno vitæ cap. 2. de spe.

Isai. 25. 4.

S. Gregor. lib. 6. moral. cap. 14.

Sine spe progredi non possumus.

24. Absque hoc denique spei pede progredi non possemus, dicente S. Augustino: *Ipsa spes peregrinationis necessaria est quæ consolatur in via, tollit viatori spem perveniendi, continuò franguntur vires ambulandi.* In spe ergò hæ conditiones mirabiliter conjunguntur, licèt contrariæ videãtur, firmum nẽpe, & stabilem permanere, & moveri & progredi. Spes quippe instar columnæ est in bonis fortificans, & contra tentationes erigens; instar pedis est nos sustentans, & ad cœlum dirigens. Optimè hoc intellexit S. Paulus Apostolus, dicens: *Fortissimum solatium habemus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* Notandum hîc est Apostolum spem vocare firmam & mobilem, quasi diceceret, anchora est, ut navem animæ nostræ in mundi procellis dirigat & firmet; non ideò tamen credendum viam progressionis impedire ut facere solet anchora; non enim hæc ex anchoris firmiter manentibus, sed velociter moventibus est.

S. August serm. 16. de verb. Apost.

Hebr. 6. 18.

Spes cuncta alleviat.

25. Adeò quoque hæc ancora levis, ut universa pondera quæ, illâ deficiente, intolerabilia redderentur, levia reddat. Hoc S. Gregorius præclarè testatur, dicens: *Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc leve ac facile spes remunerationis ostendit.* Nónne videmus quàm velociter omnes ad propositum currant præmium ut aliis præveniant? alas pedibus infixas habere, nec ullo pede terram attingere vidētur. Sed unde illis tanta velocitas & levitas cursûs? à spe præmii & remunerationis. Hoc modo S. Paulus currere se di-

S. Gregor. lib. 1. moral. cap. 7.

se dicebat, & tantâ velocitate, ut retrò numquam aspiceret; sic enim ait: *Quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora meipsum extendens, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei. Extendens*, inquit, quasi diceret, non tantùm pedibus currere laboro, verùm etiam manibus, & toto corpore, me extendere nitor. Totum hoc effectum spei esse doctissimè affirmat S. Augustinus, dicens: *Spes ad hoc nos hortatur, ut præsentia contemnamus, futura expectemus, & quæ retrò sunt obliviscentes, cum Apostolo in anteriora nos extendamus.*

Ad Philip. 3. 13.

S. August. serm. 29. de verb. Dom.

Spes cœlestis beatos reddit.

26. Mundana denique spes miseros reddit homines; spes cœlestis beatos efficit. S. Paulus suâ doctrinâ id clarè nos edocet, dicens: *Si in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Sed quia spem totam in Deo collocaverat, ait: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Notandum quoque est S. Paulum modò dicere spem esse à gloria, ut hîc ait; modò verò gloriam esse à spe: *Est Christus in vobis spes gloriæ.* Sicut enim inter charos amicos nulla est dissensio honoris aut præeminentiæ, sed inter se mutuò rectè conveniunt; sic gloria & spes sibi mutuò ita afficiuntur, ut spes inserviat gloriæ, vocaturque spes gloriæ; modò gloria inserviat spei, vocaturque gloria spei. Dicere quoque poterimus illas sponsalitium iniisse contractum; unde sicut inter sponsam & sponsum tanta est conjunctio, ut unus alterius esse dicatur, sic gloria & spes unitæ sunt. In hac vita igitur una sine alia haberi non poterit; qui enim unam gustare incipit, aliam certissimè gustabit; & qui mundanam contemnet, cœlestem consequetur.

1. Corint. 15. 19.

Rom. 5. 2.

Ad Coloss. 1. 27.

Spe mundanâ contemptâ, cœlestem assequimur.

27. Hoc egregiè suo exemplo nos edocuit Thomas Morus, insigne Angliæ decus; nobilissimis hic ortus natalibus, prima regni officia tenebat, & Henrico VIII. Anglorum Regi charissimus, dum Deum & bonos diligeret; illo tamen à fide deficiente, Thomam impietati suæ consentire nolentem, carceri includi, & morti tandem tradere jussit. Thomas verò aliud non desiderans quàm pro Christo sanguinem spargere, spe æternorum bonorum fretus, hos duos versus egregiè de se composuit:

Iam portum tenui, spes & fortuna valete,
Sat me lusistis, ludite nunc alios.

Hæc morti vicinus & cœlesti gratiâ roboratus hic præclarus vir rectè affirmare poterat, quod tu quoq; mũdane, morti vicinus meliùs cognosces; quis tamen scit si tunc tibi proderit? modò igitur cùm integer sensibus &

corpore sis, spem vanam & inanem rejiciens, cœlestem remuneratione plenam amplectere. In aliquem locum commigrare desiderans, libenter sua præmittit; vos omnes scio cœlum conscendere velle, præmittite ergò vestra per pauperes in cœlum, ut absque periculo in commoditate & perditione illic eadem cum lucro recipiatis; quod bonam eleemosynam præstando exequemini.

SECUNDA PARS.

Quomodo tribulatio spei utilis.

28. Ex prædictis auditis & comprobatis negari non potest, spem in Deo positam multa bona conferre. Modò difficillimum punctum discutiendum, si tribulatio huic prodesse possit; potiùs quippe dicendum videtur prosperitatem ad hoc maximè conducere; ex præteritis quippe ad futura ordinariè argumentandum, dicente Salomone: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est.* (Eccles. 1. 9.) Prosper & felix Deum sibi liberalem & munificum experitur, occasionem ergò in illo sperandi habet, quòd simile imposterum continget. Qui verò illum sibi contrarium & illiberalem sentire solet, ut afflictus experitur, quomodo in illum sperare poterit? his tamen non obstantibus, verissimum est tribulationem optimum esse medium ut in Deo spem figamus. Illud in primis ratione philosophicâ optimè probari potest; deficientibus quippe causis secundis, ad primam recurrendum; sed afflicto ab omnibus derelicto causæ secundæ desunt, ad primam ergò ipsi recurrendum. Hoc argumentum optimè Propheta David efficere noverat, dicens Deo: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutuor.* (Psal. 10. 14.) Pauper hîc à cunctis desertus & derelictus, ad quem recurret, nisi ad te solum? *Tu solus laborem & dolorem consideras.* (Ibidem.) In animalibus hoc clariùs videmus, cùm siquidem à progenitoribus derelicta nullum aliud subsidium restat, Deus ipsis mirabiliter subvenit. Hoc præclarè David de corvorum pullis refert, cùm illos Deum invocare asserit: *Et pullis corvorum invocantibus eum.* (Psal. 146. 9.) Non quia hi orare nôrunt, sed quia illorum indigentia à patre & matre derelictos esse, omnique auxilio destitutos satis invocat Deum, eô modô quô dicimus infirmitatem inclamare medicum.

Afflictiori magis sperandum.

29. Quantò tribulationes sunt majores, & auxilio humano magis destitutę, tantò magis in Deo sperandum. Optimè S. Ambrosius id nobis exhibet, dicens: *In gravissimus passionibus spem deponimus, cùm de divina miseratione tunc sperandum amplius sit, cùm præsidia humana defecerint.* (S. Ambros. homil. 17. Hexam. in lib. de Joseph.) Alibi quoque è cōtrà ait: *Ibi plus est auxilii, ubi plus est peri-*

est periculi. Moyses hanc commiserationem divinam expertissimè noverat; cùm enim populus maximè peccaverat adorando vitulum aureum, ut misericordiam à Deo impetraret, hoc modo precabatur: *Obsecro peccavit populus iste peccatum maximum.* Sed quis iste orandi modus? nónne qui veniam obtinere cupit extenuat potiùs peccatum, quàm adaugeat? quomodo ergò Moyses omnino contrariè agit? per hoc Deus potiùs majori irâ accendi videtur quàm placari. Optimè tamen id Moyses peregit; peccatum quippe magnam æstimabat miseriam, cumque omnem modum excederet, nec aliquod remedium, nisi à divina manu recipere posset; tunc Moyses sperabat nullum alium posse adferre auxilium, quàm Deum ipsum, qui populum suum numquam in necessitate deserit. Ab ipso quoque orationem suã didicisse videtur Propheta David, dum remissionem peccatorum impetrare volens, dixit: *Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

Exod. 32. 31.

Psal. 24. 11.

In Deo semper sperandum.

30. Præclaram hanc doctrinam intellexisse videtur Philo Hebræus, cùm enim pro Hebræis Alexandriæ commorantibus, ad Cajum Imperatorem Legatus profectus esset, cùm multa videret voluntati suæ contraria, sociis dixit: *Bono animo estote viri, non deerit nobis auxilium, ubi enim humanum cessat, divino non destituemur.* Idem quoque sociis replicando dicebat: *Necesse est enim adesse divina, ubi humanum cessat auxilium.* Deum insuper misericordiâ excellere optimè novimus, si nos igitur derelictos & afflictos conspexerit, misericordiam suam à nobis avertere nequaquam poterit. Si infans à matre panem aut potum petat, illaque occupata fuerit, non tam citò exaudit; si verò infans plangere aut ejulare incipiat, omnes occupationes seponens, subitò illi subvenit. Pari modo Deus nobiscum agit, dum absque planctu & dolore illum rogamus, parum curat; sed si afflictos & desolatos conspicit, continuò accurrens, opem fert. Egregiè per Prophetam suum id testatur, dicens: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Tribulatio ergò portaria spei divinæ dici poterit juxta dictum Oseæ Prophetæ: *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem.* Achor tribulationem & afflictionem indicat, & vallis Achor dicitur ubi lapidatus fuit. Quid boni igitur ab hoc loco sperandum? videbatur potiùs mortis esse augurium; Deus tamen januam esse asserit; quâ spes ad cor nostrum ingreditur. Nulla igitur melior erit occasio

Tribulatio janua spei.

Psal. 11. 6.

Oseæ 2. 15.

casio quam hæc vallis afflictionis & turbationis, ideoque porta & principium divinæ misericordiæ erit.

Spes in campo tribulationis nascitur.

31. Quod si de sublimi & cœlesti spe loquamur, quis ignorat illam in campo tribulationis nasci? S. Paulus id apertè nos edocet, dicens: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem.* (Rom. 3. 5.) Spei symbolum lilium est à radice quippe præcisum, adhuc folia aperit & floret; sed ubi hoc reperitur? inter spinas, teste Salomone: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* (Cant. 2. 2.) Scimus insuper Deum bona sua duas in partes divisisse; malis in hac vita cuncta largitur bona, tribulationes & pœnas in futuro reservans; bonis autem quibus in futura vita æternas reservavit delicias tribulationes & afflictiones hîc immittere solet. Hoc testabatur Patriarcha Abraham diviti Epuloni, dicens: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc verò iste consolatur, & tu cruciaris.* (Lucæ 16. 25.) Mysticè quoque Patriarcha Jacob id significabat, dum filio suo à matre *Benoni* vocato, *id est; filius doloris mei, pater appellavit illum Benjamin. id est; filius dextræ.* (Genes. 35. 18.) Filius nempe dilectus qui in die judicii ad dextram patris cum electis collocabitur. Hinc fortè colligi poterit, cur S. Joanni datus fuerit: *Calamus similis virgæ.* (Apoc. 11. 1.) dictumque ut metiretur templum, & adorantes in eo; virga siquidem tribulationis symbolum est, quæ est mensura regni cœlestis, dicente Apostolo: *Si compatimur, ut & glorificemur.* (Rom. 8. 17.) Tribulatio insuper mensura hominis est, tantò siquidem major quis apud Deum est, quantò majora pro amore ejus perpetitur. Nec vacat mysterio S. Joanni potiùs hanc mensuram quàm Angelo datam, ut indicaretur, homines non autem Angelos tribulationibus subjectos esse. Quia verò Joannes homo in magna tribulatione erat, voluit ipsum hoc officium exequi, non verò Angelum tribulationis expertem.

Alexander vulnera spernit propter spem.

32. De Alexandro Magno me legisse memini, dum fortissimam civitatem Tyri obsidens, vi occupare vellet, ab Astrologo suo interrogavit, si illâ aggressione civitate potiretur; cui ille si hodie vi aggressus fueris, obtinebis; sed graviter vulneraberis. Alacriter ergò, inquit Alexander, aggressio fiat; cumque ex utraque parte vehemens conflictio fieret, sagitta volans Alexandrum vulneravit; ad quem cùm amici accurrentes ei condolere & consolari vellent; fortiter, inquit, aggredimini milites, sic enim prædixerat Astrologus, ipsoque ex una parte veritatem affirmāte, ex

Pro regno cœlesti patiendum. te, alia pro certo sequetur, sicque evenit. Talis reverâ casus noster esse videtur; regnum cœlorum occupare contendimus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; (Matt. 11. 12.) quod non Astrologus, sed Christus nobis prædixit; armis igitur & virtute occupandum; vulnerari tamen debemus, persequutiones, & tribulationes perpeti, Christo id nobis prædicente: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Non veni pacem mittere sed gladium.* (Matt. 10. 16.) Et discipulus ejus S. Paulus magistri doctrinam imitatus, nos præmonet, dicens: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu persequutiones patientur.* (2. Timoth. 3. 12.) Cùm ergò nos afflictos & oppressos videamus, cum Alexandro alacriter dicendum, quandoquidem una pars prædictionis Salvatoris verificetur, alia quoque verificanda erit; sicque bonâ spe nos replentes, absque dubio felicem gloriæ cœlestis eventum consequemur.

Vulnus regni præsagium. 33. Seleuco Alexandri Magni armigero, vulnus præsagium regni fuit; etenim cùm equum Alexandri insequeretur, gladio ejus in fronte percussus fuit; sed ligaculis deficientibus, Alexander diadema ex capite tollens, illud alligavit, sicq; vulneri medelam attulit. Ex hoc ergò plurimi collegerunt, eum Regem futurum, & diadema delaturum, sicque evenit. Pari modo nobis accidit tribulatione & afflictione vulnerati sumus, quomodo hoc vulnus alligatur? coronâ cœlestis Regis, *Afflictio præsagium gloria.* id quippe de servis Dei testatur Propheta regius, dicens: *Gloriâ & honore coronasti eum.* Psalm. 8. 6. Nec major certè afflicto consolatio, quàm cogitare se pro amore Dei hæc perpeti, dicente fidelibus S. Petro Apostolo: *Si autem ut Christianus* (scilicet *patitur*) *glorificet Deum in isto nomine.* 1. Petr. 4. 16. Paulò quoq; ante dixerat: *Quod est gloriæ & honoris Dei super vos quiescet.* Ibid. 14. Quomodo ergò ex hoc non colligemus, nos quoque Reges cœlestes esse debere? sic est Christiani, quia: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matt. 5. 10. *Beati* (inquit S. Augustinus) *non in re, sed in spe.* Firmâ spe de gloria æterna securi erimus. Hanc felicitatem S. Isaias prędicēs, ait: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Isai. 30. 26. Ingens nempe erit felicitas quam sub metaphora lucis & tenebrarum Prophetę pręfigurare solet. Quando autem hæc erit? *In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Ibidem. Ecce quàm apertè id nobis exhibet.

34. Hæc autem prophetia *Afflicti spe sunt vincti.* adeò secura est, ut afflicti etiam nolentes cœlum sperare debeant.

beant. Propheta Zacharias insigni nomine eos spe vinctos
Zach. 9. 12. appellat, dicens: *Convertimini ad munitionem vincti spe.* O quàm dulce & suave ligamen spes est, à qua nemo nec potest, nec cupit dissolvi. Ut incarcerati antiquitùs bene custodirentur ipsis custodibus alligari solebant, unde de S. Petro Scriptu-
Act. 12. 6. ra refert: *Erat dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.* Ut Deus nos benè custodiat, ne ab eo discedamus, vinculis spei nos sibi alligans, cunctas tribulationes alacriter perferre efficit. S. Ambrosius egregiè asserit spem patientiæ radicem esse: *Si spem* (inquit) *auferas, non potest perpetua esse patientia, nam patientiæ radix spes est.* Meritò quoque hoc asserit, sicut enim arbor à radice vigorem & sustentationem accipit, sic patientia à spe fortificata & roborata manet. Sicut etiam ingenti arbori, ingens debetur radix; ubi pariter est magna patientia, ibi magna reperitur spes. S. Gregorius id præclarè affirmat, dicens: *Tantò spes in Deum solidior surgit, quantò pro illo quisque graviora pertulerit.*

Spes regni cœlestis hæredes constituit.

35. Quinimò per hanc spem bonis divinis frui incipimus. Licèt filius Principis nondum regnum possideat, cùm tamen spe successoris corroboretur, à magnis Principibus ut Rex excipitur & reveretur; ita quippe historicus prudenter affirmabat, dicens: *Educatur in spem imperii.* Per tribulationem filii Dei reddimur; hæredes ergò regni cœlestis constituimur, teste Apostolo: *Quòd si filius & hæres.* Ad Galat. 4. 7. Nondum possessionem regni adepti sumus, sed spe futuræ hæreditatis accendimur, dicente S. Joanne: *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* 1. Joann. 3. 2. Spes illa cœlestis gloriæ ejusdem nos participes reddit, ideoque S. Paulus illâ repletus, dicebat: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ad Rom. 5. 2. Jam spe illâ ad futuram gloriam erigimur; quasi diceret: *Educamur in spem gloriæ filiorum Dei.* Nónne hæc spes igitur desideranda videtur? quare hoc? an quia à tot tantisque possessa? verum est de spe mundana, non autem de cœlesti, quæ teste S. Paulo, propria est filiorum Dei. An quia vana hæc est instar somnii? talis profectò est in nostris viribus, aut promissionibus fundata. Non verò illa quæ in Deo fundata, licèt enim quandoque ad confortationem nostram somniis uti velit, ut Gedeoni exhibuit, non minorem certitudinem quàm prophetias habere cupit. Vel fortè videbitur tribulationem non convenire ad hanc spem acquirendam.

Tribulatio spem tollere videtur.

36. Sed cur tribulatio ad spem non conduceret? an quia ventus est qui vela dimittere cogit?

git? sic est ut littora terrenarum rerum teneamus, non verò ut ad portum æternæ vitæ perveniamus; ad hunc siquidem velis demissis, cum humilitate & submissione, tendimus, ad quod tribulatio utilissima. An quia tribulatio filum texturæ nostræ & designationis disrumpit? ita in rebus temporalibus, non autem divinis dicendum; ubi siquidem illis divitiæ & commoditates sunt necessariæ; his paupertas, humilitas, & tribulatio magis inservit. An quia afflicti in se divinas miserationes non experiuntur? quinimò tribulatio, ut aliàs probavimus, certissimus divinæ misericordiæ effectus & portaria. Tribulatione oppressus, certissimum habet pignus favoris & gratiæ divinæ, sicque spem firmam retinere debet in Deum sperandi. S. Propheta David hoc optimè intelligebat, dicens: *Si exurgat adversum me prælium, in hoc sperabo.* Ly, *Hoc*, ut graves referunt auctores, refertur ad prælium, ita ut David spem suam in viribus & exercitu inimicorum figebat. Sciebat quippe quòd tantò majores inimicorum impetus sustinere deberet, quantò majori auxilio Deus succurreret. Si quis aliquem virgâ floridâ percuteret, quis ignorat, quantò fortiùs percuteret, tantò magis floribus aspergeret? tribulatio

Psal. 26. 3.

virga florida est Jeremiæ exhibita, de qua dicebat: *Virgam vigilantem ego video; virgam* nempe, *celeriter florentem*, ut alius habet textus; vel ut textus Hebræus refert: *Virgam amygdalinam*; quæ prima in flore est. Cùm Deus ergò hâc virgâ nos fortiter percutit, floribus abundè nos spargit. Flores, amygdalini præsertim, symbolum sunt spei, quia bonam messem præsagiunt.

Jerem. 1. 11.

37. Si ergò ita est, quis non conspicit quàm nobili modo in tribulatione nos consolari possimus? excitando nempe vivam in Deo spem, nec illam in maximis licèt tribulationibus numquam perdere. Cùm filii Israël in Babyloniam captivi abducerentur, secum cymbala, & instrumenta musica, ac lætitiæ conferebant. Sed ad quem finem? ut in exilio iis uterentur? nequaquam, cùm enim ad hoc invitati essent, dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Unde salicibus appendebant, teste Davide: *In salicibus in medio eorum suspendimus organa nostra.* Ad quem ergò finem illa secum deferebant, si iis uti nolebant? nónne melius fuisset illa in patria abscondere cum igne sacro? secum, ni fallor, illa deferebant, ut cum lætitia redeuntes, illa sonarent. Licèt ergò se captivos in manibus crude-

Spes in Deũ semper tenenda.

Psal. 136. 4.

Ibid. 2.

crudelium inimicorum cernerent, spem tamen liberationis non amittebant, unde ex arboribus hæc instrumenta pendebant, ut spem futuræ regressionis in patriam exhiberent. Quasi dicerent, sicut arbores spem gerunt, rursus florendi & fructus producendi; sic nos pariter hæc instrumenta videndo, spe accendimur in patriam revertendi, & hæc instrumenta hilariter sonandi. Pari modo nos numquam spem liberationis à tribulationibus nostris amittere debemus; licèt mortem ob oculos versantem intueremur & ultimum spiritum in labiis gereremus, sed cum

Iob 15. 15. patiente Job dicere: *Etiamsi occiderit me in ipsum sperabo.* Hac cogitatione multoties se Gentiles consolabantur, unde Poëta quidam dicebat:

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.

Spes divina certissima. 38. Hanc autem spem non fallacem, vanam, aut sine fundamento esse, multorum è carcere ad regnum promotorum confirmatur. Salomon id egregiè testatur, dicens de in-

Ecclesi. 4. 13. sipiente & stolido: *Nescit prævidere in posterum; quòd de carcere catenisq; interdum quis egrediatur ad regnum.* Quod autem magis refert consolari nos Christianos maximè debet, spes gloriæ cœlestis, cùm per tribulationem recto itinere eò tendamus. Mancipia Turcarum dum à triremibus inimicis invaduntur, caput elevantes liberationem citò adfuturam sperant. Anima nostra in hoc corpore ut in triremi est, de qua David loquens, ait: *Educ* Psal. 141. 8.
de custodia animam meam. Sed qualis erat illa custodia? non carcerum aut turrium, illæ siquidem sunt immobiles, corpus autem nostrum continuò movetur; erat ergò carcer mobilis sicut triremis, prout mare tempestuosum hujus mundi. Tribulationes & afflictiones quid sunt? milites in hac triremi confligentes; quid igitur *Nos consolatur.*
nobis agendum? caput elevantes ad cœlestem libertatem aspirandum. Salvator noster Apostolis suis multa mala prædicens, remedia congrua illis assignabat, dicens: *Cùm videritis* Lucæ 21. 28.
hæc omnia, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Si quis quatuor muris inclusus, quosdam ruinam minari videat, lætatur quia liberationem suam adesse cernit. Pari modo sancta quædam lætabatur muros corporis sui dissolvi & ruinam minari, juxta dictum Apostolicum: *Scimus, quoniam si terrestris domûs* 2. Corint. 5. 1.
nostræ hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem à Deo habemus, non manu factam, æternam in cœlis.

39. Hanc

Tribulatio spei socia.

39. Hanc consolationem sponsa in Canticis optimè cognoscens, dicebat de dilecto suo: *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* (Cantic. 5. 13.) Myrrha valde est amara, ideoque rectè tribulationis symbolum dici potest; quia verò Salvator semper tribulationes & mortificationes prædicabat, idcircò labia ejus rectè myrrham distillare perhibentur; quia hæ quoque prędictiones cœlestis glorię spei conjunctæ erant, ideò liliis assimulabantur, quæ spei sunt symbolum. Quasi diceret, verum est sponsum meum mihi myrrham præbere, sed hanc tali modo spe conditam, ut nullo modo amara videatur; tanto igitur amore sponsa labia sua sponsi labiis unire desiderabat, ut diceret: *Osculetur me osculo oris sui.* (Cantic. 1. 1.) Si quis autem illi dixisset, si ex ore sponsi myrrha distillet, cur vis illi uniri? respondisset, verum est distillare myrrham, sed lilium quoque est, si fruar illo non curo reliqua; libenter tribulationis amaritudinem amplectar ut spem æternæ gloriæ consequar. Quid mirum ergò, si hac spe quis munitus, in hac vita illam gustare incipiat. De Enoch legitur, illum in paradisum translatum fuisse; S. Ambrosius hanc causam inquirens, eam fuisse ait, quia speravit in Deo; ubi enim nos legimus: *Ambulavitq; Enoch cum Deo;* ipse legit: *Speravit invocare nomen Domini.* (S. Ambros. lib. de Isaac & anima. Gen. 5. 22.) Qui sperat, inquit, in Domino, licèt in terris habitare videatur, realiter in cœlum translatus est; licèt quoque videatur bos laboriosus, & tertio animali Ezechielis similis, Cherubim tamen est cœlestis. S. Ambrosio S. Bernardus se conformans, ait: *Prælibemus divitias gloriæ, seu ut ita dicam, expressiùs gloriemur in tribulationibus; in tribulatione siquidem spes est gloriæ, & ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructûs in semine.* (S. Bernard. in Psal. 90.) Sic S. Franciscus etiam in maxima afflictione considerans bona æterna futura, lætus canebat: *Tantum est bonum quod expecto, ut omnis dolor sit mihi dilectus.*

Mors pro mercede libenter perpessa.

40. Inter Gentiles quoque non pauci reperti sunt qui libẽter pœnas etiam gravissimas amplectebantur ob spem promissi præmii. Athenæus id præclarè de Romanis antiquis testatur, dicens; quinquaginta aureos hæredibus ejus donari solitos, qui voluntariè caput abscindi permisisset. (Athen. lib. 4. cap. 17.) De alio quoque refert; quòd cùm patriâ ablegatus esset, & ingens pecuniarum summa illi promissa esset, qui caput ejus adferre poterat, amicum rogavit, ut caput abscindens in civitatem deferret, sicque pecuniarum summam lucraretur, aliaque similia. (Ibid. lib. 6. cap. 7.) Si illi igitur vo-

luntariè mortem ſubibant, ut amici illorum præmia propoſita referrent; quomodo ſpes æternorum bonorum, quibus in cælo frui poſſumus, cor noſtrum non accendet, ut quamvis libenter tribulationem ſufferamus.? Apoſtolus id præclarè docet, dicens: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* S. Auguſtinus notat Apoſtolum non fruſtrà hæc duo conjunxiſſe, nec primò abſque myſterio dixiſſe: *Spe gaudentes*; & poſtmodum: *In tribulatione patientes*; ſed ad docendum patientiam effectum ſpei eſſe: *Oſtendit enim* (inquit) *quare in tribulatione patientes, præmittendo ſpe gaudentes.*

Rom. 12. 12.

S. Auguſt. epiſt. 52.

Spes in Deo, non in terrenis collocanda.

41. Hoc ergò documentum ex hac lectione colligere poſſumus, ut diſcamus totam ſpem noſtram in Deo, non verò in rebus terrenis ponendam. Aves mirabiliter à natura ſunt edoctæ, ut tutum nidorum locum invenire poſſint; quædam etenim in denſis quercuum arboribus, quædam in præruptis ſilicibus fabricant. Nulla tamen avis meo judicio meliorem invenit locum quàm avis Indica, paradiſea vocata, non ſolùm quia pulcherrima, verùm etiam quia numquam reperitur in terra, ſed ſemper in alto cœlo moratur. Hæc autem numquam nidum ſuum in petris, ſeu proceris arboribus, ſed in humeris conſortis ſuæ collocat, ubi naturaliter exigua eſt concavitas in qua ova ſua collocat, & pulli ſecuri abſque ullo ereptionis periculo educātur. Hæc nidorum diverſitas inter homines quoque reperitur, quorum ova ſunt deſideria & deſignationes quas toto die fovent, nidi ſunt objecta, quibus deſideria diriguntur, omnes tamen ſecuriori modo illa collocare nituntur; hic in ſummo Principis favore, ille intra petras commodæ habitationis, iſte ad littus maris tempeſtuoſæ fortunæ, &c. omnia tamen loca non adeò ab ira Dei ſecura, cùm per Abdiam Prophetam dicat: Abdiæ 4. *Si inter ſydera poſueris nidum tuum, inde extraham, dicit Dominus.*

In humeris Christi ſpes collocanda.

42. Ubi ergò deſideriorum noſtrorum nidus collocandus? in humeris avis paradiſeæ. Quæ autē hæc avis paradiſea? Chriſtus Salvator, de quo dictum: *Vocans ab oriente avem.* Cujus o- Iſai. 46. 11. riginem S. Paulus cœleſtem eſſe indicat, dicens: *Secundus homo de* 1. Corint. *cœlo cœleſtis.* Supra humeros ejus 15. 47. licitum erit requieſcere & nidū noſtrum fabricare? abſque dubio. Jacob Patriarcha filios ſuos benedicens, hoc in figura Benjamin nobis promiſit, dicens: *Benjamin amantiſſimus Domini* Deuter. 33. *habitabit confidenter in eo, quaſi in* 12. *thalamo totâ die commorabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Quaſi diceret, ibi poterit ponere ova ſua; altare ſiquidem juxta

brevia-

In lect. Dedicat. S. Salvat. breviarium, est symbolum Salvatoris nostri. Audite Psalmistam idem clarè exhibentem: Psal. 83. 4. *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.* Qualis hic erit nidus? *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.* Qui per contemplationem in altum volant, & hæc terrena despiciunt, locum invenerunt ubi pullos suos deponant, & hoc tuum est altare, Christus videlicet, Rex noster.

43. O felix & ter beatus qui amabiliter nidum suum in his humeris collocat, nil ipsi timendum, nullum metuendum periculum, ita sponsa cœlestis agebat, ideoque ab Angelis admirata fuit, illi occurrentes, dicendo: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum.* Cantic. 8. 5 Mirum videri poterat illam per desertum deliciis plenam incedere, sed quia *innixa super dilectum suum.* Pari modo, licèt te in asperrimo tribulationis deserto reperias, si tamen dilecto tuo innitaris, si in humeris ejus desideria tua collocaveris, nil tibi timendum erit, nec in hac, nec in futura vita; quod Deus concedat. Amen.



DISCVR-

DISCVRSVS XLV.

Tribulatio ad divinum amorem accendendum utilissima, unde benignè excipienda & fructus amoris divini diligenter ex ea colligendus.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Vt rosa hortum ornat, ita amor tribulationem perficit. numer. 1. 2.

Amor in tribulatione non videtur reperiri. à num. 3. usque ad 13.

Tribulatio verè amorem conciliat. à num. 14. usque ad 29.

Quomodo tribulatio amorem excitet, & quàm utilis. à num. 30. usque ad 39.

Tribulatio non respuenda, sed alacriter sustinenda, quia delectabilis. à num. 40. usque ad finem.

Rosa hortorum pulchritudo.

1. 
Licèt pulcherrimus, deliciosissimus, optimeque sit cultus hortus, non tamen omninò dicetur perfectus, si florum regina, Rosa desit. Quinimò ut cœlum sine sole, animal sine corde, civitas sine Principe, exercitus sine Duce, caput sine oculis, oculus sine pupilla, & annulus sine gemma esse dicetur. Hortus insignis regiô cultu consitus, meritò dici potest tribulatio, ad quem cœlestis sponsus sponsam suam invitabat, dicens: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Nullibi quippe amaritudinis & doloris myrrha metitur quàm in horto tribulationis. Hortus fidei muris cinctus, spe virescens, currentibus abundantis consolationis divinæ rivulis irrigatus; manu divinâ consitus, & providentiâ quam de afflictis gerit optimè excultus. In arborum frondibus insignes divinorum attributorum, potentiæ, sapientiæ, justitiæ, misericordiæ, aliorumque relucent figuræ; ex quibus suavissimus bonæ famæ & honoris spirat odor. Cujus agricolæ diversas arborum species in eo constituentes sunt Angeli

Cantic. 5. 1.

geli, aliæque creaturæ.

Amor Dei rosa est. 2. Sed quæ rosa hunc hortum perficere debet? absque dubio amor, cujus rosa symbolum semper exstitit. Etenim si florum regina rosa est; amor ut rex super omnes animi affectus & virtutes dominatur: *Manent tria hæc fides, spes, charitas; major autem horum est charitas.* (1. Corint. 13.13.) Pulchra est rosa, pulchrior est amor: *Ego mater pulchræ dilectionis.* (Eccli. 24. 24.) In noctis tenebris clausa manet rosa, & ad primum solis radium auratum pandit sinum; cor sincerè amans aliis clausum, soli objecto amato se pandit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* (Cant. 2.16.) Rosa insuper dilatatur, & cor amans pariter dilatatur: *Cor nostrum dilatatum est*; dicebat S. Paulus amans. (2. Corint. 6.11.) Rosa abscondi non potest, quia pulchritudo & odor illum manifestant; nec amor abscondi potest, quia mille signis manifestatur: *Numquid potest abscondere ignem in sinu suo?* (Prov. 6.27.) Nisi rosa colligatur & foveatur, facillimè languescit; si amans dilectæ non conjungitur, subitò languescit: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.* (Cant. 5. 8.) Foliis suis rorem cœlestem concludit, & gratiam cœlestem in se recondit amans: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* (Joan. 14.21.) Omnia elementa rosæ inservire videntur, terra illam sustinet & fovet, aqua respergit, aër suavi flatu reficit, ignis colorem suum ei tribuit, cœlum radiis solaribus aperit, & rore suo nutrit. Amanti Deum cuncta inservire nituntur: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8.28.) Rosa pungentibus circumdatur spinis, & zelotypiâ transfigitur cor amantis: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* (Cant. 8. 6.) Certissimum primi veris signum est rosa, & infallibile transactæ peccatorum hiemis, est divinus amor: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (Lucæ 7.47.) Adeò denique conveniens symbolum amoris est rosa, ut non solùm à Gentilibus Deus amoris cum rosa in manu depictus fuerit, verùm etiam in eam mutatum finxerint. Quantus ergò amœnissimo tribulationis horto defectus esset, si rosa divini amoris in eo non reperiretur. Videamus igitur & perscrutemur, si inter tribulationis spinas rosam amoris invenire nequeamus.

In tribulatione non videtur amor reperiri. 3. Ut verè tamen fatear acutissimo visu, ne dicam lyncis oculo, hîc opus esset. Quis siquidem credere umquam poterit ex tribulatione amorem prodire? cuncta sibi similia producunt inclamant philosophi: *Simile producit sibi simile*; etenim si contrarium evenit monstrosus dicitur partus; ut si homo serpentes, aut leo agnos produceret. In evangelio quoque

dicitur:

Matt. 7. 17. dicitur: *Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit*; sibi videlicet similes, unde ſequitur: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*; alioquin hæc conſequentia non valeret. Dices fortaſſis hanc regulam in corporalibus ſolùm, non autem in ſpiritualibus valere; in ſpiritualibus tamen æquè valere exhibuit Salvator, dicens: *Quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt, & quod natum eſt ex carne caro eſt.* Amor igitur partus monſtroſus eſt? nequaquam, quinimò nobiliſſimus & pulcherrimus; à ſimili ergò matre prodire debet. Divina ſapientia ut pulchritudinem ſuam oſtẽderet, ſe matrem pulchri amoris nominat: *Ego mater pulchræ dilectionis.* Quaſi diceret, ſi filius inſignis, argumentari poteritis matrem quoque inſignem eſſe. Sed quid magis diſſimile aut contrarium amori quàm tribulatio? amor non ab alio quàm à voluntate procedit, unde neceſſariò voluntarius eſſe debet, nullam admittens vim aut coactionem. Tribulatio autem adeò voluntati contraria, ut ſi voluntariè amplectatur, tribulatio non ſit. Amor delectabilis, jucundus, & ridens; tribulatio individuos habet ſocios triſtitiam, dolorem, & planctum. Amor adeò bonus eſt, ut nil melius ſit; tribulatio adeò mala, ut peccatô exceptô, nil pejus exiſtat. Amor omninò eſt perfectus & integer; tribulatio ex omni parte defectuoſa & inutilis. Quomodo ergò poſſibile erit ex tribulatione naſci amorem.

Ibidem.

Joan. 3. 6.

Eccli. 24. 24.

4. Clariùs idem probemus, pulcherrimum amoris ſymbolum, fructus vitis ſemper fuit habitus; ideoque Deus de populo ſuo ingrato non amante, ſub metaphorâ vineæ conquerebatur, dicens: *Expectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas.* Sapiens quoque ait: *Vinum novum amicus novus.* Vitis ultra dulcedinem & vini inebriantis productionem, aliâ inſigni proprietate pollet, quâ ſymbolum amoris eſt; ut cùm alii fructus jam maturi ex arbore decidunt, uva è contra ſive botrus vineæ numquam ex ſe decidit. Pari modo aliæ virtutes quæ omnes ſunt fructus Spiritûs ſancti, quandoque ab anima decidunt, ſed amor numquam, dicente Apoſtolo: *Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur, charitas numquam excidit.* Botrus ergò vineæ eſt amor. Tribulatio autem quid eſt? ſpina eſt, dicente Scripturâ: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Ecce quomodo tribulatio in mũdum venit. Idem quoque Propheta regius declarans, ait: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* S. Bernardus in hunc locum ſcribens, ait: *Spina pœna eſt, ſpina falſus*

Vinum amoris ſymbolum.

Iſai. 5. 4.

Eccli. 9. 15.

1. Corint. 13. 8.

Gen. 3. 18.

Pſal. 31. 4.

S. Bernard. ſerm. 48. in Cantic.

na falsus frater est, spina malus vicinus est. Ab his ergò spinis uvas colligere velles? non audis Salvatorem nostrum id quasi impossibile arguentem: *Numquid colligunt de spinis uvas?* An fortè ex his spinis uvas colligere prætendis, nequaquam ita fiet.

Matt. 7. 16.

Amor non vincitur armis.

5. In hoc quoque ars à natura non differt, ad suos quippe effectus producendos proportionatis, & non contrariis instrumentis utitur. De Philippo Macedonum Rege me legisse memini, quòd cùm ad Byzantium obsidendũ armato exercitu properaret, Philosophus inde emissus, sciscitatus est cur tanto exercitu civitatem illam aggrederetur, quidve prætenderet? cui ille, sponsam dilectam, civitatem nempe vestram, convenire cupio, ut ab illa recipiar. Philosophus autem subridens, ait: arma non amoris, sed odii sunt indicia; non sponsus, sed inimicus gladio & arcu munitus venit: *Qui redamari cupiunt, haudquaquam cum gladiis venire solent ad fores Amasiarum. Amantes enim non egent bellicis instrumentis, sed civilibus.*

6. Nec Philosophus solùm, verùm etiam mulier alioquin vilis id dicere noverat, cùm enim ad illam plurimi amorem simulãtes cum armis venissent, ut violenter domum occuparent, quid inquit, insipientes agitis? non his instrumentis mulierum amor impugnatur, non animus illarum armis aut minis, sed donis ac muneribus ac mutuo amore vincitur. Si Deus igitur animum nostrum vincere & per amorem allicere prætendit, non per tribulationem id exequetur; ita nempe Philippo Regi similis esset. Tribulationes siquidem quid aliud sunt quàm gladii, instrumenta bellica, & vulnera? rectè igitur illi responderi posset; Domine si amari cupis, noli armis inimicis, sed amoris instrumentis uti. In historia sacri amoris cœlestis amans, fores dilectæ suæ adiens, non armis aut feritate munitus, sed dulcibus verbis ac suavi colloquio eam demulcere studet, dicens: *Aperi mihi soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* In Apocalypsi quoque sponsus ait: *Ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, cœnabo cum eo & ipse mecum.* Hi ergò veri modi amorem conciliandi, non per tribulationes & afflictiones.

Tribulatio non conciliat amorem.

Cant. 5. 2.

Apoc. 3. 20.

Amor otiosis convenit.

7. Dico insuper, si amor jam productus esset, tribulatione adveniente destrueretur, dicere quippe solemus, amorem otiosorum esse, juxta illud Poëtæ:

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.

Hujus rei ratio est, quia amor

totum hominem desiderat, & præcipuè cogitationes possidet; negotiis autem intentus, attendere non potest. Quid autem magis hominem rapit & otia tollit quàm tribulatio? necessitas hominem solertem & sollicitum reddit; tribulatio multis indiget, ideoque nec in otio permanere, nec somno indulgere concedit. Homerus in bello Trojano fingit omnes milites, Trojanis exceptis, requiescere, hi quippe afflictione oppressi, pro patriæ & propriâ salute vigilare & attendere debebant. Dices fortassis hoc in amore prophano, non verò in amore divino locum habere. Quinimò tam in hoc, quàm in illo, amor divinus totum desiderat cor: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Negotiis tamen occupatus, iis attendere debet. Salvator noster præclarè id nobis indicat, dum rationem reddit, cur multi verbum Dei non eâ, quâ par est, utilitate & reverentiâ percipiunt, ait enim: *A sollicitudinibus & divitiis & voluptatibus hujus vitæ suffocantur.* Et S. Paulus ait: *Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus.* In verbo, *militans Deo*, amans intelligitur, Poëtâ attestante:

Amor divinus totum hominem quærit.

Deut. 6. 5.

Lucæ 8.14.

2. Ad Timoth. 2. 4.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.

Clariùs idem Salvator Marthæ dixit: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium.* Sancti omnes Dei amatores adeò sollicitè solitudines & recessus inquirebant, ut à cunctis negotiis & turbationibus liberi, soli Deo ferventiùs vacare possent. Tribulatio ergò occupationum & sollicitudinum mater, noverca amoris divini erit, ipsamque destruere conabitur. Cùm Philosophus interrogaretur, quid remedii esset ad amorem rejiciendum; respondit, fames; necessitas nempe corporalis optimum est remedium, illa siquidem hominem ad alia attendere non sinit, quàm proprio bono.

Lucæ 10. 41.

8. Clariùs quoque idem ratione philosophicâ exhibetur, aiunt quippe philosophi, unum contrarium aliud expellens, ab illo quoque expelli; quia: *Omne agens agendo repatitur*; duobus quippe contrariis contendentibus, licèt unum viribus superet, non tamen ab alio pati desinit. Sed quis nescit amorem tribulationem repellere? da amantem, omnesque tribulationes superatas videbis. S. Jeronymus id egregiè testatur, dicens: *Nihil amantibus durum, nullus difficilis labor in amore.* Patriarcha Jacob suo id exemplo nobis exhibet, dum præ amore Rachelis quatuordecim servitutis annos libenter suscepit, unde

Amor tribulationem expellit.

S. Jeron. epist. 22. ad Eustoc.

unde dicit Scriptura Sacra: *Videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine.* Nec tribulatio solùm ab amore repulsa, verùm etiam timor ejus, teste Scripturâ sacrâ: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Timor quoque cum immensâ lætitiâ, quam amans quandoque sentit, esse non potest. Ad hoc intentum egregiè notat S. Gregorius Papa inquirens cur sacra Script. de Elcana dicit, quòd primâ vice quando templum adiit, adoraverit; in secunda autem vice, nullam adorationis mentionem fecerit, sed solummodo sacrificii oblati; cujus rei rationem reddens, ait: *Quamquam sine magnâ veneratione omnipotentis Dei electa anima numquam assistat, tamen velut immolat, & non adorat, dum sic illâ summâ felicitate fruitur, ut dejectione timoris nulla quatiatur.* Si amor igitur tribulationem expellat, à tribulatione pariter expulsus erit, nec simul esse poterunt. Cùm infantem ablactare cupiunt, ne dulcedine lactis alliciatur, amaritudinem uberibus affingunt, ut illam gustans, saporem & amorem lactis deserat. Tribulatio quid est? amaritudo & absynthium, juxta dictum Jeremiæ Prophetæ: *Recordare transgressionis meæ, absynthii, & fellis.* Cùm hæc ergò amaritudo uberibus divinis imposita reperiatur, certum est omnem auferre amorem.

1. Joan. 4. 18.

S. Gregor. in 1. libr. Reg.

Threnor. 3. 19.

9. An fortè amor naturâ suâ insolitus fugere, quinimò avibus similis, ideò illi alæ affictæ, citò adveniens, citò discedens, absq; eo quod aliquis advertere possit. Hoc S. Scripturę testimoniô clariùs reddetur, ubi nos siquidem legimus: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Septuaginta Interpretes legunt: *Alæ ejus, alæ ignis.* Alas ergò gerit amor, quia sublimia ipsi petenda, nec in his inferioribus commorandum; & quia summè levis & velox naturam volucrum imitatur. Sed quomodo capiuntur aves? illas terrendo? nequaquam, sed cibo convenienti alliciendo, ramis viridibus aliisque avibus illudendo, ut in rete decidant aut visco firmentur; è contrà verò si saxa projicias aut exterreas, in fugam convertes. Pari modo si amorem cujusquam allicere velis, munera, favores, & delitias transmittis; si verò damna inferas, si affligas, si lapides injicias, in fugam abiges, & loco amoris odium concitabis. Nec credatis velim me hoc solùm fingere, audite Sapientem de Spiritu sancto hoc proferétem: *Mittens* (inquit) *lapidem in volatilia, dejicit illa, sic & qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam.* Si injuria igitur id efficiet, quid vulnus aget? S. Gregorius Papa conflictum inimicorum describens,

Amor velocissimus.

Cant. 8. 6.

Tribulatio amorem fugat.

Eccli. 22. 25.

scribens, quid unaquæque virtus patiatur dicit, quod: *In corde nonnumquam per flagella turbatur charitas, per formidinem quatitur spes, per quæstionem pulsatur fides.* S. Gregor. lib. 2. moral. cap. 27. Sicut ergò spes majorem non habet inimicum quàm timorem, nec fidei quis magis insidiatur quàm temeraria curiositas; sic charitas & amor à nullo magis impugnatur quàm à tribulatione.

Tribulatio odium generat.

10. Nec amor solùm per tribulationem fugatur, verùm etiam odium generatur & introducitur. Appetitus irascibilis instar canis est hortum custodientis & contra spoliantes aut invadentes oblatrantis; sicut nos tribulans rectè efficit, oblatrans & mordens. Dicere solemus, Legatum nulli pœnæ obnoxium, licèt enim mala nuncia adferat, non tantùm non meretur pœnam, verùm etiam mercedem & laudem, quia tempus præparandi tribuit: *Iacula pravisa minus feriunt.* Natura tamen adeò tribulationi contraria, ut illam prædicens, odium sibi concitet. De Tigrane refert Plutarchus, quòd illum occidi jussit, qui exercitum Romanum confines suos petere afferebat. Rex quoque Achab dixit de Michæa Propheta: *Ego odi eum; quare? quia non prophetat mihi bonum sed malum.* 3. Reg. 22. 8. Si malorum prædictio causa est odii, quid non erit malorum exhibitio? David hanc consequentiam optimè formabat, & per hanc duobus occisoribus mortem annunciabat: *Vivit Dominus* (inquit) *quia eum qui nunciaverat mihi & dixerat, mortuus est Saul, tenui & occidi eum; quantò magis nunc, cùm homines impii interfecerint virum innoxium, non quæram sanguinem ejus & auferam vos de terra?* 2. Reg. 4. 10.

Odium qualiter generatur?

11. Dico insuper, qui discordias & zyzania inter amicos seminare cupit, nullo meliori medio uti potest quàm dicẽdo, talis est mali [illegible], aut tribulationis causa. Dæmon omnes nocẽdi modos cognoscens, volens patientem Job contra proximum incitare, hoc modo adorsus est, nunc illi annuncians: *Irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia.* Job 1, 15. Nunc: *Ignis Dei descendit de cœlo, & tactas oves puerosq; consumpsit.* Ibid. 16. Sed cur inquit de cœlo? quia Job persuadere volebat, Deum omnium malorum ejus causam esse ipsumque persequi; sed ad quem finem, ut eum diligeret? nequaquam, sed ut odio haberet, tribulatio ergò odium auctori excitat. Dices fortassis, nullam de Deo conquerendi occasionem habemus, cùm enim sit Dominus omnium, cuncta auferre & donare potest, prout S. Job testabatur, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Ibid. 21. Verum quidem est Deum esse omnium Dominum,

num, & suum, non nostrum auferre; si tamen aliquis tibi quidpiam concedat, & statim repetat, nónne indignationem commovet? ita testatur Sapiens, dicens: *Hodie fœneratur quis & cras expetit, odibilis est hujusmodi homo.* Talis agendi modus Deo placere videtur, dicente Prophetâ Job: *Visitas eum diluculò, & subitò probas illum.* Vix Domine favores tuos illi contulisti, & subitò per tribulationem illum probas.

Eccli. 20. 16.

Job 7. 18.

Tribulatio amoris signum.

12. Dices Deum id amore nostri peragere, sed num alius modus dilectionis illi suppetit? aliquid apertè & clarè dicere valens, & amphibologiâ utens, aut contraria fingens, se odiosum reddit; sophistica quippe locutio in conversationibus nauseam parit. Sapiens id præclarè testatur, dicens: *Qui sophisticè loquitur odibilis est, in omni re defraudabitur.* Quia alium verbis decipit, decipietur, & dabitur ei quod non petit. Si ergò dicas tribulationem signum amoris esse, bene quidem ais, sed signum sophisticum est, quia amphibologicè, & ambiguè tale dicitur; nec minus signum odii quàm amoris dicendum. Si enim S. Paulus ait, ideò signum amoris esse, quia: *Flagellat omnem filium quem recipit.* Etiam ait signum odii & indignationis esse, quia: *Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum.* Ita ut eô modô quô se amantem declarabit, ad odium quoque & indignationem concitabit.

Eccli. 37. 23.

Hebr. 12. 6.

Rom. 2. 9.

Zelotypia sepulchrum amoris.

13. Hic fortè sensus verborum illorum erit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Ubi per æmulationem intelligitur suspicio quòd non ametur, quæ suspicio ex variis capitibus oriri potest, sed particulariter per tribulationem, cùm enim hæc vel ab odio, vel amore causari possit; suspicabitur ad minus illam patiens ab exiguo amore procedere. Simile exemplum Gedeon formabat dum ab Angelo salutatus: *Dominus tecum virorum fortissime.* Dixit: *Si Dominus nobiscum quomodo apprehenderunt nos tot mala?* De hac igitur suspicione & æmulatione loquitur Sapiens, cùm dicit: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Quasi diceret, sicut corpus mortuum in terra positum subitò dissolvitur & in cineres redigitur; pari modo dum amor ab hac suspicione læditur, quasi sepultus & ad nihilum redactus videtur. Quod si solâ suspicio ambigui amoris id efficere possit, quid non efficiet odium jam quasi conceptum? Ægyptii sapienter in igne amorem, & in aqua odium figurabant; inter alias autem rationes hanc assignantes, quòd sicut aqua extinguit ignem, ita

Cant. 8. 6.

Judic. 6. 13.

Cant. 6. 8.

Odium extinguit amorem.

odium extinguit amoré. Nónne insuper Scriptura sacra tribulationes nivium thesauros appellat? ita Job attestatur, dicens: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinum aspexisti, quæ præparavi in diem belli.* Sicut ergò à frigiditate nivis calor extinguitur, pari modo ab odio amor destruetur.

Job 38.22.

14. Quis denique umquam vidit quòd virgæ usus amorem conciliet? timorem quidem conciliare potest, sed huic odium conjunctum, unde quidam ait: *Oderint dum metuant.* Cùm S. Paulus nobis modum amoris conciliandi indicare vellet, non dixit persequere, calumniare, & offende inimicum; sed ait: *Si esurierit inimicus, ciba illum; si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Hoc edocuisse videntur Poëtæ Gentiles, dum finxerunt Hydram non potuisse ferro perimi, nam uno capite amputato, septem alia surgebant; sed igne comburi debere; indicare volentes odium, & inimicitiam non ferro vindicativo, sed igne amoris delenda, ideoque S. Paulus ait: *Carbones ignis congeres super caput ejus.* Extingues nimirum, omnem odii fomitem. Ob has, similesque rationes negare nequeo conclusionem meam extraneam & paradoxicam videri; tribulationem nimirum optimum esse medium amorem conciliandi; verissima tamen est ut manibus palpabilem vobis exhibebo, si attenderitis. Nec miror hanc vobis extraneam apparere, quis enim mihi dicenti, aquam ignem accendere, credere vellet, cùm quotidie contrarium experiamur? verum tamen est illam ignem accédere. Nec vobis hîc exhibere cupio fontem quem Plinius ideò mirabilem describit, & S. Augustinus refert, si faces accensæ ei admoveantur, extinguuntur, si verò extinctæ immergantur, subitò accéduntur. Id siquidem fabulosum magis quàm historicum videtur, nec credo aliquem se hoc vidisse jactare posse. Experientiâ igitur quotidianâ id vobis exhibere cupio.

Amor beneficiis acquiritur.

Rom. 12, 20.

Tribulatio verè amorem conciliat.

15. Accipe vitream amphoram aquâ plenam, & ardentibus solis radiis illam expone, ut transplendentes aliam partem illuminent, tantùm abest ut vigorem propter aquam amittant, quinimò potiùs augeant, & escam ex aliâ parte positam accendant; licèt ergò aqua operationem terreni ignis impediat, cœlestem tamen ignem à sole provenientem mirabiliter adjuvat. Pari modo dicendum in casu nostro spiritualiter accidere, quid enim est tribulatio nisi aqua? *Aquæ multæ non potuerunt extinguere* Cant. 8. 7.

Tribulatio ut aqua accendit amorem.

chari-

charitatem. Quid amor divinus nisi ignis ab æterno sole justitiæ productus? *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Quid ergò mirum si hi radii per hanc aquam transplendentes ignem faciliùs producant? nónne meministis Prophetam Eliam aquâ sæpiùs holocausta perfudisse, ut ad ignem cœlestem meliùs concipiendum disponeret? nónne legistis in libris Machabæorum, dum certa aqua crassa sacrificiis infunderetur, ad primum solis radium ignem fuisse productum? nónne recordamini facti S. Mariæ Magdalenæ, quæ aquam lacrymarum adferens, & solaribus divini amoris radiis se opponens, subitò ignem concipiens, à Salvatore audire meruit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum?* nónne denique quotidie id experimur? quoties Deus inspirationis suæ radios adolescenti isti immittit, ut malam conversationem deserens, peccatorum pœniteat, & ad se convertatur? à concionatoribus, confessariis, & amicis admoneri curans non audit, unde tribulationem aut infirmitatem immittens in mortis periculum injicit; tunc subitò in vota precesque ruens, clamare incipit; ô si vel semel ex hoc lecto surrexero, numquam Deum offendere cupio. Unde creditis ardens in eo desiderium accensum numquam ampliùs Deum offendendi? unô verbô dicam, quia inspirationis divinæ radii per tribulationis aquam transeuntes, majorem habuerint vigorem; ideò cor durum & obstinatum emollire potuerunt, ut meliùs divini amoris ignem conciperet quod anteà effici non poterat. Hoc fortè S. Paulus indicare volebat, quod cùm tertiò Dominum rogâsset, ut ab ingenti tribulatione eum eriperet, responsum accepit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Sed quomodo hoc intelligendum? nónne contraria sunt fortitudo & infirmitas? omninò, sed illud est paradoxum nostrum, unum contrarium alio fortificari; *virtus,* ecce solaris radius; *in infirmitate,* ecce aqua; *perficitur,* ecce quomodo vires acquirit & ignem producit; ideoque dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

Lucæ 12. 49.

3. Reg. 18. 34.

2. Machab. 1. 31.

Lucæ 7. 47.

Tribulatio majorem fervorem accendit.

2. Corinth. 12. 9.

Ibidem.

16. Si quoque scire cupitis, cur aqua tribulationis igni mundani amoris sit contraria non verò igni amoris divini? propter insignem inter ambos amores differentiam idipsum accidit. Amorem nimirum mundanum, hominem extra se rapere, divinum autem sibi ipsi recolligere, propterea Ruben dixit Pater: *Effusus es sicut aqua*

Diversitas amoris mundani & divini.

Gen. 49. 4.

aqua, non crescat. Et est vulgaris sententia: *Anima magis est ubi amat quàm ubi animat.* E contrà verò ut peccatores ad Deum amandum reducamus,
Isai. 46. 8. dicitur illis: *Redite prævaricatores ad cor.* De filio autem prodigo quid dicitur: quòd in se rediens, patris sui recordabatur, & ad illum pergere cogitabat. De præceptis quoque divinis in amore con-
Deuter. 30. 14. sistentibus dicitur: *Iuxta te est sermo in ore tuo, & in corde tuo.* Ut videlicet præce-
Tribulatio hominem in se reducit. pta mea adimpleas, non longè discedendum, sed sufficit cor tuum intrare. Quid modò tribulatio efficit? hominem sibi ipsi restituit; sicut enim limax attacta cornua retrahit, ita homo afflictus cogitationes suas in se retrahit. Propheta David id rectè cognoscens, de aliquibus extra se divagantibus, & vix se homines esse recordantibus, dice-
Psal. 9. 21. bat: *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant Gentes quoniam homines sunt.* Alii legunt: *Constitue Domine timorem.* Si igitur amori divino prodest, in seipso recolligi, & prosperitas nos ad extra rapit, ac tribulatio nos nobis ipsis reddit, clarum est amori divino tribulationem plurimùm prodesse.

Quomodo inimicitia 17. Aliô quoque modô tribulatio amoris divini causa est, prout nimirum in mundo quandoque videmus, inimicitiam causare amicitiam, quæ *occasio amicitiæ.* tamen illi maximè contrarìatur; per accidens autem una causa alterius est, etiam propriâ renitente voluntate. Ratio politica postulat, ut si ego me inimicum reddam inimico alterius, ille me amare tenetur; & si duos habeam inimicos potentes, uni me reconciliari procurem, ne duobus resistere difficile sit. Illa igitur inimicitia quam cum inimico meo exerces, occasio amicitiæ inter nos erit; sicut si inimicum meum diligeres & defenderes, inimicus meus efficereris. Licèt quoque Deus ipse legem contra inimicos tulerat, ut se tamen amicissimum populo Hebræorum exhiberet, dicebat: *Inimicus ero inimicis tuis.* Exod. 23. 22. Et: *maledicentibus tibi maledicam, benedicentibus tibi benedicam.* Genes. 12. 3. Inimicitia ergò amicitiæ quandoque causa est, & è contrà.

18. Inter Deum & mundum summa est inimicitia, protestatur quippe sibi nihil cum illo agendum: *Ego non sum de hoc mundo.* *Amicus mundi inimicus Dei.* Joan. 8. 24. Licèt quoque pro crucifixoribus rogaret, pro mundo tamen rogare noluit, apertè dicens Patri cœlesti: *Pater pro eis rogo non pro mundo.* Joan. 17. 9. Quasi mundus excommunicatus esset, pro quo non licet

orare,

ciare, & Dei inimicus constitueretur: *Qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Unde dicere possumus amicum mundi Dei inimicum esse. Quid igitur efficit tribulatio? inimicum mundi te constituit, dicente Salvatore: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Cùm afflictus igitur se à mundo odio habitum & despectum videat, quid ipsi agendum? ad alterum recurrere inimicum, illumque amicum constituere debet; cùm verò nullum potentiorem habeat inimicum quàm Deum ipsum, ille sibi reconciliandus. Celidonius cœcus natus à Christo illuminatus, & à Synagoga ejectus, ad Christum rediit, à quo benignè exceptus fuit. Propheta Elias numquam tot favores cœlestes expertus est, quàm cùm Achab & Jezabel eum persequerentur. S. Paulus primus eremita à patria fugitivus, ad Deum se convertens, eremitarum pater effectus est. Pari modo de plurimis aliis dicere possumus, quos mundi persequutio & inimicitia amicos Dei constituit. S. Jeronymus id præclarè intelligens, magnum sibi à Deo collatum putabat beneficium, dum à mundo affligeretur, unde dicebat: *Gratias ago Deo meo, quòd dignus sum habitus quem mundus oderit.* Cognoscebat quippe id efficacissimum esse remedium Dei amicitiam acquirendi.

Iacob. 4.4. — Ioan. 15. 19. — S. Ieron. epist. 99.

Qui dilatatur non elevatur.

19. In rebus naturalibus de hoc optimam habemus similitudinem & rationem, nimirum quòd de agricultura scribentes, dicant arborem ramos suos dilatantem non altè crescere; è contrà verò, si ramos non dilatet, facillimè excrescet. Ratio hujus clarè patet, quia humor per ramos diffusus, truncum impinguare non potest; dum arborem igitur dilatare cupis, summitatem præscinde; si erigere velis, ramos amputa. In hominibus quoque idem videtur, dum enim crescunt macilentiores sunt, dum verò excreverunt impinguantur. Plutarchus refert Spartanos multo labore & exiguo cibo corpora sua extenuare & in altum erigere. Pari modô animæ nostræ evenit, si illa quippe se in exterioribus diffundit & extendit, non elevatur ad Deum; si verò ad cœlum elevatur, non potest ramos appetitûs & desiderii terreni ad inferiora extendere. In Scriptura sacra insigne de hoc exstat exemplum, cùm populus Israël abundantiâ terrenarum rerum repletus subitò à Deo recessit, ideoque de eo dicitur: *Incrassatus est dilectus,*

Deuteron. 32. 15.

ctus, impinguatus, dilatatus. Quid inde sequutum? non excrevit in altum, quia: *Dereliquit Deum factorem suum.* Sub eâdem quoque metaphorâ Propheta Ezechiel idem expressit,
Ezech. 17. 6. dicens: *Crevit in vineam latiorem humili staturâ.* De sponsa in
Cant. 3. 6. Canticis è contrà dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi.* Sed quomodo virga absque ramis? quia virga ascendens constricta esse debet & tenuis, alioquin ascendere non posset. Hujus quoque mysterii Plotinus, licèt Gentilis, cognitionem habuisse videtur; discipulo quippe scribens, hortabatur, ut sculptorem imitaretur, qui semper præscindit & aufert, donec perfectionem statuæ desideratam obtinuerit: *Statuarium* (inquit) *imitare, hic enim abscindit, abradit, abstergit, quousque figuram effingit, sic etiam tu abscinde, abrade, collustra animam tuam.*

In prosperitate ad terrena diffundimur.

20. In prosperitate quid accidit, anima in tantum dilatatur & diffunditur, quot terrenos appetitus nutrit, ideoque ad Dei amorem non elevatur:
Gen. 40. 4. *Effusus es sicut aqua non crescas,* dictum fuit Ruben; sicut aqua deorsum fluit, sic ad terrena devenisti, ideoque ad altiora elevari non poteris. Quid porrò tribulatio efficit? appetituum ramos dissecat, objecta amata aufert, & nos ipsos considerare facit, atque ita occasionem præbet ut ad Deum nostrum erigamur. Propheta Jonas experientiâ doctus, hoc egregiè nobis exhibuit, dicens: *Cùm angustiaretur in me* Ionæ 2. 8.
anima mea, Domini recordatus sum. Nónne insuper in hortorum fontibus conspicimus, quòd dum aquam in altum emittere cupiunt, omnia alia foramina claudant ne inde exeat? anima nostra instar aquæ
est: *Omnes quasi aquæ dilabimur.* 2. Reg. 14. 14.
Per sensus corporales ad terrena exire quærens, in iisque dilatari; hi tamen si benè custodiantur, in altum elevatur, & ad Deum ascendere cogitur. Sicut ergò aqua exitum non reperiens, in tantum elevatur, quantum est origo unde decidit; pari modo cùm anima nostra à Deo sit derivata, & principium cœleste habeat, cuncta terrena sibi clausa reperiens, ad cœlum elevatur, ut Creatorem & Salvatorem suum conveniat. Sponsus in Canticis de dilecta sua id mirabiliter prædicabat, dicens: *Hortus conclusus, fons sig-* Cant. 4. 12.
natus soror mea sponsa, emissiones tuæ paradisus. Hortus es undique conclusus, & fons benè sigillatus, unde aqua nullum reperit exitum, idcirco ad cœlestia conscendis: *Emissiones tuæ paradisus.*

21. Clarius quoque exemplum *Homo tribu-*

latione pressus extollitur.

plum in herbis reperitur; inter has una est Acanthus dicta, particulari proprietate decorata, si nimirum nullo prematur pondere, per terram distenditur; si verò pondus aliquod imponatur, elevatur, largisque frondibus onus impositum complectens, mirabilem format figuram. Talis homo esse videtur, de quo Propheta regius ait: *Manè sicut herba transeat.* Si nullo quippe tribulationis pondere prematur, per terram miserè serpit; ab hoc autem pondere pressus, subitò de terra se elevans, ad Deum conscendit. Optimè hoc intelligebat Jeremias Propheta, ideoque dicebat: *Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua, quia levabit se.* Sed quare bonum? quia *levabit se*; tunc quippe terrena deserens, cœlestia conscendit, ab amore mundano ad divinum se erigens. Hanc tribulationis virtutem virgo quædam experta, de qua in vita S. Birgittæ, quæ cùm cœca esset, ad Sanctam confugit, ut visum ei impetraret, quod obtinuit; sed ubi primò in se collecta, animum facillimè ad Deum elevare poterat; jam videns, adeò per terrena divagabatur, ut devotionem illam totaliter amitteret, unde sanctam Birgittam denuò precata ut cœca fieret, multò melius æstimans lumine temporali quàm æterno privari, & rebus cœlestibus quàm terrenis inhærere posse.

Psal. 89. 6.

Threnor. 3. 27.

Vitis in altum erigenda.

22. Magis tamen proposito nostro congruit exemplum vitis, cujus fructus etiam adversariis testibus, symbolum amoris est. Qui fructu vitis uti desiderat, non illam in terra serpentem, & folia extendentem permittere debet, sed à terra elevando, in altum erigere, strictè ligare, purgare, superfluitates præscindere, & charioribus membris privare oportet. Licèt enim inde dolorem sentire, & abundantes effundere lacrymas videatur, postea tamen tantò meliorem fructum producet, cùm superfluo humore purgatus, in altiorem palmitem elatus fuerit. Poëta Virgilius de vitibus curandis scribens, idem remedium assignat, dicens: *Exsudat inutilis humor.* Ingeniosi quidam super hoc emblema conficientes, & ad dictum illud Evangelicum alludentes: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vitem frondibus & ramis spoliatam, sed fructu onustam hoc dicto addito finxerunt: *Depauperata ditesco.* Quia nempe frondibus & ramis superfluis spoliata fuerim, ideò majores affero fructus. Illud porrò Salvator noster affirmavit, dicens:

Matth. 5. 3.

Spoliata ditescit.

Joan. 15. 2.

cens: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.*. Pari modo nobis accidit, quantò etenim magis tribulationis ferro præscindimur, mortificamur, vulneramur, cunctisque superfluis spoliamur; tantò majori abundantiâ bonorum operum fructum, & amorem divinum producimus.

Tribulatio torcular vini.

23. Quinimò ut cognoscamus quàm necessaria sit tribulatio amori divino, non sufficit vino uti volenti, ut vitis purgetur, & putetur; verùm etiam ut uva producta benè conculcetur & exprimatur, ac torculari supposita affligatur, & conteratur. Hac similitudine S. Augustinus ad tribulationis utilitatem monstrandam rectè utebatur, dicens: *Vva in vite pressuram non sentit, integra videtur sed nihil inde manat. Mittitur in torcular, calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ; sed ista injuria sterilis non est, imò si nulla injuria accederet, sterilis maneret. Quicumque ergò sancti pressuram patiuntur, &c.* Hujus similitudinis occasionem ex Psalmo 55. sumpsit, in quo dicitur de Davide, quòd: *Tenuerunt eum Allophyli in Geth*; quæ civitas Achis Philistinorum Regis, significans *torcular*, nec sine mysterio inquit S. Augustinus, sed ad indicãdum quòd tribulatio justis idem efficit quod torcular uvis. Ut Deo ergò suavissimum amoris vinum exhibeamus, in tribulationis torculari illud exprimendum.

S. August. in Psal. 55.

Psal. 55. 1.

Diversitas inter animalia perfecta & imperfecta.

24. Nec certè nobilior & perfectior generatio amori adscribenda erat. Magna est diversitas inter productionem animalium imperfectorum & perfectorum, prima in mundum veniunt absq; ullo dolore aut angustia producentis; sic arbor è terra absque ullo doloris sensu nascitur, sic conchilia in mari, ranæ in paludibus, aliaq; similia imperfecta animalia absque ullo doloris aut angustię sensu à matre procedunt. Animalia autem perfecta, ut leo, equus, bos, & multò magis homo, non absque ingenti matris dolore procedunt, juxta divinam sententiam Evæ inflictam: *In dolore paries filios.* Sed quis nescit amoris perfectissimum compositum *vinculum perfectionis* ab Apostolo vocari; quomodo ergò absque dolore materno prodire potest? hoc egregiè S. Gregorius Nazianzenus explicat, dicens:

Gen. 3. 16.

Ad Coloss. 3. 14.

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asperos parturit, non pocula.

Quasi diceret, si amicus non sit dolore partus, fidus esse nequit; per tribulationẽ tamen adeptus, dignus & sincerus amicus erit.

Amicus fidelis in tribulatione nascitur.

25. Hæc doctrina Sapientis dicto

Prov. 17. 17. dicto conformis: *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Vel sicut textus Hebræus legit: *Frater in angustia nascetur.* Non credendum, videlicet hunc charum amicum in deliciis & prosperitate nasciturum, sed in angustiis & tribulationibus. Nec Plato propter sapientiam ab antiquis divinus vocatus, ab hac opinione discrepavit; occulta quippe philosophiæ sub fabulis describens, ut amoris nativitatem exhiberet, fingebat, Deos in cœlo simul epulantes, & quodam illorum Poras dictô, à mensa discedente, in horto Jovis mulierem reperiens Peniam vocatam, paupertatis Deam, illam gravidam reliquit, ex qua postea amor natus. Juxta Platonem ergò amor à paupertate & miseria natus dicitur.

Vnde amor natus.

Amor ex adversis crescit.

26. Nec solùm nascitur, verùm etiam absque ejus auxilio educari nequit. Cùm verò à fabulis inceperimus, aliam Platonis discipuli adjungamus; cùm Venus (inquit) amorem produxisset, advertit illum crescere non posse, unde dolens, Deam Themi vocatam consulens, intellexit illum numquam cresciturum nisi socium haberet juvenem, Anterotam dictum, id est contra amorem, quem cùm Venus produxisset, vidit primum suum partum, amorem nempe, mirabiliter crescere. Amor ergò contrario illum excitante indiget, nisi enim sollicitetur & affligatur, numquam proficiet. Igni in eo simillimus, qui nisi vento agitetur & excitetur, numquam progredietur. Cur quoq; creditis matres tãto amore filios prosequi, ut Aristoteles dicat, majorem esse amorem matris quàm patris? rationem autem reddens, ait; quia ingenti dolore eos parturiunt; cùm ergò filius plurimi doloris matri sit occasio, ab ipsa multùm amatur, quia dolor & tribulatio amorem augent, difficiliùs adepta chariora sunt.

Amor & dolor semper simul.

27. Nónne videmus insuper, tantam esse unionem inter amorem & dolorem, ut unus absque altero esse non possit? Daniele referẽte amorem quô duo senes judices castam Susannam prosequebantur, ait: *Erant ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum.* Dan. 13. 10. Ecce quomodo amor & dolor simul conjunguntur; in sacris Canticis sponsa amorem suum indicare nequit, nisi per verba dolorem indicantia, nunc se languere, nunc vulneratam, nunc ferè præ amore mortuam asserens; dilectum quoque non rosam aut lilium, sed myrrhæ fasciculum appellat, dicens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cant. 1. 12.

Magnes amoris amor. 28. Alio quoque insigni modo tribulatio amoris causa dici potest. Certissimum est nullum efficacius amoris remedium quàm amare: *Si vis amari, ama.* Sed amor cognitus esse debet, unde videmus amantes tantas inventiones exhibere, ut amorem suum indicent, si enim cognitus fuerit, amoris ignem in alio concitabit. Deus noster summopere nos diligit, sed vix amor ejus à nobis cognoscitur: *Dilexi vos* (inquit per Prophetam) *& dixistis, in quo dilexisti nos.* Ingens audacia à Deo signa veri amoris quærere, quasi in mundo non sufficientia reperirentur. Ita tamen cuncta ab hominibus procedunt, nec defuerunt inventiones divinæ, quibus amorem suum patefaceret, unde Isaias has admirans, exclamat: *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Non ita tamen hæc dona amoris Dei percipiuntur ut par est, quia talia aliis adscribuntur, illisque amor noster addicitur, ut faciebat anima illa ingrata quæ Deo dicebat: *Vadam post amatores meos qui dant mihi linum meum, & lanam meam.* Quod ergò remedium ut amor sincerus erga Deum excitetur? tribulatio, quia per hanc dona & bona auferendo, ipsum, non verò alios hæc dedisse nobis exhibet. Sic per Osee Prophetam Dominus illi ingratæ respondit: *Hæc nescivit quia dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum; idcirco convertar & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum, &c.* Quis verò hujus tribulationis fructus erit? reversio ad proprium maritum, dicente Prophetâ: *Et erit in die illa, vocabit me vir meus;* cùm viderit me beneficia ejus recognoscere.

Malach. 1. 2.

Isai. 12. 4.

Osee 2. 5.

Ibid. 8.

Ibid. 16.

Amici mundani sicut torrens. 29. Dico insuper, in tribulatione cunctos amicos nos deserere, sed Deum tunc maximè nobis adesse & consolari, unde clarè cognoscitur, quàm verus & sincerus sit amicus, & quomodo nos diligat. Optimè S. Job id in tribulatione & afflictione sua cognoscens, dicebat: *Fratres mei pertransiêrunt me sicut torrens.* Qui in prosperitate mea tantam mihi exhibebant amicitiam, nunc mei obliti fuerunt. Rectè quoque ait, sicut torrens modò plenus rapidissimè currens, & ripas ac agros destruens; modò vacuus & inanis. Tales quippe sunt mundani amici, inconstantes, mutabiles, modò pro te se morti offerre volentes, modò te non cognoscentes prosperitatis tempore tua comedentes & rapientes, sed tempore adversitatis te deserentes. Deus tamen in adversitate se benigniorem exhibet, dicente patiente

Iob 6. 15.

Deus in tribulatione benignior.

tiente

Ibid. 42. 5. tiente Job: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Primò famâ te cognoſcebam ſicut perſonam longè diſſitam, modò autem tribulatione oppreſſus video te; quia non dedignaris ſervum tuum in afflictione conſolari. De Joſepho in Ægypto afflicto & incarcerato
Ibid. 10.13. dicit Sapiens: *Deſcenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* O quàm bonus Deus, quàm ſincerus amicus ſe diligentibus. Angeli meliores ſunt hominis amici; cùm tamen Daniel in lacum leonum dimiſſus fuiſſet, non legimus Angelum cum eo deſcendiſſe, ſed Habacuc per capillos accipiens propè lacum poſuit, & Danieli prandium tribuere juſſit, quò peracto iterum domum retulit; quia Deus ſolùm benignitate ſuâ afflictis eodem in loco adeſt & pœnas ſublevat. Tribulatio ergò edocet diverſitatem inter divinam & mundanam amicitiam, unde propter benignitatem ſuam ad amorem ſui nos excitat. Cùm videamus igitur Deum erga tribulatos tantam exercere charitatem, illam quoque in pauperes expendamus, largam iis eleemoſynam tribuendo.

SECUNDA PARS.

Tribulatio variis modis amorem excitat.

30. Extraneum vobis & admirabile videbatur, tribulationem amoris divini cauſam eſſe; ſed tot modis eum producere reperio, ut neſciam unde incipere velim. Ultra quippe prædicta, alia efficaciſſima mihi ſe offert cauſa quæ ne quidem ultima erit, proprium nempe commodum & lucrum. Nolo autem de efficacia hujus commodi diſcurrere, integer ſiquidem diſcurſus ad hoc non ſufficeret, ſed illam ut notam ſuppono; certiſſimâ experientiâ cognoſcens, nimium in humanis cordibus prævalere, præcipuè autem in amicitiâ concilianda, paucæ quippe reperientur huic fundamento non innitentes. Tribulatio ergò ob proprium commodum nos ad Dei, amorem excitat, nullus ſiquidem Deô exceptô, in tribulationibus nobis adeſſe cupit. Optimè hoc teſtabatur quidam in afflictione poſitus: *Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat; invocavi Dominum Patrem Domini mei, & liberâſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo.* Sicut ergò in proſperitate Dei obliviſcimur, in adverſitate ad illum recurrimus, uti ad eum qui in ſe confidentes numquam deſerit. Romani in proſperitate conſtituti, inſignem belli Ducem Camillum abjecerunt & in exilium expulerunt; ſed à Gallis poſtmodum devicti, & ad extremam calamitatem

Amor ob proprium commodum.

Eccli. 51. 10.

tem redacti, illum honorificè revocârunt, ac victoriâ obtentâ, pristino statui restituentes, patriæ Patrem appellârunt. Dices fortassis non hunc fore verum amorem, sed proprium commodum; respondeo, primò ob commodum id fieri, sed cùm postea Deus adeò benignus reperitur, verè amatur, & tribulationes laudantur quæ talis amoris & benignitatis occasiones fuerunt. Sic de Demetrio Phalerio legimus, quòd cùm Athenis principatu expulsus esset, Thebas profectus cum Crate Philosopho ratiocinari cœpit, ex quo tantam percepit consolationem, ut dixerit; maledictæ sint prosperitates quæ me hucusque tanti hominis consortiô privârunt. Demosthenes quoque oratorem agere cœpit ut bona à tutoribus recuperaret, tantumque ipsi hoc placuit exercitium, ut totâ vitâ suâ id perageret. S. Maria Magdalena quoque Salvatorem pro animæ suæ necessitate adiens, adeò benignum experta est, ut numquam ab eo discedere voluerit, sed continuò adhæserit.

Quomodo tribulatio amorem excitet?

31. Quid ampliùs desideratis? non tantùm homines, sed animalia etiam tribulatione domantur. Efficacius quippe remedium ut animal aliquod mansuetum reddatur, illud est; ut famem patiendo, cibum à quopiam accipere cogatur; illâ siquidem necessitate & beneficiô tanto datori suo afficietur, ut non solùm illum sequatur, verùm etiam abblandiatur, & contra invadentes defendat, ut in canibus sæpissimè experimur. Pari modo hominibus cum Deo accidit, qui enim divinam dulcedinem semel fuerit expertus, numquam ab ea recedere novit, ut in plurimis sanctis patet. Hoc sponsa in Canticis experta videbatur, dum diceret: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Primò ait, *trahe me*, quo gratiam divinam animas attrahentes indicat; postmodùm verò dicit, *curremus*, promptitudinem suam, & liberam voluntatem indicans. Licèt enim in principio per tribulationem & proprium commodum trahamur, dulcedinem tamen ejus experti, voluntariè ex amore sequimur, hoc enim sponsa per *odorem unguentorum* indicare cupit. Quis denique ignorat similitudinem causam amoris esse? *Omne simile diligit sibi simile.* Sed quæ fuit vita Salvatoris hîc in terra degentis? magis misera, afflicta, & dolorosa quàm inveniri poterat; qui ergò Deo similis effici cupit, non in prosperitate, sed in afflictione id consequetur. Numquam legimus Deum divites aut prosperos ad se vocâsse aut laudâsse,

Animalia tribulatione domantur.

Tribulatio Dei amorem excitat.

Cantic. 1. 3.

sed

ſed afflictos & languentes, unde dicebat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Tantò magis inſuper hoc probatur, quòd licèt omnis ſimilitudo ſit aliquô modô cauſa amoris, in tribulatione tamen magis convenit. Inter ſimiles in proſperitate, officiis, ſeu exercitiis ſolet quandoque naſci invidia, communi quippe proverbiô dicitur: *Figulus figulum odit*; quæ in tribulatione locum non habet, in illa ſiquidem ſe mutuò conſolantur & adjuvant; & amicitia in tribulatione parta, optima eſt. Chriſtus quoque hoc optimè cognoſcens, dicebat Apoſtolis ſuis: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit Pater meus regnum.* Sicut ſocii tribulationum fuiſtis, ita gaudiorum ſocii eritis.

Matth. 11. 28.

In tribulatione nulla invidia.

Lucæ 22. 28.

32. Quid modò dicitis, quibus antea mirabile hoc videbatur? amorem & tribulationem ſibi mutuò opponi, & unum contrarium ex alio non naſci? reſpondeo, id ordinariè eſſe verum; per accidens tamen ſæpè fit. Quid nive frigidius? quid calori magis oppoſitum quàm frigus? ſi tamen diutiùs nivem pertractes, manus calefacies; calor ergò ex frigore naſcitur. Tribulatio quid eſt? nix, de qua Deus S. Job dicebat: *Numquid ingreſſus es theſauros nivis, quæ præparavit Deus in diem pugnæ?* Quid ergò mirum, ſi animam frigentem amore accendat? Optimè hoc intelligere videbatur Propheta David, dicens: *Qui dat nivem ſicut lanam.* Sed lana nónne calefacit, & nix frigefacit? omninò ex própria natura, Deus tamen nivem non minùs quàm lanam calefacere efficit. Glacies & nix terram planè calefaciunt, quia vapores includendo ne exeant, illam calidam reddunt. Pari modo tribulatio animam in ſe uniendo, calorem divini amoris in nobis excitat.

Tribulationi amor non opponitur.

Job 38. 22.

Pſalm. 147. 17.

33. Quid dicitis ex ſpinis non colligi uvas? verum eſt, ſed roſa amoris ſymbolum, ex iis benè colligitur. S. Auguſtinus hoc eleganter expreſſit, dicens: *Quô pungeris, inde naſcitur roſa, quâ coronaris.* Licèt quoque non tantâ dulcedine quàm uva ſit prædita, majori tamen odore & pulchritudine excellit. Pari modo licèt amor tribulationis non adeò ſit ſuavis quàm amor proſperitatis, magis tamen utilis & meritorius. Quamvis etiam uva non colligatur ex ſpinis, ab illis tamen defenditur, cum vineæ ſepibus ſpinoſis ordinariè concludantur. Dicamus quoque tribulationes ſpinas eſſe, ſed quales gerit Erinaceus, quibus fructus infigens, ſeipſum

Quomodo tribulatio dulcis & utilis.

S. Auguſt. in Pſal. 52.

replet. Hoc quippe animal partus suos enutrire cupiens, pomarium intrat, non solùm fructibus se satians, verùm etiam spinis insigens, plurimos confert, & ex spinis colligit. Tales ergò sunt tribulationes à dilecto Patre cœlitùs nobis immissæ & ex spinis, quibus caput coronatum est collectæ. Suavissimi ex his spinis colliguntur fructus ut plurimi sancti experti fuerunt. S. Paulus quoque id ipsum testabatur, dicens: *Faciet cum tentatione proventum.* Ex tribulatione vobis immissâ, lucrum & commodum præstabit, quasi diceret, ex spinis fructus colligere licebit.

Quomodo arma amoris instrumenta?

34. Quid dicitis arma ad amorem conciliandum inepta esse? quinimò dico, insignem reddunt illa pro defensione amoris gerẽtem. Deus armis suæ potẽtiæ instructus pulcherrimus apparet, idcirco David de eo

Psal. 44. 4. dicebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Subitò verò hanc pulchritudinem ad-

Ibidem. 5. mirans, ait: *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna.* Hæc arma insuper defensioni nostræ sunt accommoda, quia corpus affligentes animam defendunt, di-

1. Corinth. 5. 5. cente Apostolo: *In interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* Quid dicitis occupationes impedire amorem? verum est, sed divitiæ & prosperitates multò magis cor occupant quàm tribulationes, & impedimenta ab his nata spinæ sunt bonum semen suffocantes, terrenis siquidem cogitationibus & bonis nos immergunt. Sed tribulatio nos bonis operibus, pietati, & orationi intentos reddens, divinum amorem summoperè conciliat.

Occupatio amori prodest.

35. Quid dicitis amorem frequenter tribulatione turbari & deleri? concedamus, cùm de tribulatione dicatur: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* 1. Ezech. 4. S. Gregorius inquit, Deum Job de turbine loqui, quia afflictus erat: *Quia flagellato loquitur, de turbine loquutus fuisse describitur.* S. Gregor. lib. 28. moral. cap. 2. Nescitis tamen quantùm venti mari prosunt, licèt conturbent & quatiant? si aqua marina quieta continuò permaneret, aut corrumperetur, aut non ita munda esset; sed ventis agitata purior evadit, & à plurimis immunditiis evacuatur. Pari modo de corde amante dicite, nisi enim à frigido Aquilone invidiæ, vel aliâ perturbatione agitetur, ut iners & languidum jaceret, & à seipso consumeretur. Ab his ventis agitatum, majorem vigorem & fortitudinem se conservandi, ac indies sese in omni perfectione promovendum recipit, ne gratiam aut benignitatem objecti amati perdat.

Amans tri-

36. Quid dicitis amorem à timore

bulationem non æstimat. à timore in fugam conversum? concedo, sed nónne amantes tribulationem metuunt? nequaquam, non quia sint exempti, (magis quippe quàm cæteri culpâ suâ illi subjacent) sed quia illam non æstimantes in utilitatem & favorem convertunt; eaque magis amoris ignem accendunt quàm extinguant. Quid dicitis tribulationem causare odium? quando cognoscitur ab odio provenire, sed quando ab amore provenit amorem causat, qualis est à Deo immissa: *Quem enim diligit Dominus castigat.* (Hebr. 12. 6.) Quid dicitis loquutionem Amphibologicam ingratam & obscuram esse? verum est, quando fit ne intelligatur illud quod dicitur; (*Amor solitudinem quærit.*) dum verò ita loquimur, ut illa persona sola intelligat cui loquimur, proprius amantium modus est, qui secreta sua nemini patefacere cupiunt. Ad hunc finē litteræ incognitæ aut sigillatæ, aliique modi obscurè scribendi reperti fuerunt. Tales sunt tribulationes, ideoque à S. Job ænigmata vocata: *Ænigmata percipite auribus vestris.* (Job 13. 17.) Et ut dixit Deus per Osee: *Ducam eam in solitudinem.* (Osee 2. 14.) Ecce quomodo tribulatio animam omni consolatione privat, & tamquam in desertum ducit, ut ab omnibus rebus terrenis exuta Deum auscultet, dicentem: *Loquar ad cor ejus*; (Ibidem.) solus soli loqui cupit, ut nemo intelligat vel sciat quid dicere velit.

37. Quid dicitis amorem omnem tribulationem abigere? (*Amor tribulationis causa.*) quinimò nil majoris tribulationis occasionem præbet, ideoq; de illo in Canticis dicitur: *Fortis est ut mors dilectio*; (Cant. 8. 6.) potens videlicet ut mortis tormentum inferat. Verum quidem est, illum efficere ut tribulatio sit minùs acerba, cùm nectare suô illam condiverit. Econtrà verò tribulatio est causa amoris, licèt amaritudine suâ dulcedinem minuat. Quid dicitis suspicari se non amari, sed odio haberi, multò magis torquet quàm tribulatio, & sepulchrum amoris est? benè quidem, sed hoc est quasi dicere amorem in propria domo esse. Quæ propria mortis habitatio? sepulchrum, ita enim David dicebat: *Sepulchra illorum domus eorum in æternum.* (Psal. 48. 2.) Sed amor nónne morti assimulatus: *Fortis est ut mors dilectio?* (Cant. 8. 6.) amor igitur in corde suspicioso, id est, tribulato, ut in proprio tabernaculo erit.

38. Quid dicitis amorem tribulatione ut ignem aquâ extingui? (*Amor tribulatione accenditur.*) quinimò magis accendetur, sicut ignis exiguâ aquâ magis accenditur; unde in fornacibus ferreis aqua quandoq; immittitur ut magis accēdantur. Si autem objicias tribulationes nostras non aquam exiguam,

sed flumina esse; respondebo in Canticis quoque dici: *Aquæ multæ nō potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; quia ignis amoris adeò est ingens, ut flumina respectu illius exigua videantur aqua. Si quoque non ingenti amoris igne accendaris, non permittet Deus ut tribulationis aqua copiosa adveniat, quia supra vires tentari non permittet.

Cant. 8. 7.

Deus afflictos amplectitur & consolatur.

39. Quid dicitis favores, & amplexus, signa amoris esse? verum est, sed jam probavimus illa non cognosci nisi per tribulationem; quem siquidem magis amplectitur Deus quàm afflictum? nónne meministis, quàm benignè filius prodigus afflictus & mœstus, à patre receptus & consolatus fuerit? non expectavit benignus pater, ut ad eum supplex accederet, aut remissionem peccatorum exigeret; sed vix conspectum, licèt ætate & moribus gravis, brachiorum amplexu constrinxit, & super collum ejus tenerrimo affectu corruit. S. Petrus Chrysologus inquit, amorosum stratagema à patre gestum, ut filii nuditatem cooperiret, servis ad vestes tollendas properantibus: *A servis* (inquit) *ante vestire filium voluit, quàm videri, ut soli patri nota esset nuditas.* Postmodùm verò præcepit solemne præparari convivium, musicos advocari, & festa pro reditu filii exhiberi, qualia numquam pro filio majori peracta fuerant, cùm necdum fuisset afflictus. Ex omni ergò parte patet amorem divinum in schola tribulationis addisci posse; ideoque omnes afflictos rogo, ne tantam occasionem divinum amorem conciliandi perdatis, alioquin magna vestra esset insipientia.

S Petrus Chrysol. serm. 3.

Tribulationem renuens insipiens est.

40. Nónne stolidos diceretis, qui uvas exprimentes, & vino abundantes, præ siti morirentur? absque dubio, cùm enim tot labores in cultu vineę, & uvis colligendis, & exprimendis impendissent, ultimò dum fructu uti vellent, præ stoliditate negligerent; non adeò sunt homines insipientes. Hoc vos agitis afflicti, si Deum non amatis; torcular est tribulatio, vinum in hoc torculari expressum est amor, ideò de Christo, amore nostri patiente, inquit Propheta: *Torcular calcavi solus.* Vos igitur torcular istud calcatis, & postmodùm bibere vinum negligitis? nónne advertitis insipienter vos agere? S. Job hos maximè mirabatur, dicens: *Qui calcatis torcularibus sitiunt.* Gens quædam adeò insipiens est, ut vinum exprimentes sitiant. Audite cœlestem sponsum benignè omnes invitantem, & dicentem: *Messui myrrham meam, cum aromatibus meis*

Isai. 63. 3.

Job 24. 11.

Tribulatio vino amoris mixta.

Cantic. 5. 1.

meis, *bibite & inebriamini charißimi.* Quis umquam audivit quòd myrrha bibatur, aut inebriet? non sola, inquam, myrrha, sed vino conjuncta; ideoque Salvatori nostro porrigebant myrrhatum vinum. Ecce quàm insigne compositum hoc est de quo nos loquimur, quàm benè amorem tribulationi conjungit? Salvator noster hoc vinum oblatum gustare noluit, non quia illi displiceret, sed cùm jam amore & afflictione repletus esset, partem nobis relinquere voluit, ut vicissim uteremur. *Bibite* ergò, *& inebriamini charißimi*; sola myrrha nimis foret amara, illam vino amoris miscentes, mirabilem & excellentem efficietis potum. Ibidem.

Tribulatio alacriter sustinenda. 41. Dices fortassis, cur non potiùs ad myrrham comedendam quàm bibendam invitat? quia manducans, dentibus masticat, & tempus consumit, sed bibens, subitò potum deglutit. Non vult Deus quòd tribulationes masticetis, id est, cum nausea illibenter sufferatis, sed ut alacriter illas sustineatis, sicut dulcis potus alacriter bibitur; quinimò avidissimè illas sitiatis. S. Bernardus id nobis egregiè exhibet exemplo sancti Andreæ Apostoli, qui non solùm *patienter*, qui primus est patientiæ gradus, sed etiam *libenter & ardenter*, qui secundus & tertius est: *Ad tormenta sicut ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias properabat.* S. Bernard. de tripl. gener. bonor.

Tribulatio expertis jucunda. 42. Hoc ardore pariter accensus fuit S. Joannes Chrysostomus, unde sicut fervens amans mirabiliter de tribulatione & passione loquitur; de vinculis inter alia S. Pauli sic ait: *Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem & vincula. Si quis me faceret unum ex potestatibus quæ sunt circa cœlos aut circa thronos, aut talem vinctum, potiùs optarem talis esse vinctus, nihil est illâ catenâ beatius.* Hæc, aliaq; plurima, os illud aureum eructabat propter ardentem amoris ignem in eo accensum, qui nullas passiones sentiri efficit, nec catenarum pondus, nec fellis amaritudinem, nec perditionis damnum, quæ tribulationi incessanter adhærent. In cœlesti sponsa id clarè patebit, quæ adeò videbatur delicata, ut pedem extra lectum ponere non auderet, ut sponsum intromitteret; postmodùm verò percussa & vulnerata, nihil doloris sentire videbatur, sed sponso quærendo solummodò invigilare; licèt ergò sociis dicat: *Vulneraverunt me, percusserunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Non tamen vindictam referre cupit, non dolet, non cupit dilecto hoc nuntiari, S. Chrysost. homil. 8. super cap. 8. epist. ad Ephes. *Amans nullam sentit tribulationem.* Cant. 5. 7.

ſed tantùm ejus præſentiam exigit, dicens: *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Non vulnera aut percuſſiones annunciari cupit, ſed amorem ſuum. Quod ſi igitur tanti amoris divini tribulatio cauſa eſt, quomodo non erit à nobis alacriter ſuſcipienda? Quomodo cum amore non agemus, ſicut S. Andreas, cum cruce ſua gebat, illam benignè ſalutans, & invitans ad ſe amabiliter ſuſcipiendum. Quomodo cum S. Ignatio martyre non exultabimus in tribulatione noſtra? quomodo non alacriter occurremus, ut omnes ſancti martyres tormenta ſua amplexi fuerunt? omninò alacriter ſuſcipiamus tribulationis ſpinas, ut inſignem amoris roſam percipere mereamur, & cum Domino noſtro in æternum gaudeamus. Amen.

Cant. 5. 8.



DISCVR-

DISCVRSVS XLVI.

Tribulatio amoris proximi mater, unde afflicti se mutuò amare debent.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Sal amoris in omni sacrificio offerendum. num. 1. 2. 3.
Tribulatio nullum amorem causare videtur. à num. 4. usque ad 10.
Quomodo tribulatio amorem causare possit. à num. 11. usque ad 22.
Amicitia cunctis malis prodest, quam tribulatio excitat. à num. 23. usque ad 27.
Tribulatio amoris & amicitiæ mater. à num. 28. usque ad 31.
Argumentis contrariis respondetur. à num. 32. usque ad 37.
Tribulatio amorem proximi optimè conciliat & docet. à num. 38. usque ad finem.

1. *Cur in omni sacrificio sal adhibendum.* INter plurima mysteriosa pręcepta à Deo populo Hebraico in sacrificiis tradita, ut magis observativum, & numquam omittendum illud frequentiùs inculcatur, nulla sacrificia sine sale offerenda, sic enim ait legislator: *Levit. 2. 13.* *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo, in omni oblatione tua offeres sal.* Sed cur Deus adeò sollicitè præcipit, sal ubique adhibendum? an quia ciborum condimentum, ita ut absque illo omnis cibus sit insipidus? Deus tamen non comedit, nec bibit, unde nullo ciborum condimento indiget. Scio quidem Abulensem dicere, per hoc Deum indicare voluisse, sacrificia illa lautissimam illi exhibere mensam. Hęc tamen opinio ab ipso Deo reprobata videtur, dum per Davidem ait: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* *Psal. 49. 13.* Quasi diceret, nequaquam comedam. Alii affirmant, per sal discretionem intelligi, quæ in omnibus sacrificiis & operibus bonis observanda; si tamen sacrificium, & maximè holocaustum, quod in honorem Dei integrum cremabatur, symbolum amoris divini erat, quomo-

quomodo in eo ſal diſcretionis ponebatur? an ignoratis pulcherrimum loquendi modum S. Bernardi, dicentis: *Modus diligendi Deum eſt ſine modo?* Quem verò locum diſcretio habere poterat in illo ſacrificio, quod totum ab igne conſumebatur? quid per iterata ſalis præcepta Deus ſignificare cupiebat?

S. Bernard. opuſc. de dilig. Deo.

Cur ſal amicitiæ ſymbolum.

2. Si mihi in hoc quid ſentiam dicere liceat, dicam ſal ratione naturæ & uſûs ſemper inſigne fuiſſe amicitiæ ſymbolum. Ex natura, quia in illo duo elementa maximè contraria, ut aqua & ignis, intimè uniuntur. Aqua ineſt, quia ex aqua marina formata; ignis ineſt, quia à ſole & igne ſiccata, perfecta, & in formam debitam redacta. In ipſo ergò duo implacabiles amici, amicabiliter uniuntur. Ex uſu quoque amicitiæ eſt ſymbolum, quia in omni convivio amicitiæ reconciliatrice ſal adeſt; ideoque hoc loco *ſal fœderis* appellatur, id eſt, confœderationis & amicitiæ. Hinc pulcherrimam colligere licet rationem cur Deus in omni ſacrificio ſal adeſſe cupiat; quia ſacrificium ſymbolum amoris divini eſt, quo Deo cor noſtrum ardenti amoris igne concrematum offerimus; ſal autem amoris proximi ſymbolum. Hos duos amores Deus ubique conjungi imperat, idque in nova lege Deus iterum exactè præcepit, ne ullum ſacrificium abſque amoris ſale offeratur, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Quaſi diceret, ſi ſal amoris deferre oblitus fueris, domum revertens, tecum illud adfer, ſicque ſacrificium complere poteris. Hoc ſale ſacrificium conditum, Deo gratiſſimum ſemper extitit.

Sal in ſacrificiis amoris divini, & proximi ſymbolum.

Matt. 5. 23.

Cur ſacrificium Noë Deo gratiſſimum;

Gen. 8. 21.

3. De ſacrificiis poſt diluvium à Noë Deo oblatis, ſubitò dicitur Deo ſuaviſſimum exhibuiſſe odorem: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Sed quis bonus odor ab animalibus mortuis, combuſtis, & ſacrificatis excitari poterat? animalia diu in uno loco ſimul concluſa fœtorem concitant; hæc autem animalia undecim menſibus in Arca concluſa fuerant, non videntur ergò bono odore prædita fuiſſe; pellis inſuper & caro combuſta graviter olere ſolet; quomodo igitur dicitur: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis?* reſpondeo, hoc non intelligi de odore ſenſitivo, qui objectum odoratûs noſtri eſt, Deus ſiquidem ſenſibus externis caret; ſed de conditione grata ſacrificio illi adhibita. Sed qualis hæc conditio? animalia illa pacificè in Arca ſe mutuò com-

complexa fuerant, nec ulla contrarietas aut inimicitia illa diviserat, cùm lupi, & agni, leones & tigres simul commorantes nullus alteri nocuerit, nec timore abegerit. Animal igitur pacificum, symbolum amoris proximi, gratissimum Deo odorem exhibere debebat; non sufficit igitur amare Deum, sed proximus quoque diligendus. Cùm igitur in discursu preterito tribulationem hortum esse dixerimus in quo Rosa divini amoris nascebatur, hodie nobis videre convenit, si Rosam amoris proximi in eo reperire possimus. Licèt autem difficultatum spinas evitare non possimus, illas tamen nobis non obesse, sed prodesse monstrabimus.

Amor mutuus gratissimus odor.

Afflictus ab omnibus odio habitus.

4. Inprimis igitur occurret quis, dicens; totum contrarium patere, & me frustrà desudare, nam sicut prosperis & felicibus numquam amicorum turba deficit, ita à miseris & afflictis unusquisque se abstrahit. Si quis illos amaret, esset frater, uxor, & filii qui ejusdem sunt sanguinis. Sed ab his quoque odio habentur, teste Sapiente: *Fratres hominis pauperis oderunt eum.* Ab uxore irridetur, ut afflictus & patiens Job expertus, dixit: *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Tantô odiô me habebat, ut mihi adesse non posset. In aulis Principum & mundi favoribus hoc clarissimè patet; alicui siquidem favoribus & dignitatibus decorato, omnes assistunt & obsequuntur; si verò gratiam Principis amittens, illis privetur, ab omnibus derelictus vilipenditur, laudes in vituperium, & dignitates in miserias convertuntur; quodque pejus est, adeò tribulatio amicos deperdit, ut nulla sit spes recuperationis. Inter maritum & uxorem aliquâ diversitate oboriente, dum simul manent facillimè concordant; illis verò à se mutuo separatis, & libellô repudii utrimque receptô, nulla ampliùs unionis spes superest. Pari modo dum bonâ uteris fortunâ, si verba cum aliquo te habere contingat, nil tibi inde timendum, subitò quippe hoc emendabitur, aut cæteri amici non deficient. Si tamen miser & afflictus, inimicus aliis fueris, nullus te cognoscere, nec concordiam tecum inire cupiet. Repudii signum olim erat, faciem conspuere, sic S. Job factum fuisse dixit: *Faciem meam conspuere non verentur.* Quasi dicerent jam repudiatus es, non ampliùs te pro amico agnoscimus. Nec tibi persuadendum ob bonitatem aut scientiam te fore semper honoratum, quia tribulatione adveniente, cuncta pereunt.

Prov. 19. 7.

Job 19. 17.

In adversitate cuncti inimici.

Job 30. 10.

5. Proverbium antiquum est,

Felicibus

non infelicibus adhærendum. est, ſolem orientem, non occidentem adorandum, ut Pompejus Sillæ ſibi triumphum neganti reſpondit. Sed quid per ſolem orientem niſi perſonam felicem, & dignitatibus repletam intelligebant? *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Sed quid ſol occidens? ſymbolum perſonæ infelicis & afflicti, de quo Amos Propheta ait: *Occidet ſol in meridie.* Quando nempe in omni felicitate te degere putabis, in maxima eris miſeria. Hoc igitur proverbio antiqui indicare cupiebant, quòd licèt ſplendidiſſimi inſtar ſolis fulgeres, virtutibus, doctrinâ, & divitiis polleres; ſi tamen deficere & occidere ſol tuus incipiat, ſi miſeriis & calamitatibus afficiaris, ſole occidente cuncti recedent, nec ullus te in mæſtitiæ tenebris agnoſcere cupiet. Nec hoc mirãdum, ſic enim proprium commodum & lucrum ſuadet, ut amicorum omnia ſint communia; qui ergò tribulati amicitias quærit, tribulationis ejus particeps reddetur; hæc tamen ab omnibus vitatur, ergò & eam poſſidentes.

Iſai. 9. 2.

Amos 8. 9.

Afflicti invidiæ ſuppoſiti. 6. Adjungendum inſuper afflictos maximè commoveri, ut oderint felices. Scitis quæ ſit invidia? quæ numquam odio caret, invidus quippe malum alteri deſiderat, ergò illum odit. Sed quis tali invidiâ afficitur? abſque dubio afflictus, fortunæ bonis ditati non invident afflictis, ſed hi illis, unde Poëta de afflicto dicebat:

Omnibus invideas livide, nemo tibi.

Cùm Themiſtocles interrogaretur, cur mœſtus, & malè eſſet diſpoſitus; dixit, quia nemo mihi invidet; inferre volens, nil ſibi excellentiæ ineſſe. Clariùs Propheta Job idem ait: *Parvulum occidit invidia.* Sed quis hic parvulùs? non parvulus annis, ſed parvulus fortunâ & divitiis, ab omnibus deſpectus. Alius Propheta idem nobis apertè exhibet, dicens: *Parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.* Quia nullis mundanis bonis præditus. Tribulatio apprehenſa ad invidiam cauſandam ſufficit. Somnium Joſeph quô à fratribus adorari videbatur, maximam cauſavit invidiam, ita ut inter ſe maximè de eo conquererentur, unde Scriptura ait: *Non poterant ei quidquam pacificè loqui.* Ecce quid ſomnium fictum exhibet.

Job 5. 2.

Abdiæ 2.

Gen. 37. 4.

7. Cur creditis Hebræos non potuiſſe faciem Moyſis intueri? fortaſſe quia nimium reſplendebat; benè quidem, ſed advertendum clariorem fuiſſe faciem Salvatoris in monte Thabor, de illo quippe dicitur: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* De Moyſe autem: *Ignorabat quòd cornuta*

Cur facies Moyſis intueri non poterat.

Matt. 17. 2.

Exod. 34. 29.

cornuta esset facies ejus. Ut luna nempe splendebat, non autem ut luna plena, sed ut jam deficiens & cornua gerens. Quid igitur sibi vult quòd faciem Salvatoris instar solis splendentis Apostoli liberè intueri poterant; Hebræi autem faciem Moysis, minùs lucentis, conspicere nequiebant. Rationem, ni fallor, vobis apertissimè exhibebo: Lux Salvatoris erat lux gloriosa, lux alterius vitæ, repræsentans beatos in cœlo; lux verò Moysis erat hujus vitæ, gloriam temporalem significans. Inter has duas glorias hæc est differentia, quòd illa cœlestis libenter & delectabiliter aspicietur à beatis, nulla quippe erit ibi invidia, unusquisque enim ita de gloria aliorum, ac de propria gaudebit, licèt aliorum plurimùm excedat. Gloria autem mundana, quantumvis minima, nō bono oculo ab aliis conspicitur, unusquisq; illam sibi arrogare vellet. Hoc egregiè attestatur S. Gregorius, dicens: *Quidquid in mundo concupiscimus, hoc procul dubio proximis invidemus; videtur enim quia nobis desit, quod alius assequitur.* Inter felicem ergò & afflictum mutuum est odium; cogita igitur qualis esse possit amicitia; cùm iste ob miseriam illum contemnat, hic verò illi invideat.

Diversitas inter lucem Christi & Moysis.

S. Gregor. Homil. 5. in Evang.

Afflictus

8. Adjungendum insuper nullum magis iræ & indignationi idoneum quàm afflictum. Ut ligna virentia aut humida comburas ingens desideratur ignis; ut verò stipulam siccam aut fœnum exiguus sufficit. Homo in prosperitate constitutus, quid aliud est quàm lignum virescens aut florens, combustioni diu resistens? homo verò afflictus, ut stipula & fœnum; sic illum appellat S. Job, dicens: *Stipulam siccam persequeris.* Et clariùs Isaias: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos fœni.* Omnes homines fœnum sunt, sed inter eos hæc est differentia, ut felices, & bonis temporalibus abundantes sint flos fœni, afflicti autem fœnum siccum: *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Omnis nempe felicitas & prosperitas ejus ad nihilum redacta est. David quoque eâdem metaphorâ utens, dicebat: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem; quoniam tamquam fœnum velociter arescent.* Ut siccum ergò fœnum afflictus est; cogita quàm faciliter indignationis ignem concipiet? omne minimum verbum inordinatè prolatum, omnis suspicio malè habita, illum excitare poterit. Homo verò in prosperis, & bono statu, vix magnâ offensione turbabitur. In infirmis & malè dispositis id clarè patet, etenim vix illis aliquod

iracundus & invidus.

Job 13. 25.

Isai. 40. 6.

Ibidem.

Psal. 36. 1.

Ut fœnum est.

servitium cong ue exhiberi potest; stipula & fœnum siccum sunt, nil ipsis arridet, cuncta adversantur, ideò subitò conturbantur & inflammantur. Plutarchus quoque idipsum egregiè probat, dicens; debiliores & infirmiores faciliùs ad indignationem & iram commoventur.

Membrum putridum magis sensitivum.

9. Quinimò inter corporis ejusdem membra, nónne videmus, si aliquod vulneratum fuerit, quantâ observatione & respectu illud custodiatur & foveatur? Quid hoc sibi vult? quia facillimè dolet & affl gitur. Membrum autem sanum tangitur & palpatur absque ullâ consideratione aut dolore. Homo felix ut membrum sanum est, fac quod placet, non tàm citò indignatur aut conturbatur; afflictus verò & miser ut membrum putridum & vulneratum modestè & cum respectu contingendus, subitò quippe indignatur. Cùm ad Eliseum venisset Sunamitis cujus filius mortuus erat, corruit ad pedes ejus, Giezi verò eam amovere volenti dicit Eliseus: *Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est.* Noli eam vexare aut attingere, quia afflicta est, & subitò conturbaretur. Dico insuper, non tantùm faciliter afflictus ad indignationem commovetur, verùm etiam sibi ipsi molestus est & subitò conturbatus, dum consolationem vel adjutorium adesse non cernit. Ne autem à propositâ fœni similitudine discedam, nónne sæpiùs visum fœnum sub tectis reconditum, à seipso accendi, & maximum produxisse incendium? experientia certa est, licèt Philosophi non facilè rationem assignare queant. Plurimi ex eo evenire dicunt, quòd fœnum non adeò siccum, in se compactum, calidos humores exhalantes diffundere non valens, simul coadunati tantum concipiant fervorem, ut materia jam proximè disposita, ignem concipiat. Pari modo afflictis accidere dicite, multas in mente cogitationes molestas & turbationes concipiunt, quæ exitum non reperientes, mentem tanto indignationis fervore replét, ut cor inde subitò ad iracundiam accendatur, & personam illam quam tâti mali causam putant, summô odiô prosequâtur. David in seipso idem expertus, id ingenuè referebat, dicens: *Concaluit cor meum intra me.* Non aliunde accensum fuit, sed à cogitationibus meis nimium illud conturbantibus; sed quid fecisti David? *Posui ori meo custodiam.* Clausi os ne exhalaret, unde indignationis ignis subitò accensus: *In meditatione mea exardescet ignis.* Nota illud, *in meditatione mea*; propter cogitationes quas nimiùm

Ita afflictus.

4. Reg. 4. 27.

Afflicti fœnum humidum.

Psal. 38. 4.

Ibid. 2.

Ubi suprà.

nimiùm afflictus fovet, in seipso maximè conturbatur; si fumus ille exhalare posset, si auxilium aut consolationem admitteret, nullum subesset periculum.

Affligens odiô habetur. 10. Quid porrò dicam, tribulationes quandoque ab hominibus provenire, nosq; cognoscere, illos causam earum esse, ac propterea illos odiô habere? quod cor adeò erit mansuetum, ut illos amare possit? cùm Deus Abrahamo revelaret posteros ejus malè excipiendos & affligendos, noluit illi patriam indicare; unde graves auctores affirmant, ideò Deum hoc egisse, ne indignationem aut odium in illam Gentem conciperet; sed dixit fore peregrinos: *Scito prænoscens, quia peregrinum futurum sit semen tuum, in terra non sua, & subjicient eos servituti.* Gen.13.15. Si Patriarcha igitur adeò sanctus, & Dei amicus, ut filium suum illi immolare vellet, indignatione commoveri poterat, ut populum istum qui post centenos annos posteros ejus affligeret, tunc odio habuisset: quomodo nos imperfectionibus pleni, ab odio illorum nos continere possumus, quos tribulationum causas esse cognoscimus? quis nescit quantum ad vindicandum proni sumus? si quis afflictione peractâ, affligenti ignoscat, magni quid effecisse videtur. Deus Salomonem regem felicem & & prosperum egregiè laudat, quòd vindictam inimicorum non expetierit: *Quia non petiisti animas inimicorum tuorum.* 3. Reg. 3. 11. Quid igitur erit non tantùm non vindicare, verùm etiam diligere? *Afflicti omnes oderunt.* actualiter amare quem actualiter nobis mala inferre videmus, impossibile videtur, quia sibi mutuo contrariantur. Huic negocio vires humanæ succumbunt, nullus ad hoc reperitur sufficiens. S. Petrus ut patientiam Christi exhiberet; mirandum dixit, quod nimirum: *Cùm maledicerentur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* 1. Pet. 2. 23. Eodem malo actu benè utebatur; sed divinum hoc potiùs quàm humanum erat. Sed quid de proximi dilectione ago, cùm afflictus seipsum & propriam vitam odiô habeat, ita ut præ desperatione sibi mortem quandoque inferat? an seipsum odiô habens, alium diligere poterit? S. Paulus de seipso conquerebatur, dicens: *Suprà modum gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam vivere.* 2. Cor. 1. 8. S. Job quoque ait: *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis.* Job 7. 20. Plurimi quoque tribulatione & desperatione convicti, non sibi solùm, sed uxori, liberisque mortem intulerunt; & dicere quis poterit tribulationem causam amoris esse?

Quomodo tribulatio amorem causare possit.

11. Non desperemus tamen propter hæc similiaque argumenta, invenietur quippe tribulationem causare amorem, nec desperatio illorum nobis obesse poterit, quò minùs diffidamus argumenta non fore solvenda. In primis siquidem si de mutuo afflictorum amore loqui velimus, nulla erit difficultas; sicut enim antea diximus, similitudo mutui amoris occasio; quod Sapiente teste confirmatur: *Omne animal diligit simile sibi, & omnis caro ad similem sibi conjungitur.* Nec mihi quis objiciat idem non afflictis accidere, magna siquidem inter illos est differentia; ut inter aquam dulcem & salsam videmus; dulcis in mille partes dividitur, tot sunt flumina, lacus, rivuli, & fontes; aqua salsa, simul coadunata, in locum unum congregatur. Licèt quoque diversa videantur maria, cùm diversa sint nomina, mare Mediterraneum, Adriaticum, Ligusticum, Oceanus; omnia tamen simul alibi conveniunt & uniuntur, quod in fluminibus verificari non potest; unde in Genesi dicitur: *Congregationesq; aquarum appellavit maria.* Instar fluminum aquæ dulcis, sunt felices & prosperi in hoc mundo, dicente Prophetâ: *Declinabo super eam, quasi fluvium pacis.* Fluvium nępe cunctorum bonorum; hanc quippe vim in Scriptura sacra vox *pacis* obtinet. Afflicti ut mare sunt, juxta dictum Jeremiæ: *Magna est velut mare contritio tua.* Fortunâ prosperâ utentes, vix inter se convenire queunt; unus alteri invidet, unus alterum deprimere nititur. Saul Rex Israël erat, celebris ac victoriosus, nec quidquam illi deesse videbatur; sed ecce David à puellis laudare sentiens, eo quòd Goliath percussisset, subitò invidiâ commotus, occidere quærit; ecce quid exigua prosperitas, & laus puellarum efficere possit.

Eccli. 13. 19.

Prosperitas rixarum occasio.

Gen. 1. 10.

Isai. 66. 12.

Threnor. 2. 13.

Cur Joseph rixas fratrum timebat.

12. Optimè hoc intellexisse videbatur Patriarcha Joseph in Ægypto, cùm enim fratribus se manifestâsset, & plurima contulisset beneficia, dum illis abeundi licentiam impertiretur, dixit: *Ne irascamini in via.* Vel ut Hebræus textus legit: *Ne rixemini.* Sed quam suspicionis causam id fratribus insinuandi habebat? an illos discordes adverterat, aut pravum eorum animum conspexerat? nequaquam, quinimò tantô amore mutuô unitos repererat, ut cùm Præpositus domûs Joseph, scyphô in saccô Benjamin repertô, eum in Ægyptum reducere vellet, omnes alii fratres lamentantes, cum eo redire volebant, & mancipia pro eo manere. Anteà quoque cùm Joseph dixisset, unum illorum apud se captivum

Gen. 45. 24.

captivum manere debere, nullus id recusabat, nec inter se electionem facere noverant, ita ut Joseph determinare illum deberet. Qualis ergò mutua inter eos charitas, quid periculi dissensionis suspicari poterat? illud nimirum, quòd gaudentes & opulenti domum revertebantur. Afflicti rectè convenire poterant, sed prosperi & felices, periculum contentionis incurrere oportebant; ideoque admonens illos ait: *Ne irascamini in via.* Quasi diceret, dum afflictos vos conspicerem, non dubitavi de mutuâ charitate & concordiâ; licèt enim fratres non essetis, tribulatio tamen & necessitas communis, vos concordes reddere poterat. Cùm verò vos felices & opulentos dimitto, timeo ne mutua fraternitas ad concordiam sufficiat; sed indignationem & contentionem causare vereor; ideoque vos admonens, dico: *Ne rixemini in via.*

Prosperitas non admittit socios.

13. Pari modo Romulus & Remus humili fortunâ subjecti, optimè se mutuo complectebantur, fovebant, & patriam mutuô auxiliô defendebant. Cùm autem urbem Romanam fundare aggrediebantur, mutuâ concordiâ subsistere non potuit, sed in se mutuò surgentes, unus alium interfecit; unde Poëta ait:

Fraterno primùm maduerunt sanguine muri.

Cùm Roma iterum caput mundi evasisset, Cæsar & Pompejus optimi amici & consanguinei, non poterant simul concorditer degere; Cæsar enim superiorem, & Pompejus æqualem perferre nequibat; sicque ad arma venientes perierunt.

14. Ex fabulis Gentilium non sine fundamento fictis, idem colligere licet; illis siquidem affirmantibus, Saturno regnante, homines adeò benigni, ac justi erant, ut ætas illa aurea dici poterat. Nullus alienum surripiebat, nullus verbis maledicis alium invadebat, nullus proximum lædebat aut offendebat. Mare piratis liberum, terra latronibus vacua, filii parentibus obedientes, patres liberos diligentes. Ferri aut lanceæ nullus usus, nisi in hominum beneficium; mendacium, fraus, deceptio, ira longè aberant. Singuli quæ habebant pacificè possidebant, nulla timebatur violentia; nullus advocatorum usus; nullus armis, lite, aut injuriâ offensus. Horti sepibus, civitates muris, domus custodiâ & clausura cuncta carebant. Securus absque ulla perturbatione aut invididiâ unusquisque vivebat. O qualis verè aurea ætas! Qualis fuit Saturnus his temporibus gubernans? adeò

Qualis fuerit ætas aurea.

Cur Saturnus sceleratus & injustus.

adeò sceleratus & crudelis, ut leges quoque naturæ violaret, non patrem, non filios, non amicos respexit; cunctos interficiens, & ne fortè resuscitationis daretur occasio, ore proprio devorans, in ventre sepelivit. Quæ autem occasio illum ad hæc immania scelera compulit? cur inter tot innocentes & bonos solus crudelissimus exstitit? regnandi cupido, & invidia felicitatis alienæ; ne fortè potentes effecti, socios regni habere oporteret. Hanc ob causam jus naturæ violavit in patre, ne alium generaret filium, cum quo regnum dividendum; filios occidit, ne ipsi cuncta surriperent; sed Jupiter à matre furtivè enutritus. Excellentia, potentia, & prosperitas Saturni causa tantorum scelerum exstitit, nec ullam ei amicitiam propinquorum permisit.

Divites non benè simul.

16. Dico insuper, Abraham, & Loth, amici propinqui erant, simul conviventes, simul è patriâ discedentes; sed quàm diu hæc duravit amicitia? donec pauperes essent, ac simul victum pacificè quærerent. Mox verò ditiores effecti, subitò inter se contendere cœperunt, nulla ampliùs ipsis quies aut amicitia, ita ut ab invicem discedere coacti fuerint. Nec in terris solùm hæc exēpla abundant, verùm etiam in cœlis adsunt; nónne videtis solem unicum, stellas verò multiplicatas nimis? scitis qualis sit causa? sol unus est quia luce abundans, aliô non indiget; symbolum hominis felicis qui solus absque sociis esse desiderat. Alexander Magnus optimè hoc intelligens, cùm Persiam invasisset, ac Darius ei regni medietatem offerret, dixit: *Nec cœlum duos soles, nec Persia duos Reges habere potest.* Stellæ autem exiguâ luce præditæ, & nocte solùm apparentes, symbolum tribulationis sunt; ideoque personas pauperes & afflictos repræsentant, qui libenter simul degunt & conveniunt, ut stellæ inter se semper uniuntur, & pulcherrimam symphoniam excitare videntur, teste Prophetâ Job: *Concentum cœli quis dormire faciet?* Job 38. 37.

Quomodo contrarium à contrario producitur.

16. Clarius quoque habemus exemplum in effectu naturali, sed stupendo à Philosophis antiperistasis vocato, in quo unum contrarium ab altero productum, vel adauctum cernitur. Quis enim id crederet, nisi experientia idipsum comprobaret? nivem summè frigidam manibus frica, & tracta, & subitò manus incaluisse reperies. Quæ hujus occasio? non non defuerunt Philosophi, ex hoc argumentantes nivem in aliquo gradu calidam esse; in quo non magis à vero recesserunt,

sunt, quàm qui dixerunt eandem esse nigram. Frigiditatem tamen ejus convincunt mater, quæ aqua est; patria, quæ secunda aëris regio frigidissima, & frater ejus, glacies nempe; omne aliud suâ frigiditate vincens; omne quoque quod attingit aut generat, frigidum est, & tandem à frigoris inimico, solis calore, destruitur. Nec minus mirum quòd in puteis conspicimus, qui hiemali tempore frigidissimo, aquam calidiorem habent; in æstate autem, cunctis calore æstuantibus, frigidissimam tenent. Hujus varietatis causam Philosophi esse asserunt, quòd ad præsentiam unius contrarii aliud se fortificat & vires congregat. Ita hieme, frigore dominante, vapores calidi ad ima descendunt, & simul uniti, majorem resistendi vigorem acquirunt. In æstate autem, calore terram inflammante, humores frigidi se unientes, majori virtute calori resistunt, & aquam frigidiorem reddunt. Hinc accidere dicunt Medici, ut cibi in hieme magis digerantur quàm æstate, quia calor naturalis ab externo frigore restrictus, stomachum calidiorem reddit; in æstate autem, à contrario non constrictus, se ad extra diffundit. Eâdem ratione, nivem manibus fricans, sanguinis partes & spiritus vitales, ad resistentiam contrarii simul concurrentes, calidiores manus reddunt. Idem rebus moralibus ac politicis accidere dicite; si in civitate aliqua aut domo prosperitas & divitiarum sit abundantia, exigua erit unio & concordia, unus isto, alius isto modo sua peragere cupiet. Tribulatione tamen communi, aut obsessione adveniente, subitò cunctos unitos conspicies, ut ab inimico extraneo unanimiter se defendant. Romani bellis externis non impediti, internas fovebant seditiones & discordias; plebs contra Senatum, Senatus contra Cæsarem, pauperes contra divites, ignobiles contra nobiles consurgebant. Ab inimicis verò externis adorsi, subitò inter se conveniebant. Cùm in insula Chio duæ pariter factiones exortæ, se mutuò debellarent, & unâ prævalente, aliam funditùs delere vellet, noluit supremus illorum, Onimasius dictus, id permittere, dicens; donec cum inimicis pugnandum erit nos liberi manebimus; si verò nullus adesset inimicus, in nos mutuò insurgeremus.

Quomodo nix calefacit.

Tribulatio concordiam præstat.

Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 2.

17. Aliud insigne exstat in animalibus experimentum, ex quibus aliqua valida, fortia, & audacia sunt; alia verò debilia, & timida. Illa consortia aliorum abhorrentia, sola semper ince-

Quæ animalia sola, quæ simul volent.

incedunt. Sic aquila numquam aliis associatur, nec suæ speciei, nec propriis pullis, quos ex ea regione ubi commoratur fugat. Minores tamen volucres, ut passeres, hirundines, sæpiùs simul volare conspicietis. Inter pisces Delphinum, qui se regem fingit, semper solum videbitis, cæteri autem minores catervatim fluunt, & si inimicum conspiciunt, adeò se uniunt, ut licèt sit potens, aggredi non audeat. Inter animalia terrestria, leonem, & ursum, semper solos incedere videbitis; cùm enim fortitudine prævaleant, in illa confidunt; pecora autem gregatim incedunt.

Lupus conclusus non nocet.

18. Quid amplius? licèt gulosus & ferus sit lupus, cùm tamen se constrictum videt, prædam vicinam attingere non audet, quia proprium periculum voluntatem nocendi continet. Cur creditis animalia cuncta in Arca Noë adeò mansueta & pacifica mansisse, ut unum aliud non attingeret? quia se navi inclusa, & horribili undique aquarum copiâ circumdata videbant, sicque proprium periculum metuentes, alienum damnum omittebant. De Bucephalo, Alexandri Magni equo refertur, quòd omnibus ornamentis spoliatus, placidum se cunctis exhiberet; optimis verò ornamentis decoratus, à nemine præterquam Alexandro, se tangi permittebat. Pari modo hominibus accidit, potentiores & ditiores soli esse cupiunt, nullos socios nec amicos admittunt. Pauperes autem & afflicti, voluntariè simul commorantur & uniuntur, qui autem proprio periculo invigilare debet, non facilè alienis damnum inferet.

Malleorum ictus domant cuncta.

19. Inter volucres multi sunt rapaces tyrannorum instar, absque comitatu incedentes, ut falco, accipiter, &c. De his Elianus mirabile quid refert, quod in fabri ferrarii officina constituti, & malleorum graves ictus continuò attendentes, facillimè cicurantur, ita ut ab omnibus se tangi permittant. Non aliter evenire videtur quibusdam animis feris & indomitis, qui in tribulationis officinâ constituti, & sonum malleorum castigationis divinæ percipientes, feritatem & animum indomitum deponentes, adeò immutantur, ut ubi primò singulis maledictiones & injurias ingerebant, nunc unicuique animum benevolum exhibentes, omnibus satisfacere desiderant, & pacem, concordiamque mutuam fovere non desinunt. Hanc immutationem, & virtutem, malleorum ictibus adscribere videtur Sapiens, dicendo: *Vox mallei innovat* Eccli. 38. 30.

novat aurem ejus. Sed quid sibi vult *innovare auriculam?* an majorem tribuere auditum? Scimus tamen strepitum illum magis impedire auditum. Renovat igitur auriculam, non quantùm ad subtiliorem auditum, sed quantùm ad facilitatem obedientiæ. Ubi siquidem primò neminem auscultare volebat, nec ulli se supponere legi, modò se cunctis submittens, omnium recipit consilia. Per auriculam fortè tota persona intelligitur, sicut David dicens: *Aures autem perfecisti mihi.* S. Paulus vertit: *Corpus autem aptâsti mihi.* Igitur *vox mallei innovat aurem*; quia tribulationis sonus totum hominem restituit, ubi primò immansuetus & intractabilis videbatur, postmodùm affabilis & benignus redditur.

Psalm. 39.

Hebr. 10. 5.

Ubi suprà.

Cervus amicitiæ symbolum.

20. Cervus non naturâ ferus & implacabilis, sed mitis & benignus, unde à Salomone symbolum amicitiæ constitutus. Juxta versionem Septuaginta Interpretum: *Cervus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tecum* Illud tamen provenit ab exigua ejus fortitudine & timore ingenti. Dices fortassis, verum esse, afflictos sæpè convenire & se mutuò diligere, non tamen amant, aut amantur ab aliis. Concedamus modò quanta desideratis, sufficit autem mihi afflictos se invicem diligere, sic enim cuncti se amabunt, quis enim reperietur tribulationem non patiens? Dices fortassis, Principes, & Reges, aliique bonis suis feliciter gaudentes, nullam afflictionem pati; hi tamen majori quàm alii tribulatione premuntur; sunt enim, teste S. Gregoriô Papâ, gigantes de quibus S. Job ait, quòd: *Gemunt sub aquis.* Sub pondere videlicet regiminis ipsis impositi, nec ullus in hoc mundo degit aliorum ope non indigens. Cùm Pyrrho Regi milites laudando dicerent, eum aquilæ similem esse, ob fortitudinem & excellentiam, quâ se supra omnes erigebat; dixit, vos estis alæ meæ & pennæ quibus sublevor. Idem quoque de omni Duce & Principe dici potest, si enim à subditis suis non elevaretur & defenderetur, instar aliorum hominum esset. Maximâ insuper Dei providentiâ gestum est, ut nullus reperiatur, alienô auxiliô non indigens, ut sibi mutuo charitatis officia exhibere possint.

Prov. 5. 19.

Omnes tribulationi subjecti.

Job 26. 5.

Mutuò auxilio cuncti indigent.

21. Ut mutuum in cunctis auxilium veteres exhiberent, fingebant cœcum, claudum portantem; ita ut cœcus claudo pedem, & claudus cœco oculum exhiberet; claudus viam monstrabat, & cœcus progrediebatur. Sed quid illos simul junxit? non aliud quàm utriusque necessitas & tribulatio. Pari

tio. Pari modo dicite insigne compositum ex populo & Principe fieri; hic reipublicæ oculus, illi sunt pedes; hic per bonas leges & præcepta viam salutis exhibet, illi per tributa & servitutem illum sustinent. S. Job præclarè dicit se utriusque
Job 29. 15. officium rectè exegisse: *Oculus* (inquit) *fui cæco, & pes claudo.* Cuncti igitur mutuô indigent auxiliô, & hinc amicitia nascitur.

Divina providentia singula distribuit.

22. Nec inter cives & amicos solùm tribulatio amicitiam conciliat, verùm etiam inter remotissimos & summis montium jugis sejunctos; licèt enim vastissimo mari & longissimo spatio ab invicem distent, necessitate tamen, & tribulatione communi uniuntur. Ad hunc finem mirabilis Dei providentia effecit, ut non omnia ubique reperirentur; sed hanc regionem vinô, illam abundare frumentô; hanc aurô divitem, illam aromatibus plenam, ab hac animalia terrestria, ab illa aquatilia deferrentur; hæc talibus, illa verò aliis fructibus fœcundaretur; egregiè hoc testatur Poëta, dicens:

Hîc segetes, illic veniunt feliciùs uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt,
Gramina, &c.

Hæc autem sunt ordinata, ut mutua charitas & communicatio inter homines diversissimarum regionum foveretur.

Amicitia cunctis malis prodest.

23. Amicitia igitur ut medicina efficax cunctis nostris malis & necessitatibus è cœlis dimissa videtur; id apertè, ni fallor, Sapiens testatur, dicens:
Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum. Eccli. 6. 16.
Idem Seneca optimè intelligens, & inquirens, quis amicitię finis esse deberet, dixit, non lucrum aut proprium cõmodum, sed amici adjutorium: *Ut habeas aliquem cui ipsi ægro assideat, quem ipsum circumventum, hos tibi custodia liberet.* Et paulò pôst: *In quid igitur amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, cujus me morti opponam, & impendam, & ut habeam quem in exilium sequar.* Quasi diceret, medicina non ordinatur ad adjutorium medici, aut ejus lucrum & commodum, sed in adjutorium & remedium infirmi. Pari modo amicitia non proprio commodo aut lucro paranda, sed ut indigentibus & ægris opem feramus, ut oppressos liberemus, & mortis periculo expositos eruamus. Sicut ergò si infirmi non essent, nec medicina esset; ita quoque si pauperes & afflicti non essent, nec amicitiâ in mundo opus esset. Cùm verò nullus sit qui non egeat, nec ullus quoque reperietur, qui non gaudeat de mutuâ a-

micitiâ & consolatione.

Afflictus cum omnibus convenit. 24. Concedamus quoque homines non afflictos reperiri, licèt enim in hac vita nullus ex omni parte beatus, felix tamen respectu aliorum afflictorum dici poterit; cum his quoque tribulatio efficiet alumnos suos amicitiam habere. Ratio hujus rei esse poterit, quia numquam est bellum, nisi inter pares viribus, aut proportione æquales; sicut enim Salvator ait, qui tantùm habet decem millia, & videt inimicum viginti millia habere: *Rogat ea quæ pacis sunt.* Luc. 14.32. Afflictus non potest resistere personæ felici & potenti, pacem ergò quæret, & absque dubio non negabitur. Plutarchus in vita Catonis majoris insigne huic proposito refert exemplum, quòd Romani in Hispania bellum gerentes, aliqui populi Legatos mittentes, interrogarunt, quibus viribus confisi, sibi alios subjicere prætendebant? quibus Dux Romanus respondit, libenter vobis id exhibebimus, ac subitò ingentem militum multitudinem, viribus valentem, & optimô ordine dispositam ostendit; videntes ergò se impares viribus & potentiâ, subitò pacem petentes, obtinuerunt; unâ quippe parte, & quandoque ambabus deficientibus, necesse est pacem inire; hinc dicitur: *Ex bello pax.*

25. Videtur igitur mihi inter homines potentes & felices evenire, quod Mathematici inter duo corpora sphærica accidere dicunt; se invicem contingere non posse, nisi in puncto; è contrà verò, unum corpus sphæricum, cum concavo benè conveniunt, & unum in alio clauditur, & quietè permanet. *Felices corpora sphærica.* Quid est homo felix? pila rotunda & corpus sphæricum, quia undique perfectus, nihil ipsi deest, & totaliter quasi repletus. Quid homo afflictus? corpus concavum instar vallis: *Ascensiones in corde suo disposuit*, Psal. 83. 6. *in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Inter prosperos ergò & felices, numquam potest esse pax vera, quia se mutuò in puncto attingunt, se persequuntur & sufferre non possunt. De leone & gallo rerum naturalium Scriptores referunt, magnam esse inter eos inimicitiam, ita ut unus alterum sufferre non possit. Licèt quoque leo viribus & generositate prævaleat; voce tamen galli exterritus, in fugam convertitur. *Inter felices nulla pax.* Rationem hujus inquirens Pierius, cum Proclo dicit: *Ait enim* (nempe Proclus) *gallum & leonem præcipuè animalia solaria esse.* Pierius lib. 1. Hierogl. Hæc tamen æqualitas illos potiùs amicos reddere deberet, ob eandem similitudinem & dependentiam, quam habent cum eodem tertio. Hoc

tamen non obstante, contrarius sequitur effectus. Dicunt igitur hi auctores, rationem hujus rei esse posse, quia hæc animalia magis quàm alia à sole benigniores recipiunt influxus, & quantò magis aliquod animal solare fuerit, tantò perfectius erit, & quasi felicius; quia verò inter felices nulla potest esse concordia, ideò leo & gallus animalia solaria, inter se convenire nequeunt. Quotidiana experientia idem quoque in aulis Principum patet, ubi duo ab eodem sole, ab eodem videlicet Domino favoribus decorati convenire nequeunt. Dives autem & pauper, felix & afflictus, fortis & debilis faciliter concordant; unum siquidem corpus est sphæricum alterum concavum, in quo providentia divina maximè relucet.

Dives & pauper optimè conveniunt.

26. Cùm videris duo vasa alicui custodiæ seu capsulæ benè convenire, & rectè accommodari; dicitis illa ejusdem esse artificis, aut unum conforme alteri effectum; si verò non rectè cõveniunt, dicitis capsulam non pro eis factam. Pauper & dives adeò benè concordant, ut illos videns, divinam providentiam laudare debeat; quòd adeò benè indigentiam unius alterius divitiis sublevare potuerit. Optimè hoc Sapiens intelligens, dixit: *Dives & pauper* Prov. 22. 2. *obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus.* Rectè simul concordant, nam ab eodem summo artifice ita ordinati videntur. Dando denique, & recipiendo amicitiæ fiunt; donans siquidem donatum ut proprium amat; & recipiens benefactorem suum recognoscit. Aristoteles super hoc dubium movens, quærit quis magis diligat, qui multum largitur, aut qui multum recipit; & concludit largientem magis diligere. Christus insuper dictum Pharisæi approbabat, qui judicabat eum magis diligere qui plus recepisset; quia meliori amore præventus fuisset. Ut ergò fuissent donatores & receptores, eoque modo amicitiæ stabilirentur, voluit Deus divites ad donandum liberales existere, & pauperes ad recipiendum promptos esse, prosperos abundantes, & afflictos indigentes. Nónne videtis qualiter natura ipsa ad donandum sit prona? quomodo ad miserorum compassionem commovemini? quomodo à commiseratione ad amorem facillimè transitur?

Qui non miseretur, naturæ violentiam infert.

27. Dices multos reperiri qui ad compassionem miserorum nullatenus moventur; istos dico naturæ propriæ violentiam inferre. Sanguis in corpore humano naturâ suâ necessitati succurrit; sic membro aliquo vulnerato, sanguis eò sub-

eò subitò concurrit. Pecuniæ quid sunt? ordinariè secundus sanguis dicuntur, ex natura ergò ad succurrendum debilibus membris ordinantur. Quando nolumus sanguinem ad vulnus descendere, ligatur vena ubi transire oportet. Pari modo avarus agit ne pecunia ad pauperes deveniat, plurimis nodis bursam constringit, & propria continet viscera ne commiserentur pauperi. S. Joannes id præclarè nobis declarat, dicens:
1. Joann. 3. 17. *Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo.* Quid sibi vult *clauserit viscera?* videlicet, non facere eleemosynam. Hoc termino utitur Apostolus ad ostendendum quantùm natura ad commiserationem inclinet, ut non miserendo videatur sibimet violentiam inferre, & commiserationem quasi carcere clausam detinere ne prorumpat, & pauperum inopiam sublevet. Tribulatio ergò ex natura sua magnes compassionis & amoris est, ita ut si inclinationem suam non sequatur; vestrâ culpâ violenter retinetur. Nolite vos igitur tales esse, qui propriæ naturæ violentiam inferunt, sed ad pietatem & commiserationem commoti, largâ eleemosynâ pauperibus succurrite.

SECUNDA PARS.

Qualis differentia inter amorem, & amicitiam. 28. Magna absque dubio affinitas inter amorem & amicitiam est, adeoque sibi mutuò assimulantur, ut unus pro alia sæpè accipiatur. Non ita tamen sunt similes, quin aliqua inter eos sit differentia, diversum siquidem est dicere, ego amo talem, & ego sum amicus istius. Etenim ut verè dicere possem, me talem amare, sufficit ut ego illi bene velim, & promptus sim, occasione adveniente, beneficia præstare. Ut tamen sim amicus ejus hoc non sufficit; quid ergò requiritur? duæ conditiones sunt necessariæ; prima, ut me quoque amet, hinc ritè dicitur, ego talem locum vel fructum amo, non tamen dicetur, ego amicitiam cum tali loco aut fructu contraxi, non enim ab ipsis redamor. Nec hoc quoque sufficit, sed ultra amare & amatum esse, adhuc requiritur, teste Aristotele, ut cognoscatur talis benevolentia & amor ab alio. Fortè etiam conversatio, & familiaritas quædam necessaria ut hoc nomen amici usurpari possit; si enim Princeps & subditus sibi mutuò benè velint, non ideò dicentur amici, nisi simul familiariter agant. Salvator quoque Discipulis exhibere volens illos amicos suos esse, dixit: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ita nempe familiariter Joan. 15. 15.

liariter vobiscum egi ut omnia secreta mea vobis revelaverim.

Tribulatio amoris & amicitiæ mater.

29. Tribulatio non solùm est mater amoris, verùm etiam amicitiæ; utque jam vidimus, mutui amoris inter homines causa est. Quid modò de alia amicitiæ conditione dicemus; efficere nimirum ut amorem cognoscas? nullus id meliùs efficere novit quàm tribulatio; in prosperitate nullum sincerum amicum cognoscere poteris, omnes siquidem etiam inimici tibi applaudunt, & fingunt se amicos. Propheta David id egregiè probat, dicens:
Psal. 63. 3. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Quando nimirum eris potens & multis divitiis præditus, tunc mentientur tibi inimici tui. Qualiter autem mentientur? dicent se tibi benè velle, cunctaque exhibituros servitia, sed corde contrarium sentient. Quis lapis lydius veros amicos probans? tribulatio; S. Gregorius Papa id nobis apertè indicat, dicens:
S. Gregor. lib. 7. moral. cap. 10. *Qui ex adversitate proximum despicit apertè convincitur quòd hunc in prosperis non amavit.* Quia: *Amicus certus in re incerta cognoscitur.* Licèt ergò Deus taliter corda hominum cognoscat, nec opus sit ut quis ei indicet quid sit in homine; quandoque tamen tribulationes immittit, ut experientiâ constet, quinam veri sint amici. Tobias insignis servus Dei erat, omnibus virtutibus præditus, ut tamen illud cunctis constaret, immisit illi Deus cœcitatem, ideoque Angelus illum curans, dixit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Tob. 12. 13.
Pari modo Abraham accidit, cùm enim illi præceperat, ut filium suum unigenitum immolaret, idque exequi vellet, dixit: *Nunc cognovi quòd timeas Dominum.* Gen. 22. 12.
Sicut primò speculativè cognoveram, modò practicè cognosco, & de facto vidi. Diabolus quoque videns Job in tantis afflictionibus constantem persistere, & in hoc lapide lydio verè probari; negare non potuit, quin Job ex toto corde Deum diligeret. Si nulla igitur tribulatio esset, nullus verus amicus à falso decerni posset; & consequenter non essent veri amici.

Tribulatio amicitiam exercet.

30. Dices si tribulatio causa est amicitiæ, quia amicos detegit, etiam causa inimicitiæ erit, quia inimicos pariter detegit. Dico verum esse inimicos detegere, sed patienter sufferre efficit; Davidis exemplo id clarius reddetur; fugiens siquidem Absalon, & à Semei maledictus, patienter tot injurias sustinuit, quia tribulationi assuetus, non ita maledicta sensit. Tribulatio denique efficit, ut amicitia exerceatur

ceatur familiariter, quæ ultima conditio omnia siquidem exercitatione perficiuntur, & absque ea in seipsis consumuntur, & inepta redduntur. Si gladius aut ferrum non usurpetur, rubiginem contrahit, memoria vacillat, scientia evanescit, fortitudo languescit nisi exerceatur; sic quoque in amicitia accidit. Sed quomodo exercetur amicitia? mutuis beneficiis & conversatione, dando, & recipiendo, quæ omnia ex tribulatione facillimè proveniunt.

Tribulatio amoris & amicitiæ mater.

31. Ingens amicitiæ indicium est bona habere communia, aut vestes sibi invicem præstare; quod in tribulatione communi experientia fieri docet. Quid enim aliud sunt alterationes & corruptiones rerum à quibus tribulatio oritur, quàm mutationes vestium, quas inter se creaturæ exercent? sic aqua calorem ex aëre recipiens, humiditatem ipsi præstat. Terra jumentis cibum ministrans, ab ipsis cultivatur. Nos quoque plurimis alterationibus obnoxii, quia universæ naturæ qualitates suas nobis communicare desiderant. Quid denique creditis corruptionem & mortem esse, nisi unius vestis exutio & alia indutio? Apostolus Paulus id intelligens,
2. Cor. 4. 5. rectè dicebat: *Nolumus expoliari, sed supervestiri.* Quia generatio unius numquam est sine corruptione alterius. Frequentes corruptiones & mortes in mundo, quid aliud sunt quàm vestium commutatio? quale etiam majoris amoris signum quàm vestes proprias alteri præstare. Ut Jonathas amicitiam suam Davidi exhiberet, vestes suas ei tribuit. Tribulatio igitur mutuam amicitiam maximè exercet.

Tribulatio inimicos detegit.

32. Sed quid dicitis ex tribulatione pariter odium nasci? detegitur, inquam, non de novo nascitur, nec amicos deperdere efficit, sed falsos à veris discernit. S. Gregorius Papa id præclarè nobis exhibens, ait: *Cùm quis in prosperitate diligitur, incertum est valde, utrum prosperitas, an persona diligatur; amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis.* (S. Gregor. lib. 7. moral.) Seneca quoque dicit: *Amicitia quæ deficit numquam vera fuit.* Et Sapiens ait: *Omni tempore diligit qui amicus est.* (Prov. 17. 17.) Ut vitis virens & hædera est, quæ arborem mortuam amplecti non desinit. Nec de tribulatione conqueri potes, si veros amicos discooperiat; quinimò maximas idcirco gratias agere debes, melius siquidem est habere inimicum apertum quàm amicum fictum, qui sub specie benevolentiæ te decipiat & tradat. Quid dicitis in corde afflictorum procurare invidiam? quinimò illa multò magis inter

gis inter pares oritur, unde natum proverbium: *Figulus figulum odit.* Afflictus insuper miseriis suis attendens, sufficienter in iis agendum reperit. Si quoque adjungas, in faciem Moysis non potuisse Hebræos respicere sicut in faciem Salvatoris Apostoli; respondeo, diversas istius possem assignare rationes; possem quippe dicere, lucem in facie Moysis splendentem, exteriùs ex colloquio Dei appositam esse, non verò à natura ipsa interiùs dimanâsse, unde mirabantur, & oculos offuscabat. Salvatoris verò lux ipsi connaturalis erat, & ex animæ gloria in vultum derivata; ita ut potiùs miraculum esset non resplendere, quàm resplendere; sicque commodè intueri poterant.

Cur lux Moysis & non Christi offuscabat oculos.

33. Pari modo in mundo accidit, non invidetur alicui gloria connaturalis; non Regi regnum, quod longâ avorum serie hæreditario jure possidet, non Duci strenuo quòd gladiô aut lanceâ multas obtinuerit dignitates; sed cùm dignitas in indigno refulget, quæ illi ab externo favore aut humana voluntate absque ullis meritis collata, tunc patienter sufferri non potest, nec bonis oculis intueri. Sapiens id præclarè testatur, dicens: *Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere.* Inter hæc autem primô locô ponit: *Per servum cùm regnaverit.* Dicamus quoque exiguo splendori invideri, non verò ingenti; cujus ratio esse potest, quia ille non ita excellit, quin accipi possit, ideoque cùm nos eundem appetimus, alteri invidemus; cùm verò adeò excedit ut assequi diffidamus, tunc deficiente desiderio quia nil impossibile desideratur, invidia quoque cessat.

Dignitas conveniens non invidetur.

Prov. 30. 21.

34. Melius tamen proposito nostro dicamus, splendorem Moysis ex seipso non fuisse communicativum, nec ad alios diffusivum, quia velô appositô illum tegebat; Salvatoris verò splendorem se ad vestes & ad alios diffudisse, idcircò vestes ejus instar nivis candidæ apparebant. Gloriosi apparebant Moyses & Elias, nec Apostoli hac luce & gloriâ privati erant, ideoq; S. Petro ille locus tantopere placebat, ut diceret: *Domine bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula.* Quid mirum ergò si hic cum delectatione aspiciatur, ille verò intueri non possit? Pari modo nobis accidit, si ab aliquo divitiæ, honores, & gloriæ amicis dispensantur, & indigentibus communicentur, ab omnibus laudatur & benedicitur; si verò amans cuncta sibi retinere cupit, pecuniam in armario, frumentum in granario potiùs

Bono communicativo non invidetur.

Matt. 17. 4.

Liberali non invidetur sed avaro.

potiùs corrumpi permittat, quàm indigentibus distribuat; & superbus ac ambitiosus dignitates sibi accumulans alios despiciat; quid mirum si nemo illum intueri aut æstimare velit? invidia igitur non tribulationis, sed superbiæ & avaritiæ effectus. Licèt quoque ita fuisset, afflicto saltem non invidetur; sed felix ac prosper invidet, illique invidetur; longiùs ergò à pace & amicitia abest.

Felices faciliùs indignantur. 35. Quid dicitis afflictum facillimè indignari? sed multò magis dives & felix; cùm siquidem tribulationi non sit assuetus, omnis minima insupportabilis illi videtur. Sal ex aqua dulci formatum, acriùs & acerbiùs mordet quàm ex aqua omninò salsa formatum, inquit Aristoteles. Pari modo prosperitate & delitiis frui solitus, subitò indignatur & vindicare cupit; non ita tamen amaritudini assueto. Silla Romanus nomen felicis sibi adscivit; sed Plutarchus admirando notat, illum antea benignissimum, postea potentem & reipublicę Dominum factum, crudelissimum extitisse. Rex David potētissimus id præclarè attestatur, hominem ferocem & divitem leonem effici, dicens: *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo.* Psal. 48. 17. Si dum pauper esset illum non timebam, an modò propter divitias timere debeo? nónne naturam commutavit? ita factum videtur, nam leo effectus dicitur à Psalmistâ, ubi siquidem nos legimus: *Divites eguerunt*; ex Hebræo alii legunt: *Leones eguerunt.* Quasi diceret, dives egenus, leo effectus est.

36. Veteribus moris erat, fœnum cornibus tauri indomiti affigere, ut cuncti illum videntes fugerent, unde natum proverbium: *Fœnum in cornu habet, longè fuge.* Sed quæ proportio inter fœnum quô nihil fragilius, & ferocitatem tauri quô nihil terribilius, ita ut illud signum hujus esse deberet? nulla siquidem quantùm ad similitudinem, sed maxima quantùm ad causam; fœnum quippe cibus tauri est, & ex abundantiâ victûs & corporis crassitudine nascitur ferocitas tauri. Tauris pinguibus assimulati fuerunt tortores Christi, dicente Psalmistâ: *Tauri pingues obsederunt me.* Abundantia igitur & pinguedo rerum temporalium hominem & animal ex mansueto ferocem & silvestrem reddit. Si quoque ut dictum est, afflictum instar fœni aridum esse, ideoque facillimè inflammari; dicendum quoque subitò extingui; indignatio verò potentis inextinguibilis est. In Aman id clarissimè patebit, cùm enim omnibus

Abundantia hominem ferocem reddit.

Psal. 21. 13.

Indignatio afflictorum ut ignis fœni.

omnibus bonis & dignitatibus abundaret; solùm à Mardochæo non honorari, tantum illi indignationis ignem concitavit, ut tota Hebræorum natio, in urbe, regia & Judæa commorans sufficiens non fuerit ad illum extinguendum, sed in eo cunctos Judæos in toto orbe perire volebat.

37. Quid dicitis afflictum in seipso ut fœnum ignem concipere? sed nónne advertitis illud evenire humido, non sicco fœno; ita ut non à tribulatione in siccitate figurata, sed per prosperitatem aut amorem proprium per fœnum humidum significata, indignationis ignem in nobis causari videamus. S. Jacobus Apostolus egregiè id docens, ait: *Vnde bella & lites in vobis, nónne ex concupiscentiis vestris?* Quasi diceret, unde indignationis flamma prodire potest, nisi ex pravis humoribus & desideriis indignationis & inimicitiæ vestræ vos conturbantis? Quid dicitis odium in afflictis contra tribulantes causari? verum est, si illos ut agentes principales considerent; si verò ut debent, tamquam Dei instrumenta nos ab omnibus malis purgantia considerentur, non odiô sed amore prosequendi erunt. Sic S. Gregorius Imperatorem Mauritium se persequentem considerabat, unde tamquam Dei instrumentum suscipiens, illi scribebat: *Quia enim peccator sum, credo quòd omnipotentem Deum tantò vobis ampliùs placabitis, quantò me ei malè servientem affligitis.* Si quoque objiciatis duram Hebræorum in Ægypto servitutem Abrahamo revelatam, ipsi indignationem concitâsse; dico illud sufficiens fuisse motivum ut Hebræi non solùm Ægyptios, verùm etiam cunctos exteros amore prosequerentur. Ita Deus per Moysen ipsis insinuabat, dicens: *Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligatis eum quasi vosmetipsos.* Sed quâ ratione illum amare debebant? rationem adjunxit, dicens: *Fuistis enim & vos advenæ in terra Ægypti.* Quasi diceret, tantùm Ægyptiis obligamini pro eo tempore, quô inter illos commorati estis, ut non solùm illos, verùm etiam omnes peregrinos ideò diligere debeatis, ut amorem amori reddatis. Quid tandem dicitis, afflictos quosdam præ desperatione seipsos crudeliter interemisse? verum est, hi tamen adeò sunt pauci, ut præ admiratione ab historiis referantur; unde ab illis nulla universalis regula colligenda. Plures tamen sunt qui ex tribulatione animæ suæ salutem colligere poterunt, de quorum

Jacobi 1.4.

Quomodo tribulatio causa odii.

Lev. 19.33.

Ibidem.

Ibidem.

quorum numero omnes esse cuperem.

Ex tribulatione amor proximi colligendus.

38. Ex his prædictis quid nobis jam colligendum, nisi ut proximum in tribulatione potissimùm diligamus. De Salvatore nostro inquit S. Paulus eum omni tribulatione probatum fuisse, non quia tali remedio indigeret, sed ut nobis se misericordem futurum exhiberet: *Non habemus* (inquit) *Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* Una quoque ex præcipuis causis est, quòd Deus infirmitatem tibi immittat, quia proximo tuo compati nescivisti. Hujus rei omnes historiæ scatent, sed notabile valde est quod in Hollãdia Comitissę Margaritæ accidit, à qua cùm mulier cum duabus prolibus ex uno partu omnino afflicta eleemosynam peteret, deridens illam, ait; Non gemellos concepisses, nisi duos viros cognovisses; at misera omninò hac exprobratione afflicta, Deum precabatur, dicens; Concedat tibi Deus ut tot parias filios quot sunt dies in anno; sicque accidit ut 360. proles parturiret, quæ omnes baptizatæ, cum matre simul obierunt.

Hebr. 4. 15.

Proximo non compati valdè malum.

39. Dum tamen pœna proximo non compatiendi, in hac vita finiret, exiguum esset malum; quod autem magis timendum est, ad alteram quoque vitam transituram, ubi æterna sustinebunt supplicia, qui proximorum miserti non fuerint. Ita evenit diviti Epuloni, qui in flammis infernalibus ne ullam quidem aquæ guttulam obtinere potuit, quia pauperi Lazaro in vita sua compati noluit, nec de mensa sua ciborum micas illi impartiri. Evangelista hanc historiam referens, optimè inquit: *Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis.* Non inquit: *Cupiebat manducare aut gustare.* Quia pauperi frustum panis porrigere quô fames non expletur sed irritatur, potiùs tormentum prolongationis famis quàm subsidium videtur, ideoque de mendici morte ait: *Factum est ut moreretur mendicus*; lentam & crudelem mortem repræsentans. De divite verò ait: *Mortuus est dives*; quasi subitò extinctus. Hoc quoq; explicare videtur S. Augustinus, dicens: *Propter hanc solam inhumanitatem, quâ contemnebat pauperem, ante januam suam jacentem, nec congruè digneq; pascebat; mortuus est & sepultus in inferno.* Non ait, quia non porrigebat illi aliquid ad manducandum, sed quia non convenienter excipiebat. Non sufficit igitur frustum panis porrigere, sed liberali manu tantm tribuendum, ut famem

In altera vita hoc punitur.

Lucæ 16. 21.

Ibid. 22.

S. August. serm. 19. de verb. Dom.

arcere valeat, si pœnas infernales evadere velimus. Advertendum quoque tribulationem adeò perfectè diviti Epuloni commiserationem edocuisse, ut ubi in vita bonis & voluptatibus abundans, non movebatur tâtâ præsentis pauperis afflictione; postmodùm verò metuebat fratribus suis malum futurum, ideoque precabatur Abraham, ut illos admoneri curaret, ne iisdem quibus ille tormentis addicerentur. Adeò igitur verum est tribulationem commiserationem causare, quod apertè, licèt tardiùs agnoscebat & conquerebatur, ut commisereri ei Lazarus vellet.

Commiseratio bonorum causa.

40. E contrà autem quis explicare poterit, quantorum bonorum sit causa, commiseratio proximi, & maximè pauperum & afflictorum? *Beati qui seminatis super aquas*, inquit Isaias; sed in qua regione viderat aut didicerat hanc agriculturam? seminatur ut granum prodeat, & suo tempore multiplicatum colligatur; super aquas verò seminans, non tantùm non colliget, verùm etiam granum perdet quod seminat: insipiens igitur judicaretur qui supra aquas seminaret. Quomodò ergò Isaias tales beatos vocat? non has materiales aquas intellexit, sed metaphoricè tribulationis aquas, pauperes nempe & afflictos, qui aquarum instar in præceps fluunt, omni fructu nudati. His bene facere, idem esse videtur, ac supra aquas seminare, à quibus nullus fructus sperandus; suo tamen tempore fructum cẽtuplum refert, quia *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Per aquam autem pauperes intelligi debere, Sapiens apertè demonstrat, dicens: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Per hunc panem, juxta communem expositionem panis pauperum intelligitur, qui licèt in flumen dejectus videatur, & deperditus cùm pauperi tribuitur; post multum tamen temporis reperietur; in hac nempe vita, vel in futura. Sequitur Sapiens dicens: *Da partem septem, nec non & octo.* Numerus septenarius in sacra Scriptura pro multitudine accipitur, atque ita ubi nos legimus: *Donec sterilis peperit plurimos.* Textus Hebræus habet: *Donec sterilis peperit septem.* Dicendo ergò: *Da partem septem*, id est; distribue pauperibus quantùm desideras: cùm autem nimis parum dixisse videretur, adjunxit: *Nec non & octo.* Si videlicet plurimis eleemosynis distributis, adhuc supersint, noli desistere. Sicut etiam apud Latinos numerus ternarius perfectionem si-

Isai. 32. 20.

Pauperes & afflicti aquæ sunt.

Psal. 40. 2.

Eccles. 11. 1.

Ibid. 2.

1. Reg. 2. 5.

nem significat, & poëtæ ut excellens quid significent, alium adjungunt numerum, ut in illo versu: *O ter quaterque beati.* Sic Salomon non contentus dixisse: *Da partem septem*, qui est multitudinis numerus, ut terminos liberalitatis superet adjunxit: *Nec non & octo.*

Eleemosyna fœcundum semen.

41. Non ergò timere quis debet, quòd pauperibus subveniendo bona nostra destruimus, quinimò per hoc omnia nostra benè succedent. De Davide ante regnum insigne habemus exemplum; habitabat ipse in Siceleg exiguo oppido, ex quo quandoque ad prædam inimicorum pergebat; quadam die autem ipso foris existente, Amalechitæ Siceleg intrantes, cuncta diripuerunt, ac uxores filiosque captivos abduxerunt. Revertente Davide, cuncta direpta videns, afflictus & mœstus subitò suos colligens, illos insequutus, juvenem tandem exanimem jacere comperit, statimque commiseratione motus, illum reficere & animare jussit. Sed nónne vides David, tempus te deperdere? 1. Reg. 30. dum huic potum & cibum tribuis, dum illi in necessitate succurris, inimici ad sua revertentes, securi consistent, nec illos invadere, nec tua repetere poteris, in reditu huic succurrere meliùs poteris. Non, inquit David, miseris succurrendo nullum deperditur tempus, non deficiet occasio persequendi, cùm enim Amalechitæ sit servus, & à Domino ob infirmitatem derelictus, sciet ubi absconditi erunt, & iter nobis ostendet, ac improvisè eos adorsi devincemus. Nec spe frustratus fuit, illis siquidem comedentibus & bibentibus Davide superveniente, cuncti occisi & spoliati fuerunt, & præda ablata, multaque inimicorum spolia recuperata fuerunt. Ecce quanti boni causa adjutorium infirmi, & quantorum malorum occasio derelictio istius fuit. Si Amalechitæ hunc infirmum non dereliquissent, numquam spoliati aut occisi fuissent; quia verò David eundem curavit, tantam victoriam consequutus est.

Pauperibus semper benefaciendum.

42. Concludamus ergò cum insigni Sapientis sententia: *Ab inope ne avertas oculos tuos ob iram,* Eccli. 4. 5. *& non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere, maledicentis enim tibi in amaritudine animæ suæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit illum.* Non inquit, ne avertas manum adjutricem, supponit enim neminem adeò crudelem inveniri, qui necessitatem inopis advertens, non succurrat. Neque *ob iram*, licèt quoque contra illum indignatus esset, Quantò ergò promptior

promptior esse debes ad eleemosynas elargiendas illis qui re numquam ad indignationem provocârunt, sed cuncta bona præstiterunt. Nec derelinquas eos qui te maledicunt, dicendo, fac Domine illum probare mala quę sentio, ut ad commiserationem moveatur; quia Dominus qui creavit illum, & talem tribulationem immisit, exaudiet illum, sicut etiam pro te supplicans exaudietur. Si ergò desideratis hujus vitæ mala & miserias evadere, & bona æterna acquirere, commisereamini pauperibus & afflictis, & habebitis thesaurum in cœlis. Amen.



DISCVR-

DISCVRSVS XLVII.

Tribulatio optima orationis magiſtra, ideoq́ ab illa nobis addiſcenda.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Quàm mirabilia aqua naturalis & lachrymarum efficere novit? num. 1. 2. 3.
Tribulatio omnem videtur excludere orationem & pietatem. à num. 4. uſque ad 9.
Tribulatio ad pietatem & orationem excitat. à num. 10. uſque ad 14.
Tribulatio optima orationis magiſtra. à num. 15. uſque ad 21.
Oratio afflicti cor Dei penetrat. à num. 22. uſque ad 28.
Argumentis contrariis reſpondendo probatur orationem, afflicto rectè convenire. à num. 29. uſque ad 37.
In afflictione continuò orandum, & ad Deum confugiendum. à num. 38. uſque ad finem.

Fontis artificioſi deſcriptio.

1. VArium & admirandum eſt artificium quô humanum ingenium non ſufficientia ęſtimans opulenta dona quibus nobile, inſigne, & fœcundum aquarum elementum ſe ad naturæ humanæ ſubſidium & decorem offert; mille etiam modis ad hortorum delitias, ad vagos ſpectantium intuitus, ad delectabilem auribus concitandam harmoniam illo ingenioſè uti procurat. Ita ut arte naturæ ſe commiſcente, adeò mirabilis fons exurgat, ut diſcerni nequeat, ſi ab hac, aut ab illa procedat; modò naturale apparet artificium, modò artificioſa natura; fons denique videtur ab ipſa natura, non caſu, ſed ingenioſo artificio producta. Id autem verum eſſe, ex eo conſtat, quòd aqua ut arti obediat, in plurimas ſe formas commutari ſinat, prout ingenioſo hortulano illam deducere placuerit. Modò libenter impetuosè deſcendens, modò contra naturam ſaliendo ſe efferens; modò ſe dividens, modò ſe conjungens; modò ſe dilatans, modò ſe reſtringens; modò in planum ſe deducens, modò reptando gyrans; quandoque in exiguas

Aqua in varias deducitur formas.

deducta guttulas, cœlesti rori assimulata, in viride pratum unionum instar decidit; quandoque in unum reducta, varias terræ partes corrodens, ut torrens inundans, in mare præceps delabitur. Nec quasi ratione & arte privatâ, sed ut illâ ditatâ, velut articulatas gerens manus in multos distincta digitos, artem sonumque apprehendit; modò lapideis vocem donat avibus; modò organa suavi-sonantia pulsans, dulcissimum format auribus concentum.

Si aqua fontis tot efficiat, quid lacrymæ facient?

2. Si tot tantaque virtute elementaris aquæ ex terra nascentis fiant mirabilia; quid dicemus per gratiosam illam aquam, ex oculis ut canalibus, non arte humanâ, sed gratiæ divinæ virtute producta effici? Audi os illud aureum de S. Pauli lacrymis præclarè dicens: *Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? eúmne qui est in paradiso, qui irrigat universam terram? sed nihil dicis æquale.* (S. Chrysost. homil. 12. in epist. ad Coloss.) Quàm insigne jucundumque spectaculum fons lacrymarum beatissimis exhibet spiritibus; ipsique Deo. Non jucunditatem solùm, (sed quasi dicere audeo, si illud supremum numen admirationis esset capax) ingẽtem causaret stuporem, exiguam lacrymarum guttulam, ex oculis devoti sui in genas defluentem conspiciens, majorique inde saltu consurgere, & mirabiliter nubes, cœlos, Angelos, cunctosque beatos transcendens, ante conspectum Dei se sistere. Sed quis hoc attestari poterit? an aliquis hoc præsens conspexit? nullus mortalium, non enim videbit homo & vivet. Quis nobis ergò revelavit? Deus ipse per os Sapientis Spiritu Dei plenum loquens, mirabiliter & evidenter hunc saltum stupẽdum explicat, dicens: *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillas descendunt?* (Eccli. 35. 18.) An falsum est, lacrymas inopis viduæ ex oculis ad genas descendere? nequaquam, sed quid inde sequitur? an ibi sistunt, aut in terram decidunt? minimè, quinimò in tantùm ascendunt, ut nubes, cœlos, Angelos transcendant; & Deus se in illis complacens, efficit quidquid desiderant. *A maxilla ascendunt usque ad cœlos, & Dominus exauditor delectabitur in illis.* (Ibid. 19.) Vel ut habet vulgata editio: *Non delectabitur in illis.* Adeò nempe velociter exaudiet, ut se in iis non delectari ostendat; cum quasi propria manu lacrymas abstergendo post planctum jubilum adducet. Deum insuper nullum jucundius in terra habere spectaculum, probat S. Bernardus, dicens: *Dum sordent genæ lacrymis, gemitibus, atque suspiriis mugiunt colla, & pro forensibus causis, canticis spiritualibus, sacra tecta resultant,* (S. Bernard. epist. 79.)

sultant, nil supernis civibus magis spectare lubet, nil Regi summo jucundius exhibetur.

Diversi lachrymarum effectus. 3. Quid porrò de aliis stupendis lusibus hujus aquæ referam? modò unita in torrẽtem se format, ut concupiscẽtię ignem extinguat: *Deduc quasi torrentem lacrymas.* (Threnor. 2, 18.) Modò novo & mirabiliori modo panis & vini assumit figuram: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Modò in altum se efferens, in minutissimas decidens guttulas, candidissimi instar grandinis, terram disseminat: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.* (Psal. 125, 6.) Modò in medium exurgens & quasi indignando se retrahens, bullam formans intumescit: *Facies mea intumuit à fletu.* (Job 16, 17.) Modò placidè & humiliter defluens, quasi mare lenissimis ventis commotum, tremebunda decurrit: *Manducavit panem cum luctu & tremore.* (Tobiæ 2, 6.) Modò per saxosa vada lectum suum accommodans, dulci murmure agitata pergit: *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* (Psalm. 6, 7.) O quanta mirabilia! Quod autem proposito meo magis inservit, est, quòd insuper; *Scientiam habet vocis*, suavissimam & acceptabilem causans melodiam; per illam siquidem amabilis Spiritûs sancti columba gemebunda cantare auditur: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (Rom. 8, 26.) Modò mirabilem in humano pectore suspirii, lacrymarum, & cogitationum concentum excitando, divinum auditum dulciter & amabiliter allicit, quia semper *Exaudit vocem fletûs nostri.* (Psalm. 6, 9.) Quàm ergò miranda aqua lacrymarum excitat? sed quis hortulanus hanc aquam pro libitu emittens & retinens? tribulatio, licèt enim dicatur quispiam prę lętitia plangere, id tamen valde rarũ est. Planctus tribulationis legitimus filius, cui mirabiles adeò debentur effectus; qui licèt variè distribuantur, modò tamen de nobilissimo effectu discursum instituere volo; de musica nempe, & concentu orationis. Inspiciamus igitur quàm excellens sit magistra orationis, & quantam virtutem exaudiendi & complacendi adjungat; puto enim hanc adeò insignem esse, ut omnes in admirationem rapiat. Nec immeritò post virtutes Theologicas orationem annectimus; illarum siquidem cognata, & quasi religionis filia est.

Tribulatio orationis magistra.

Oratio tribulationis inimica videtur. 4. Quia tamen tribulatio numquam adversariis privari potest, non desunt qui hanc laudem tribulationi invidentes, illam ejus maximam inimicam asserunt. Et certè si orationem musicam esse asseruerimus, quomodo tribulatio eam non abhorrebit? loquutor im-

tor importunus omnibus nauseam parit. Aristoteles cuidam importunè semper frivola referenti ac dicenti: *Nónne tibi hoc mirum videtur?* respondit: *Nequaquam, sed si quis pedes habens te audiat.* Si quis nempe à te recedere valens, nugis tuis attendat, id summoperè mirandum. Poëta quoque, potiùs quàm versus Dionysii tyranni malè compositos audire vellet, in carcerem detrudi, & ad marmora secanda condemnari maluit. Sed quid tribulationi importunius musicâ? Sapiens egregium de hoc præbet testi-

Eccli. 22. 6. monium, dicens: *Musica in luctu importuna narratio.* Tantùm ergò abest ut afflictus musicam efficiat, ut ne quidem alios cantantes audire poterit. Sicut enim magna foret indiscretio, dicere claudo, ut velociter currat, & cœco ut benè videat; sic etiam afflicto, ut hilariter cantet. Tali modo intellexerunt Israëlitæ captivi in Baby-

Psal. 136. 4. loniam adducti, dicentes: *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Potiùs asserebant lingua nostra faucibus adhæreat, & muti reddamur; quinimò instrumenta sua musica salicibus fluminum appendentes, illa corrumpi & discordari sinebant, ne ulteriùs uterentur, sed in perpetuum inhabilia remanerent; salices quippe symbolum sterilitatis.

Oratio in tribulatione impossibilis.

5. Nec importuna solùm afflictis musica, verùm etiam impossibilis videtur oratio. Naturalistæ aiunt, instrumenta musica non rectè sonare, si cordæ diversæ ponantur, ex intestinis nempe pecorum, & lupi. Tanta quippe horum animalium antipatia, & ita prædominatur lupus pecori, ut hoc non solùm in vita perdat vocem in conspectu lupi; verùm etiam intestina muta remanent, cùm lupi intestinis conjunguntur. Tribulatio quid est? ut pecus in medio luporum, Salvatore teste: *Ecce ego* Matt. 10. 16.
mitto vos sicut oves in medio luporum. Quomodo ergò cantare poterit, si ne quidem habeat vocem? Dico insuper quid afflictus agit dum Deum orare prætendit? cordas pecorum & luporum accordare nititur; pecus est quia se humiliat: lupus est quia proprio commodo attendens, ex necessitate, non propter Dei amorem orat; tales quippe nomen lupi merentur. Prædicta probantur, non solùm quia lupus est animal voracissimum, verùm etiam per prophetiam Patriarchæ Jacob: *Benjamin lupus rapax.* Doctissimi aliqui Rabbini id volunt intelligi de templo Salomonis in Jerusalem, quod erat in tribu Benjamin, cujus sacerdotes proprio commodo & lucro attendentes, magnam ani-

Afflictus ut pecus inter lupos.

Gen. 49. 27.

malium

malium quantitatem sibi addicentes comedebant; sicque populum à sacrificiis avertebant. De tribulato ergò dici potest, ipsum in vestimentis ovium ad orandum venire; humilis nempe, & modestus exteriùs; interiùs autem lupum rapacem esse propter lucrum, & famem arripiendi. Si mihi quis objiciat, posse illum quoque ex amore ad orandum moveri; dicam verum esse, tunc autem non ut afflictum orare, nec tribulatio illum ad orandum incitabit.

Deum per se adorare melius.

6. Dico insuper aliqua meliùs per nos immediatè fieri, quàm per alios; alia verò per alios meliùs quàm per nos. Aristoteles in Ethicis suis id præclarè testatur, dicens; Principem per se meliùs gratias & favores conferre, sed castigationes per alterum. Inter hæc autem quę meliùs per nos fiunt, est alloquutio Principis; Themistocles numquam per interpretem Xerxem alloqui volebat, sed anno integro expectabat, ut linguam Persicam loqui noscens, per se illum alloqui posset; multò igitur melius est, Deum per se in oratione alloqui. His tamen non obstantibus, S. Jacobus infirmis suadet, ut non per se orent, sed per alios: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Nónne melius esset infirmum orare? omninò, sed nimis ipsi foret difficile, ideoque non tantùm requiritur. Ad Regem Persiæ vacuis manibus non erat accedendum, sed munera offerenda erant; idem quoque Deus in lege veteri præcipiebat, dicens: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Sed quid magis vacuus afflicto? Noëmi afflicta dicebat: *Vacuam reduxit me Dominus.* Quomodo ergò coram Deo apparere poterat? Coram Rege Assuero nullus in luctu aut sacco vestitus videri poterat; quomodo igitur afflictus coram Deo apparebit sacco tribulationis, & mœstitię luctu vestitus? nequaquam id fieri poterit.

Jac. 5. 14.

Exod. 23. 15.

Ruth. 1. 21.

Afflictus bene orare non poterit.

7. Concedamus insuper afflictum orare posse, quomodo poterit benè orare? in cunctis operationibus bene faciendis, duo requiruntur, attentio nempe, & delectatio; unde Philosophorum Princeps dicebat: *Delectatio perficit opus.* Quod multò magis in oratione requiritur, quia animô potiùs quàm corpore perficitur. Propheta David id optimè intelligens, orationem adeò delectationi conjunxit, ut unam pro alia quandoque sumat, dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ut aliquid à Deo obtineamus, nónne oratione opus est? omninò, sed hanc David intellexit in verbo

Psal. 36. 4.

delectare, quia in Domino delectari, & orare idem est; undique tamen afflictus, nullibi delectationem capere potest. Hoc egregiè cognoscebat senex Tobias, ideoque dicebat: *Quale gaudium mihi erit, qui lumen cœli non video?* ne quidem ergò orare poterit. Concedamus quoque illum attentè orare, numquam tamen hilariter id perficere poterit, ut altera conditio requirit: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Teste S. Paulo, & Davide dicente: *Servite Domino in lætitia.* Quam lætitiam afflictus habere non poterit, cùm tribulatio dolorem & mœstitiam secum conferat; non ergò convenienter orare poterit. Cùm Aaron post mortem filiorum sacrificium offerret, multos commisit errores, unde à Moyse reprehensus, dixit: *Quomodo potui placere Domino mente lugubri?* quam excusationem Moyses ut legitimam admisit.

Tob. 5.12. 2. Cor. 9.7. Psal. 92. 2. Lev. 10.19.

Orans animo quieto esse oportet.

8. Populo Hebræorum præceperat Deus, ut tribus vicibus in anno à domo recedentes, ad locum quem elegerat Deus, pergerent, ut sacrificium ibi offerrent; promisitque illis, dicens: *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Quibus verbis Deus promisit, se fore custodem domorum eorum, ut securo animo Deum adorarent. S. Augustinus id insigniter docens, ait: *Hoc vult Deus intelligi, ut securiùs quisque ascenderet, nec de terra sua sollicitus esset; Deo permittente custodiam.* Ad quem verò finem Deus hanc securitatem illis promittit? an malum est in timore versari? absolutè non, quia Deus noluit cunctos Hebræorum inimicos destruere, ut inter se cum timore viverent, nec à Deo in minimo discederent. In tempore autem orationis nō fuisset bonum cùm animus alienis rebus, & custodiæ domus intentus ac timore distractus, nec attentè orare, nec divinis rebus convenienter assistere potuisset. S. Paulus id præclarè docet, dicens: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Tribulatio ergò timorem & sollicitudinem secum adferens, animum ab oratione & divino servitio avocabit, ut ei attentè, & convenienter vacare non possit.

Exod. 34. 24. 1. Cor. 7.33.

9. Prædicta ex eo confirmantur, quòd oratio, teste Psalmistâ, thuri comparatur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* In Apocalypsi quoque dicitur: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli.* Auctor quoque operis imperfecti in Matthæum, rationem red-

Oratio thus accensum. Psal. 140. 2. Apoc. 8. 4.

dit,

S. Chrysost. homil. 13. in Matt.

dit, dicens: *Sicut thimiamata bene confecta delectant hominem adorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum.* Quis verò ignorat fumum & odorem thuris incensi non rectè ascendere, si in aëre ubi transit, venti sufflant? virtute quippe ventorum resistere non valens, eò defertur, quò à ventis impulsus fuerit. Tribulatio quid est? ventus contrarius, ut sæpè diximus; ab illo ergò oratio agitata & concussa, rectè ad cœlum evolare non poterit; & per consequens bona non erit; cùm igitur afflictus rectè & convenienter orare non poterit, meliùs ab ea cessabit.

Tribulatio non impedit, sed juvat orationem.

10. Longè tamen à nobis hæc opinio absit; hoc siquidem esset nos privare meliori fructu & consolatione, quàm cor afflictum in tribulatione sentire possit. Adeò quoque falsum est quòd tribulatio impediat orationem, ut potiùs illam maximè adjuvet. In primis siquidem quid est oratio? colloquutio cum Deo; quænam verò res aut operatio hanc impedire potest? nihil aliud invenio, quàm comestio & bibitio; si enim manus aut pedes moveas, linguam pariter movere poteris, de facto quoque videtur, quòd laborantes aut itinerantes cantent aut fabulentur, ut laborem sublevent; comedens verò aut bibens, non potest linguâ loqui. Summoperè in hoc divina excelluit providentia, crapula quippe & voluptas incentiva sunt disordinatæ loquutionis; unde si simul utrique attendi possit, nimis multa inordinata audirentur. Si quis mihi objiciat in mensis confabulationes fieri, dicam verum esse, sed interim à comestione & bibitione cessatur. Prosper & felix quid efficit? lautæ assidet mensæ, bene epulatur & convivatur, ut quidam apud Isaiam dicebant: *Comedamus & bibamus*; orationi ergò apti non erunt, nec cum Deo colloqui poterunt. Hunc conceptum S. Job sub metaphora bovis egregiè explicat, dicens: *Numquid mugiet bos cùm antè præsepe plenum steterit?* Quasi diceret, nequaquam mugiet, quia tempus comestionis est; nec hic naturam bovis particulariter investigare cupiebat, cùm parum hoc referret; sed hac similitudine mores hominum explicare volebat, qui cùm desiderata acquisierint, os vix aperiunt, ut orent, & Deo gratias referant.

Isai. 22.13.

Job 5.6.

Oratio jejunio conjuncta.

11. Nónne videtis jejunium & orationem continuò simul esse? *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*; dixit Angelus Tobiæ. *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio*, dixit Christus. *Iejunantes & orantes*, de Apostolis dicitur.

Job 12.8.

Marc. 19. 29.

Act. 13.3.

dicitur. Crapula & oratio numquam bene conveniunt; nec ventri cibis implendis, & mente divinis colloquiis attendere possumus. Tribulatio quid efficit? etiam invitos jejunare cogit. De Dario Rege apud Danielem insigne extat exemplum, cùm enim valde affligeretur, eò quòd Danielem, à regni Proceribus coactus, in lacum leonum misisset; nihil comedere voluit, dicente Scri-
Dan. 6. 18. pturâ: *Cibi non sunt allati coram eo.* De Davide quoque, ob mortem filii afflicto, dicitur:
2. Reg. 12. 17. *Nec comedit cum eis cibum*; aptiores ergò orationi reddet, ideóque David in afflictione subitò ad Deum recurrit, dicens:
Psal. 119. 1. *Ad Dominum cùm tribularer clamavi.*

Tribulatio orare docet.

12. Parum dixi, non tantùm ad orationem disponit tribulatio; verùm etiam orare efficit. Si Philosophos interrogeris, cur lapides inferiùs descendant; Aristotelem sequentes dicent, duas esse causas; illas projiciens, aut impedimentum tollens; v. g. lapides ligno adhærebant, & illud auferens, ceciderunt. Quid creditis orationem esse? motum animæ ad centrum, quod
Damasc. lib. 3. Orthod. fid. cap. 24. Deus est. *Oratio est ascensus mentis in Deum*; inquit Damascenus. Philosophi aiunt, motum versus centrum velociorem esse; & in fine perfectiorem, quàm in principio. Pari modo sancti de oratione dicunt, quò enim quis magis ad Deum accedit, eò perfectior evadit, & in oratione ferventior: *Melior est finis orationis quàm principium*; inquit Sapiens. Eccles. 7. 9. Hujus autem motus quæ erit occasio? duplex rectè est occasio; generans, qui Deus est, ad orandum movens; & impedimenta removens. Quænam erit occasio removens? tribulatio; hujus siquidem officium est omnes res creatas, in quibus confidebas, auferre. Toto affectu amicum diligebas, aut divitiis & commoditati innitebaris, venit tribulatio & tibi ea aufert. Neminem reperis in quo confidas; & ad Deum te necessitate coactus, confugere docet, cum Prophetâ Davide: *Ad Dominum cùm tribularer clamavi.* Psal. 119. 1.

Tribulatio ad orationem impellit.

13. Parum dixisse videor, tribulatio siquidem non solùm removet aut prohibet impedimenta, verùm etiam impellit. Ut quis ad aliquid agendum impellatur, nullum efficacius remedium quàm fames & inopia. Insigniter id cognoverunt Scythæ, cùm enim artem sagittandi optimè callerent, & filios suos in ea erudiri cuperent, quotidie panem alto stipiti infigentes, non priùs manducare sinebant, quàm jaculis eundem acquisissent; fame igitur co-

tur cogente, directè ſagittam emittere diſcebant. Idem tribulationem nobiſcum agere dicite, oratio admiranda ſagit-
Pſal. 119.4. ta : *Sagittæ Potentis acutæ.* Deus verò adeò zelosè intendit, ut hanc ſagittam directè jaculemur, ut cuncta bona per eam obtinenda proponat; nos tamen adeò tepidi & negligentes ſumus, ut nihil efficere valeamus. Quid igitur agendum? Deus tribulatione nos premens, inopiam noſtram cognoſcere facit; & in mentem revocat, ſagittâ orationis utendum, ut inopiam noſtram ſublevare poſſimus. David egre-
Pſal. 67.11. giè nos docet, dicens: *Parâſti in dulcedine tua pauperi Deus*; non inquit *dediſti*, ſed *parâſti* pauperi & afflicto, quantùm indiget; quid agendum ut recipiat? orationi incumbendum, ſagitta emittenda, & ſubitò acquiret. Dices multoties oravi, nec deſideratum obtinui; credo bene, ſed artem ſagittandi ignorâſti, non bene tetendiſti arcum, nec ſagittam directè emiſiſti; ſic S. Jaco-
Jacob. 4.3. bus teſtatur, dicens: *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.*

Neceſſitas orare docet. 14. Propheta regius hunc Dei agendi modum optimè intelligens, diligenter orationis exercitio incumbebat, di-
Pſal. 62. 2. cens: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Vix Domine evigilavi, quin ſubitò orationis ſagittam ad te emitto. Quid te cogit David ad tam ferventem orationem? neceſſitas, fames, ſitis: *Sitivit in te anima mea,* Ibidem.
quàm multipliciter tibi caro mea. Multis indiget caro & anima mea, ideoque oportet ad te recurrere. In mundo diverſis perſonis ob neceſſitates diverſas indigemus; medico infirmus, piſtore famelicus indiget. Deo autem in cunctis neceſſitatibus indigemus; ideoq; quælibet tribulatio nos ad illum dirigit, ut oremus & obſecremus. Si prævaleat inimicus, nullum efficacius remedium quàm oratio: *Eripe me de inimicis meis*, precabatur David in perſequutione inimicorum. Cùm Numæ Pompilio, ſecun- *Oratio pro*
do Romanorum Regi dictum *cunctis reme-*
eſſet; populos vicinos ingen- *dium.*
tem parare exercitum, reſpondit: *At ego ſacrifico*; quaſi diceret, defenſionem promptam teneo, ideoque non timendum, nam ſacrificare, & ad Deum recurrere, optimum contra hos remedium. Multò meliùs Rex David dicebat:
Cùm mihi moleſti eſſent, oratio Pſal. 43.13.
mea in ſinu meo convertetur. Nullum inſuper pro infirmitatibus efficacius remedium quàm Dei adjutorium, qui optimus eſt medicus, teſte Davide: *Qui* Pſal. 102.3.
ſanat omnes infirmitates meas; ideoque ad Deum in neceſſi-

tate confugiendum, & orationi continuæ insistendum. Optimè hoc intellexerunt de quibus Propheta David dicebat: Psal. 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Nulla denique est tribulatio pro qua non reperitur remedium aut consolatio in Deo, quia 2. Cor. 1. 3. *Est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Ideoque tot sunt stimuli, ut ad Deum in oratione confugiamus.

Tribulatio orationis magistra.

15. Nec stimulus solùm orationis, verùm etiam magistra, vires tribuens, & modum illam rectè perficiendi. Antiquis rosa symbolum eloquentiæ erat, unde dicere solebant: *Audivimus Rosam loquentem.* Id est; personam eloquentem. Sicut enim in medio purpuratorum foliorum auratum & fœcundum semen refulget, sic eloquentia aureis & efficacibus verbis à roseis labiis procedit. Rectè hoc expressit Sponsa in Canticis, ubi enim nos legimus: Cant. 5. 13. *Labia ejus lilia*; S. Ambrosius legit: *Sicut Rosa.* Sed ubi nascitur rosa nisi inter spinas? & quid hominem eloquentiorem reddit quàm tribulatio adveniens? Cicero cuidam ruditer conquerenti se gravi injuriâ affectum, acutè respondit: *An si hæc vera essent tu sic diceres?* Quasi diceret, si inter tribulationis spinas fuisses, rosam quoque possideres; eloquentiam nimirum adeptus esses. Optimè igitur dixit Psalmista: Psal. 119. 1. *Ad Dominum cùm tribularer clamavi.* Non ait: *Loquutus sum*, sed *clamavi*; quia tribulatio premens, vocem me elevare fecit, & ob necessitatem clamare.

In tribulatione Deum ferventer invocamus.

16. Ut autem hoc verum esse ostendamus, magna est differentia explodendi bombardam tempore pacis, & tempore belli; tempore pacis non emittit globulum ignitum, non lædit aut perterret, sed sonum tantùm sterilem & inefficacem reddit. Tempore autem belli globuli & catenæ emittuntur, non tantùm sono exterret, verùm etiam lædẽdo occidit. Pari modo de oratione tempore prosperitatis & adversitatis fieri dicite; tempore prosperitatis, oratio inefficax est sonum sterilem reddens: Isai. 29. 13. *Populus iste ore & labiis suis glorificat me*, dicebat Deus per Isaiam: *Cor autem ejus longè est à me.* Exteriùs autem tantùm pro cæremonia orant. Tempore verò adversitatis oratio efficax & sonora est; Deum ferventer ex toto corde deprecamur, & mirabiles apparent effectus. Vultis orationem ferventem percipere, audite Davidem in tribulatione sua clamantem: Psalm. 118. 145. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine*; quasi diceret, non fictè bombardam explosi, sed effica-

efficaciter cum globulo ignito, idcircò resistere non vales, sed necessariò me exaudire cogeris. Sed quo tempore David ita clamabat? tempore adversitatis; sequitur enim: *Clamavi ad te salvum me fac.* Naturalistæ dicunt vocem super aquis dilatari, & melius audiri; pari modo de voce tribulationis dicendum, quia aquæ sunt tribulationes; David his aquis quasi absorptus, ingenti voce clamare cœpit: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, ideò melius à Deo exauditus fuit.*

Ibidem.

Psal. 68. 2.

Oratio afflicti suavior.

17. Nec solùm majoris virtutis, verùm etiam suavior oratio afflicti est, numquam advertistis, si musicam sonoram in cythara aut alio simili instrumento audire cupitis, cordas optimè exsiccatas esse debere, alioquin vix ullum reddent sonum? nos omnes in hac mundi cythara ut cordæ dispositi sumus; in prosperitate molles & humidi sumus; quomodo hæ cordæ siccantur & extrahuntur? tribulatione, si cordæ pati possent, in extractione dolorem sentirent, quandoque enim rumpuntur. Pari modo Deus ut insignis sonator, nos cytharæ suæ accommodat, pravos humores mundanarum voluptatum exsiccando, ut gratam exhibeat musicam. Tali modo dispositus erat patiens Job, ideoque suavem & sonoram exhibebat musicam, amici verò necdum mundanis vanitatibus expoliati, non rectum dabant sonum: *Non estis loquuti rectum sicut servus meus Iob*, dixit illis Deus. Animæ quoque afflictæ dixit Deus: *Invoca me in die tribulationis*; quasi modo dum optimè es dispositus, musicam bonam & sonoram mihi exhibe.

Job 42. 7.

Psal. 49. 15.

Tribulatio eloquentissima.

18. Quomodo autem tribulatio non docebit suavem & eloquentem orationem si ex se eloquentissima sit? S. Augustinus inquit homines loquelam addiscere ex aliorum auditu; quomodo ergò non fient eloquentes, si alios eloquenter loqui audient? Tribulatio eloquentissimè loquitur, cuncta persuadens. In Pharaone insigne hujus rei exstat exemplum; licèt enim Aaron eloquens satis esset, numquam tamen aliquid ei persuadere potuit; sed tribulatione adveniente, cuncta quæ volebat illi persuadebat; ita ut virtute tribulationis exigua musca eloquentior esset Moyse & Aarone. Aliqui talem habent scientiam, ut sibimetipsis tantùm, non verò aliis docti sint; verum est, non talis tamen est tribulatio, in docendo quippe summoperè excellit; ita ut non homines solùm, verùm etiam animalia edoceat. Quomodo creditis canem tot lusus & sal-

& saltus addiscere, aliaque animalia plurima admiranda exercere. Non alio medio quàm tribulatione percutiendo, aut cibum & potum subtrahendo. Si in brutis hęc efficiat, quid in homine non faciet?

Cur Aaron exauditus, non Moyses.

19. Experientiâ id clarè patebit, nulla siquidem oratio ferventior fit, aut citiùs exauditur quàm afflicti. Optimè se hoc cognoscere ostendebat Moyses cùm enim Deus in seditiosos ignem de cœlo misisset; pietate commotus, dixit Aaroni fratri suo ut thuribulo arrepto, se inter Deum & mortuos collocaret, eumque precaretur, ut manum continere vellet, quo facto cessavit tribulatio. Sed quid sibi vult, quòd Moyses non se interponeret, sed Aaroni præciperet. Respondet Liranus, quia Deus illi revelaverat, quòd per Aaronis orationem hæc plaga cessare deberet. Cùm autem Moyses tot mirabilia oratione suâ peregerat, cur modò non ipsi sed Aaroni tribuitur extinctio cœlestis ignis? gravis & modernus auctor respondet, seditionem populi contra Aaronem potissimùm concitatam, quia occasione supremæ dignitatis sacerdotalis orta erat, cui alii invidebant. Dicebat ergò Moyses, non mihi hæc afflictio, sed Aaroni accidit, ipsum persequuntur, idcirco oret pro plaga ista, quia oratio patiente tribulatione fulcita, maximam obtinendi vim habet. Ita quoque accidit referente sacro textu: *Pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Notandum insuper, sacram Scripturam dicere Aaronem se constituisse inter vivos & mortuos, in ultimis videlicet terminis, ubi ignis grassabatur; ita ut se quasi fortissimum propugnaculum contra ignem opposuerit, ne ulteriùs progrederetur, quia oratione & patientiâ armatus, igni prævaluit. Quid de celeritate dicam, quâ Deus illum in tali oratione subitò exaudivit? illa certè mirabilis extitit.

Oratio afflicti citiùs exauditur.

Numer. 16. 48.

Afflictus fervidè obsecrat.

20. Cuncti oratores satis bene egisse videntur, si in exordio auditorum benevolentiam captâsse videantur; si in narratione illos instruant, in confirmatione confligant, in peroratione persuadeant. Afflictus verò in principio orationis adeò bene peragit, ut subitò persuadeat & exaudiatur. In Daniele Propheta experientia id clarè exhibebit; hic ob patriæ desiderium & adventum Messiæ graviter afflictus, orationem ferventem aggressus est, ipso dicente: *Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari, in jejuniis, sacco, & cinere.* Quanto tempore creditis illum expectâsse? subitò exaudi-

Dan. 9. 3.

exauditus fuit, audite ipsum

Ibid. 21.

id affirmantem: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, & loquutus est mihi, dixitq; ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni ut indicarem tibi.* Non ergò Deus finem aut medium orationis expectat, sed subitò ut exordium audivit, statuit, ut Danieli tribueretur quantum volebat. Deus multoties indignatus, cœlorum portas clausas tenet, neminem audire cupiens; ita testatur Jeremias, dicens:

Threnor. 3. 44.

Opposuisti nubem ne transiret oratio. Quodnam remedium? naturale adhibendum, nubes à ventis facillimè moventur & fugantur; si vis nubium impedimentum tollere, & orationem tuam facillimè ascendere, suspiriorum ventos implora, lachrymarum imbres effunde, afflictionem tuam exhibe, & subitò indignationis nube recedente, divini vultûs serenitas apparebit, & cuncta desiderata tribuentur.

Afflictus obtinet antequam petat.

21. Dico insuper te quoque illud obtenturum antequam petieris. Quandoque accidit aliquem in atrio Principis exspectare donec illum adire possit, illa interim præparans quæ dicenda occurrunt; Princeps illum ex intuitu & voce cognoscens, illique affectus, advertens se ei loqui velle, vocare curat, & subitò benignè petita exequitur. Pari modo Deus cum afflictis agit, Secretarius ejus David id præclarè testatur, dicens:

Psal. 10.17.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus præparationem cordis eorum audivit auris tua. Quasi diceret, pauperes & afflicti alloqui Deum desiderabant, non tamen ante divinam majestatem se prosternere audebant, ideoq; Dominus desiderium illorum agnoscens subitò illos exaudivit. Dico insuper, Principe dormiente, nullus ipsum excitare audet; Deus verò nullum sibi tempus dormitionis reservat, licèt quoque dormiret, ad pauperum tribulationes excipiendas excitari cupit, dicens per servum suum Davidem:

Psal. 11.6.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Mundo nempe, notum faciam, me excitatum fuisse ad gemitum afflictorum exaudiendum.

Deus non potest se abscondere ab afflicto.

22. Dicere insuper audeo, quòd licèt Deus se vellet abscondere, non posset orationem tribulationi conjunctam effugere. Hujus rei ratio est, quia tribulatio est intima cubicularia reginæ cœlestis, claves secretiores defert, ideoque pro libitu aperit & intrat absque licentia. Hæc clavis adeò est necessaria, ut ne quidem Dominus absque ea intrare possit, ideoq; de seipso dicebat:

Lucæ 24. 26.

Nónne oportuit pati Christum, & ita intrare

trare in gloriam suam? Hac ergò clavi per modum crucis fabricatâ præditus, ubique intrare poteris. De hoc insigne exstat exemplum in Evangelio; dicit enim S. Marcus Christum confines Tyri & Sidonis occultè transire volenti, non potuisse: Marc. 7. 24. *Neminem voluit scire, & non potuit latere.* Mirandum sanè Salvatorem non potuisse obtinere quæ vellet; quis tantæ potentiæ ut illum nolentem manifestaret; mulier afflicta, Chananæa pro filia afflicta deprecans: Matt. 15. 22. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa*; quia tribulationis clavem secum ferebat, intrare undique poterat, unde Dominus se nullo modo abscondere potuit, quin tribulatio illum proderet.

Oratio afflicti cor Dei vulnerat. S. Jeron. supra Isai.

23. Quis insuper ignorat, quid lachrymę apud Deum impetrare possint? S. Jeronymus egregiè id probat, dicens: *Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit; hæc ungit, illa pungit.* Si quoque dixisset cor Dei transfigere, non malè dixisset. Deus ipse hoc Sponsæ suæ in sacris epithalamiis indicabat, dicens: Cant. 4. 9. *Vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Duo habent officia oculi, videre, & lachrymari; sed quô cor Dei vulnerant, non primô, quia nemo potest Deum videre: Exod. 33. 20. *Non enim videbit me homo & vivet*; ut ipsemet testatur.

Lachrymæ sanguis cordis.

Secundô ergò officiô cor Dei vulneratur, lachrymis nempe, lachrymæ enim sunt sanguis cordis & vulneris indicium. Nil magis quoque ad planctum movet quàm alios lachrymari videre; sic Christus videns Mariam Magdalenam & Martham plangere ob mortem fratris, conturbatus etiam flevit; si fleverit, ergò cor ejus vulneratum fuit. Sed à quo cor Christi vulnerari potuit, nisi à lachrymis dilectarum sororum? lachrymæ igitur virtutem cor vulnerandi habent; ideoque de illis rectè dictum: *Vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum.* Ubi suprà.

Lachrymari primum cordis officium.

24. Si quoque idiotismo Hebraico nos conformantes, in voce *uno*, intelligamus *primo*; magis hęc nostra expositio corroborata manet; cùm primò oculi lachrymentur quàm videant; ex obscuro quippe carcere maternæ vulvæ infans prodiens, nec debilis oculorum pupilla claram solis lucem intueri valens, subitò lachrymari incipit. Lachrymæ quoque insigni phrasi ab Hebræis primitiæ hominis dicuntur; ubi quippe nos legimus: *Decimas & primitias tuas non tardabis reddere*; Exod. 22. 29. Hebræi legunt: *Plenitudinem tuam & lachrymam tuam*; ita ut idem sit dicere lachrymæ, ac primitiæ. Non solùm quia instar primorum fructuum, lachrymæ

chrymæ jucundissimæ sunt; non solùm quia primitiæ illæ soli Deo debentur; non solùm quia per illas cor offertur, quod primum est in animalibus, & primò inter reliqua membra vivere incipit; non solùm quia inter plurimas arbores (in Palæstina potissimùm) primus fructus vocatur lachryma, ut de balsamo & myrrha; & in Italia quoque præcipuum vinum lachryma dicitur; sed quia primum quod homo peragit, est lachrymari, teste Sapiente: *Primam vocem emisi plorans.* Sap. 7, 3.

25. Lachrymæ igitur cor Dei vulnerant, & quasi cogunt ad efficiendum quicquid afflictus desiderat. S. Ambrosius egregiè docet, lachrymas cœlo vim inferre: *Cogimus* (inquit) *regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, non compellendo, sed flendo; non provocando injuriis, sed lachrymis exorando. O beata violentia quæ non indignatione percutitur, sed misericordiâ condonatur. Quisquis violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.* Nec minori encomio S. Jeronymus easdem prosequitur, dicens: *O lachryma humilis, tua potentia, tuum regnum, tribunal judicis non veretur, inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis, non est qui te accedere vetet, si sola intrabis vacua non redibis, magis crucias Diabolum quàm pœna infernalis, quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem.* Sic de Patriarcha Jacob dicitur, se contra Angelum victorem monstrâsse, & Deum in persona ejus superâsse. Luctabatur cum Angelo, sed quomodo? *Flevit & rogavit eum*; prece & lachrymis.

Lachryma cœlo vim inferunt. S. Ambros. serm. 15. S. Jeron. in epist. Osee 12. 4.

26. Maria Magdalena quomodo gratiam Salvatoris obtinuit? violentiam cœlo intulit, cùm enim peccatrix esset, multis innocentibus prælata fuit, pœnas promerita, favores obtinuit; ob peccatorum scelera reprehensione digna, à Salvatore mirabiliter laudata fuit. Sed qualiter hæc omnia promeruit? per lachrymas: *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Insigni quoque mysterio non dixit Evangelista, Magdalenam lavâsse Salvatoris pedes, sed irrigasse, uti hortis fieri solet. In ultima cœna non dicitur Salvatorem pedes Discipulorum irrigâsse, sed lavâsse, res siquidem immundæ & maculatæ lavantur; herbæ autem irrigantur ut crescant, & fructum majorem reddant. Quis verò ignorat nullam maculam in pedibus aut persona innocentissimi agni esse? non ergò dicendum erat, lavit pedes ejus. Quis pariter nescit ipsum veram arborem vitæ, à qua omnis salutis fructus nobis expectandus, & totum bonum desiderandum?

Magdalena lachrymis vicit. Lucæ 7. 38. *Cur solùm irrigavit pedes.*

randum? irrigat igitur Magdalena herbas suas & arborem, ut meliorem fructum expectare possit. Apostoli autem omninò contrariò maculis, & imperfectione scatebant, nullus ab ipsis fructus bonus expectandus, nisi primò Christo inserti essent; non irrigantur igitur, sed lavantur. S. Ambrosius optimè hoc mysterium intellexisse videtur, dicens: *Bonæ lachrymæ quæ non solùm nostrum possunt lavare delictum, sed etiam verbi cœlestis irrigare vestigium, ut egressus ejus in nobis exuberet.* Hos ergò aliosque mirabiliores effectus causant lachrymæ. Sed unde illis tanta virtus? quibus armis pugnantes, tantam vim exercent? quæ illis qualitas insita tantam tribuit potentiam? si illorum consideremus naturam, inveniemus aliud non esse quàm compositum ex oratione & tribulatione.

Lachrymæ voces habent.

27. David præclarè docet lachrymas orationem esse, dicens: *Auribus percipe lachrymas meas.* (Psal. 38.13.) Non ait, vide Domine lachrymas meas; sed audi, quod orationi proprium; alibi quoque ait: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me?* (Psalm. 118. 82.) Defecerunt oculi, non videndo, sed loquendo; sed quomodo, ánne etiam oculi loquuntur? non aliô certè modô quàm lachrymando, non aliis verbis quàm lachrymis. Jeremias Propheta id rectè intelligens, dicebat: *Neque taceat pupilla oculi tui.* (Threnor. 2. 18.) Supra hunc locum S. Jeronymus discurrens, ait: *Quando ad Deum lachrymas fundimus, eo tempore pupilla oculi mei clamat ad Dominum.* (S. Jeron. in hunc loc.) Poëta quoque Gentilis se hoc cognoscere monstrabat, dicens:

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Lachrymæ ex tribulatione vim habent.

28. Lachrymæ quoque qualitatem orationi adjungunt, quæ magnam vim conferat; dolorem nempe & tribulationem, à qua ut fumus ab igne prodeunt. S. Augustinus præclarè id nobis exhibet, dicens: *Nihil tam conjunctum miseriæ quàm luctus.* Et alibi: *Lachrymæ infantum testes sunt nostræ miseriæ.* (S. August. in Psalm. 8. & hom. 10.) Demonstrando insuper correspondentiam octo beatitudinum, cum donis Spiritûs sancti; dicit planctum & scientiam sibi mutuò corresponde re; proprias siquidem miserias cognoscentes plangunt. Psalmista insuper sæpiùs lætitiam planctui opposuit, quasi illa nil aliud esset quàm tristitia & dolor: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia;* (Psal. 29. 6.) *qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* (Psal. 125. 5.) Ita ut ex dolore mœstitia, & tribu-

& tribulatione lachrymæ, & oratio virtutem suam recognoscant. Sed si tantum apud Deum possint afflictorum lachrymæ, quomodo pariter apud vos non poterunt? *Si contra Deum fortis fuisti* (dixit Angelus Jacob) *quantò magis contra homines prævalebis?* permittite igitur vos pauperum precibus exorari, ut largam illis exhibeatis eleemosynam.

Gen. 32. 28.

SECUNDA PARS.

Tribulatio orare docet.

29. Rectè, inquam, dicitur, proverbia, *probata verba esse*; sunt sententiæ verissimæ ab experientia probatæ. Communi proverbio dici solet: *Qui nescit orare, vadat ad mare.* Cùm enim homo periculosæ maris tempestati se expositum videt, & jam jam mortem imminere conspicit; si antea numquam scivisset quid esset oratio, ibi tamen subitò apprehendet. In Jona insigne habemus exemplum; cùm enim in illa navi secum Gentiles, Idololatræ, & diversæ religionis homines essent, videntes se tempestuosi maris indignatione summoperè agitari, ad orationem cuncti confugientes, in vota, precesque ruerunt; tribulatio siquidem optima orationis magistra. Jonæ autem, sopore gravi obdormienti, maximè indignati, quòd solus in tanta tribulatione ad orationem non confugeret, dixit gubernator: *Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si fortè recogitet de nobis.* Quasi diceret, non scis tribulationem orationis magistram esse, illamque hoc tempore exercendam? argumenta igitur in contrarium adducta, falsa, sophistica, & fallaciis sunt plena.

Jonæ 1. 6.

Oratio & tribulatio gaudium est

30. Quid dicebatur in primis, orationem afflictis non convenire, quia *Musica in luctu importuna narratio?* O quantæ in eo sunt fallaciæ! quis enim dixit tribulationem luctum esse? quinimò summum est gaudium eâ benè utentibus. S. Jacobus Apostolus id optimè intelligens, suos egregiè docebat, dicens: *Omne gaudium existimate fratres mei cùm in tentationes varias incideritis.* Licèt quoque tale non esset, per orationem fieret. S. Augustinus fratres in eremo & tribulatione constitutos consolari volens, orationem ut summum gaudium proponebat, dicens: *Orans Ieremias confortabatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio triumphat de Diabolo, latro in cruce paradisum invenit.* Quomodo insuper dicitis musicam in luctu non convenire? nónne Jeremias in tribulatione sua composuit versus, eosque cecinit?

Eccli. 22. 6.

Jacob. 1. 2.

S. August. serm. 22. ad fratres in eremo.

qqq David

David quoq; plangendo, nónne multos composuit Psalmos? antiquitùs & hodie aliquibus in locis mulieres deputatæ erant, quæ mortem alicujus lugentes, carmina cantabant lugubria. De his Jeremias Propheta dicebat: *Vocate lamentatrices, & veniant.* Non omnis igitur musica & cantus luctum dedecet, sed nostræ hilares musicæ solùm, cùm alia sit musica luctuosa, affectum ad mœstitiam & compassionem excitans, in funeribus adhiberi solita. Quomodocumque sit musica tribulationi non inconvenienter inservit. Prophetæ Ezechieli librum à Deo datum legimus, in quo *Scripta erant lamentationes, carmen & væ*; id est, tribulatio & musica. S. Job quoque de Deo dicebat: *Qui dat carmina in nocte*; id est, in tribulatione. Quomodo insuper musicam repertam creditis? sono malleorum; cùm enim, ut prophani referunt authores, Pythagoras officinam fabrorum ferrariorum pertransiens, adverteret harmoniam malleorum percutientium ferrum, & inter medias pausas observaret, mensuras in cantu reperit. Melius tamen nos dicimus, Tubalcain, ut in Genesi legimus, musicam invenisse; cùm enim esset frater Tubal fabri ferrarii, ex malleorum ictibus musicæ sonum collegit.

Jerem. 9. 17.

Ezech. 2. 28.

Tribulatio musicæ rectè convenit.

Musica igitur & malleorum ictus rectè conveniunt, quod tantum est, ac dicere, oratio & tribulatio simul exerceri possunt. S. Augustinus notat Davidem voluisse Deo musicam tubis cantari, non qualibuscunque, sed malleorum ictibus fabricatis. *Psallite Deo* (inquit) *in tubis ductilibus.* S. Augustinus adjungit: *Quæ per tribulationem distentæ, edunt sonum harmoniacum.* Animæ siquidem per tribulationem exercitatæ, suavem orationis musicam Deo exhibere possunt. Cur igitur dicetis, non cantabant Hebræi in Babylonia? quia meritò Gentiles divino cantu indignos judicabant; ideoque dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Non omnem cantum, sed Domini; non in omni loco, sed in patria peregrina cantare non licet.

S. August. in Psal. 97.

Psal. 136. 4.

31. Quid dicebatur afflictum, teste S. Jacobo, ex se orare non posse? quinimò omninò oppositum S. Jacobus affirmat, dicens: *Tristatur aliquis vestrûm, oret.* Non ait, efficiat per alios, sciebat quippe quantum referat per scipsum orare. In Genesi egregium de hoc exstat exemplum; refertur siquidem, cùm Agar & Ismaël filius ejus à domo Abraham ejecti, exiguo pane & aquâ per deserta vagarentur, deficiente tandem

Afflictus optimè orare potest.

Jacob. 5. 13.

tandem aquâ, puer Iſmael præ ſiti mori videbatur; illa verò ne mœſto mortis filii ſui ſpectaculo intereſſet, aliquantulum diſceſſit, plangere & lamentari incipiens; ſed non multò poſt apparuit illi Angelus, dicens; Deum orationem pueri exaudiſſe. Sed cur, inquam, non dixit orationem Agar exauditam, quæ non minùs afflicta quàm puer, lamentabatur? Plurima huic rei reſponſa tribui poſſent; ſed propoſito noſtro magis inſervit; Agar pro alio rogâſſe, ſed Iſmaël pro ſeipſo planxerat, licèt enim velit Deus ut pro aliis rogemus, dicente S. Jacobo Apoſtolo: *Orate pro invicem ut ſalvemini*; vult tamen ut ſinguli pro ſe orent. S. Auguſtinus inter conditiones quæ orationem exaudibilem reddunt, hanc ponit, ut illa pro ſe fiat; ideoque notat, Salvatorem dixiſſe Diſcipulis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; non dixit: *Dabit aliis.* Cur tamen S. Jacobus ait: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum?* Reſpondeo, ideo non prohibere infirmo ut oret pro ſe, ſed orationi ejus vult orationem Eccleſiæ conjungi; non enim æſtimari poteſt quantùm valeat Eccleſiæ univerſalis oratio. Plutarchus mirabile quid accidiſſe refert, quod in theatro publico aut foro multitudine conclamante, aves præter volantes tanto ſono quaſi exterritæ, exanimes ceciderint. Dicamus tamen orationem Eccleſiæ unitæ majorem habere vim; cùm non nubes ſolùm, ſed cœlum ipſum penetret, nec aves tantùm, ſed Angelos è cœlo attrahat. In actibus Apoſtolorum inſigne de hoc exſtat exemplum, cùm enim Princeps Apoſtolorum in carcere vinctus detineretur, cuncti fideles pro eo unanimiter Deum rogârunt: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo*; quid inde ſequutum? adeò hæc efficax fuit, ut Deus ſubitò Angelum de cœlo mitteret, & à vinculis & carcere abſolutum, fidelibus reſtitueret.

[Margin: Auguſt. Pſal. 97.]
[Margin: *Afflictus pro ſe rogans impetrat.*]
[Margin: Jac. 5. 16.]
[Margin: Pſal. 136. 4.]
[Margin: Joan. 16. 23.]
[Margin: *Afflictus optimè orare poteſt.*]
[Margin: Jac. 5. 14.]
[Margin: Jacob. 5. 13.]
[Margin: Act. 12. 5.]

32. Quid dicebatur afflictos ut oves inter lupos eſſe, ideoque vocem perdere, nec orare poſſe? ſed non ſcitis illos columbas fieri poſſe, & gemere ac ſuſpirare ad Deum, & contemplationis alis ad cœlum volare? ita Salvator Diſcipulos ſuos docuit, cùm enim illis dixiſſet: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*; ſubjunxit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Propheta regius idem præclarè docet, dicens: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Si inter extrema pericula

[Margin: *Afflictis dantur alæ ad volandum.*]
[Margin: Matt. 10. 16.]
[Margin: Pſal. 67. 14.]

fueritis, *inter medios cleros*, id est, *inter fortes*. Si periculo mortis expositi, si inter Scyllam & Charybdim, si inter malleos & incudem, an ideò desperandum? nequaquam, ut columbæ siquidem esse poteritis cum pennis argenteis, & dorso aureo; gemendo quippe in oratione instar columbę ad Deum; pennæ vestræ argenteæ erunt propter bona præsentia, & dorsum aureum propter futurorum expectationem.

In tenebris melior oratio. 33. Quid dicitis animo mœsto non benè nos orare posse? quinimò numquam melius, S. Jacobo teste: *Tristatur aliquis vestrûm, oret.* Tenebræ semper orationi fuerunt amicissimæ; ideoque cùm Moyses Deum alloqueretur, totus mons tenebris, & caligine opertus erat; hæ quippe optima orationi dispositio. Cùm Christus Patrem pro salute humana precari vellet: *Erat pernoctans in oratione*; & in horto Gethsemani de nocte orávit. Docere nos volens, in orando loca obscuriora & remotiora quærenda, ubi nemo præter Deum nos conspicit. S. Antonius quoq; conquerebatur, solem ortu suo orationem ejus conturbare. Sed quid tribulatio? non aliud quàm obscuritas & tenebræ, de quibus Propheta dicebat: *Tenebræ stupefecerunt me.* Cùm ergò his tenebris te involutum conspicis, non desperandum, sed ad orationem subitò confugiendum; si enim proprium afflictorum est, consolationem quærere, ubi illam meliùs quàm in oratione invenient? *Renuit consolari anima mea*, dicebat David; adeò erat afflictus, ut in nulla parte consolationem recipere posset. Sed quod invenit remedium? *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Sapiens nos egregiè instruens, qualiter afflictos consolari oportet, ait: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Sed quid est oratio? perfectissimum vinum de quo sponsa in Canticis: *Guttur tuum sicut vinum optimum.* S. Bernardus in hunc locum scribens, rectè ait: *Accedat cibo boni operis orationis potus, orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem.* Quinimò oratio pro cibo inservit; in Exodo id clarè patet, ubi dicitur, quòd cùm Deus videret Moysen, & Aaronem, ac seniores Israël in monte Sinai: *Comederunt & biberunt*: quod secundùm paraphrasten Chaldaicum, non de cibo materiali, sed de spirituali intelligendum; ideoque exponit: *Gavisi sunt in sacrificiis suis, quasi comedissent & bibissent.* Error quoque Aaronis non fuit in oratiône aut sacrificio, sed in non

Margin references: Jac. 5. 13. — Lucæ 6. 12. — Isai. 21. 4. — Psal. 76. 4. — Ibidem. — Prov. 31. 6. — Cant. 7. 9. — S. Bernard. serm. 38. in Cantic. — Exod. 24. 11.

non comedendo capram sacrificatam; ideoque dixit: *Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino mente lugubri.* Levit. 10.9.

Pro commodo spirituali orare bonum.

34. Quid dicebatur orationem afflicti proprio commodo invigilare? verum est, sed hoc lucrum Deo summoperè placet; duobus quippe modis ad Deum recurrere potes in tribulatione pro proprio commodo; uno modo, ut te illa liberet, & sic bonum est; alio modo, ut fortitudinem & patientiam tribuat, & voluntati suæ te conformet ne in illa deficias, & hoc multò melius est; quia illud commodum temporale, hoc verò spirituale. Utrique intendisse videtur Propheta David, dicens: *Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus.* Psal. 5. 3. *Rex meus*, inquit primò, propter respectum ad bona temporalia, iste siquidem titulus regibus terrenis primò datus; postea verò ad Dominum cœli se convertens, ait: *Deus meus*, propter bona spiritualia; veri nempe Dei servi bona à Deo utraque petunt; hæc autem majori fervore & importunitate, illa verò non nisi ob necessitatem. Pari modo David Deum precando dicebat: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Psal. 141. 3. Quantum ad tribulationem ait, *pronuncio*; vix illam profero, nec planè explicare audeo, nec dicere ut me liberet; sed solummodò illam exhibens, dico; vides Domine afflictionem meam. Rectè hoc intellexerunt sorores Lazari; ideoque solùm dixerunt: *Ecce quem amas infirmatur*; Joan. 11. 3. amanti quippe solùm insinuâsse sufficit. In oratione autem pro rebus spiritualibus me diffundo, totumque cor aperiens, omnia illi exhibeo.

Afflictus gratissimum donum Deo offert.

35. Quid dicebatur afflictum vacuum esse, nec habere quod Deo offerat? quinimò insigne donum illi offert, cor nēpe igne tribulationis coctum. David amicus Dei optimè noverat quid Deo gratissimum foret, ideò Deo cor afflictum ut pretiosum donum offerens, dicebat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*; Psal. 50. 19. absq; illo nullum sacrificium Deo acceptabile. Gentiles quoque intellexisse videntur, victimam absque corde Deo ingratam. Quidam augur sacrificio Julii Cæsaris præsens eo die quo occisus est, advertens victimam absque corde esse, subitò illi mortem prædixit, sicque accidit. Eandem prædictionem Hebræis intimare poterant, dum vitulum labiorum offerrent, dicentes: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*, Osee 14. 3. teste Osee Prophetâ. Hi autem absque corde

 erant,

Isai. 29. 13. erant, dicente Christo: *Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me.* Nónne insuper meministis Persarum Regi gratissimum fuisse donum exigua aqua, quam manu propriâ pauper rusticus obtulit? simile quid afflicto accidit, qui Deo lachrymas suas dono offerens, gratissimum exhibet munus. Ita David testatur, dicens: *Vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Ut hunc locum rectè intelligamus, consideremus quod accidere solet, dum magno Principi insignes & selecti fructus offeruntur, cunctos laudibus extollit, & aulicis distribuens, quosdam sibi reservat, in manu tenens, vel coram se reponens. Quid igitur Deus cum Davide egit? *Vitam meam annuntiavi tibi.* Omnem vitæ meæ seriem tibi, inquit, exposui, & cuncta opera mea ab infantia usque in præsens munus obtuli, quod Deo gratissimum exstitit; sed quid ex his Deus sibi elegit? lachrymas sibi assumpsit, & coram se posuit: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*

Lachrymæ Deo gratissimæ.

Psal. 55. 9.

Ubi suprà.

36. Quid dicebatur coram Deo neminem sacco indutum apparere debere, sed hilari vultu & vestitu? *Hilarem quippe datorem diligit Deus.* Benè quidem, sed quantum ad vestes, nescitis quemquam adeò præclaris vestibus indutum, quàm afflictum? ita testatur S. Joannes qui obstupescens illos adeò benè ornatos, interrogans autem Angelum quinam illi essent, responsum audivit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.* Dicet fortè quispiam, quomodo in sanguine vestes suas dealbare potuerunt? nónne sanguis rubescit, quomodo ergò dealbare poterit? respondeo sanguinem viatoris rubrum esse, sanguinem verò beatorum, cùm omninò sint gloriosi & resplendentes, candorem magis participat. Vulnera Salvatoris ante resurrectionem rubra erant, post resurrectionem verò instar solis resplendebant, quia verò lux candida est, etiam vestes candidę dici poterant; *dealbaverunt*, igitur afflicti; *stolas suas in sanguine agni*, gloriosas nimirum, & resplendentes effecerunt. Quantum verò ad lætitiam & delectationem, perfecti homines eam in tribulatione magis quàm in alia quavis re inveniunt; imperfecti autem per orationem illam acquirunt, ut suprà diximus.

2. Cor. 9. 7.

Afflicti benè ornati.

Apoc. 7. 14.

Ibidem.

37. Quid dicebatur sollicitudinem & timorem tribulationis orationem impedire, ideoque populum Judaicum protectione divinâ corroboratum dum

Quando tribulatio orationem impedit.

dum ad templum pergeret? dicere possem, cur idem populo Christiano promissum non erat, à quo oratio continua exigitur: *Oportet semper orare*; quinimò continuæ afflictiones & tribulationes prædictæ? si populo Hebræo igitur hæc orationis impedimenta erant, culpæ illorum, non tribulationi adscribendum, cùm omninò carnalis & terrenus esset. Meliùs tamen dicamus, tribulatione actuali orationi superveniente, concedamus illam turbare & impedire propter alterationem novam quam secum adfert; ab hac Deus populum Hebræorum se liberandum asserebat; tribulatio tamen orationem præveniens, eam ferventiorem reddit. Tribulatio igitur ut magna lignorum strues exiguo igni superposita, quem in primis deprimit & suffocat, postmodùm verò majori vigore & flamma exurgit, ut ex dictis patet.

Lucæ 18. 1.

Afflictus ab oratione non excusatur.

38. Nullam ergò excusationem adferre possumus, si in tribulatione ad orationem non confugiamus; cùm ad illam cogamur, & in ea omnem consolationem reperiamus; nec alio modo hoc tempestuosum mare transire licet. De hirundinibus referunt naturalistę, quòd mare transeuntes, nec unico volatu ad littus pertingere valentes, unâ alâ mari innituntur quasi natando, aliam verò elevant, ne submergantur Pari modo nobis agendum, qui ad imitationem hirundinum à Salvatore vocati sumus, his verbis: *Turtur & hirundo custodierunt tempus adventûs sui*; dumque amarum hujus vitæ Oceanum transire oportet, unâ solâ alâ aqua salsa tangenda, alia in altum elevanda, ad contemplanda cœlestia, ac Dei auxilium implorandum. Aliqui autem duabus alis se immergunt, omnem spem, & cogitationes propriæ industriæ, & labori infigentes. Hi autem non bene procedunt, quia absque divino auxilio omnia vana sunt, teste Psalmistâ: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Alteri omninò in Deo confidunt, ita ut nec in minimo se adjuvare velint, nec hi benè faciunt; Deus siquidem vult nos collaborare quantùm possumus, & postmodùm auxilium præstat. Una igitur ala in aquis, altera in aëre tenenda, oratione nempe, & industriâ nos adjuvare convenit. Id Propheta David nos edocet, dicens: *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.* Non inquit, ut oculi filiorum; quia magna est diversitas inter filios, & servos; illi licèt

Ierem. 8. 7.

Quomodo in Deo confidendum.

Psal. 126. 1.

Psal. 122. 2.

licèt non operentur, à patre sustentantur & aluntur; servus autem si non operetur, & attendat servitio suo, in vanum mercedem expectat. Instar servorum igitur in Deo sperandum, non otiosè degendo, sed laborando & serviendo, ut servi in conspectu dominorum suorum; uno oculo domino, alio labori intendunt, ut utrique satisfaciant.

Afflicto operandum & sperandum. Psal. 51. 10.

39. Idem David alio loco assignabat, dicens: *Ego autem sicut oliva fructifera speravi in misericordia Dei mei.* Si dixisset, ut salices infructuosæ, vel sicut abietes aut similes arbores, videbatur rectè dixisse quòd in divina misericordia speraret; cùm enim hæ arbores fructum nullum afferant, non solent in hortis fructiferis teneri; si verò nascantur ex speciali gratiâ & misericordiâ ibi tenentur. Sed arbor adeò utilis & fructifera uti oliva est, meritò videtur colenda & conservanda. David tamen optimè dixit, ita quippe in divina misericordia sperandum, ut non relinquamus fructum bonorum operum, & taliter bonorum operum fructui attendendum, ut in nobis ipsis non confidamus, sed in misericordia divina.

In prosperitate orandum pro adversitate.

40. Ut autem tribulationis tempore ad Deum confidenter recurrere debeamus, scitis quid agendum? pro secundo & ultimo documento assignādum, in tempore prospero & felici ad orationē quoq; confugiēdum, aliàs id tribulationis tempore peragere non poterimus, & meritò à Deo rejiciemur. Miles arma sua prompta & exacta belli tempore invenire volens, tempore pacis ea purgat & aptat, alioquin rubiginem & sordes contrahentia inepta redduntur; cùm enim gladium contra inimicum evaginare cupit, præ rubigine ita infixum reperit, ut illo uti non valeat. Instar gladii ancipitis lingua nostra est, ideoque tali formâ prædita; si illâ tribulationis tempore utamur, potentissima est contra omnes inimicos; sed tempore pacis adoperanda quoque est ut Deum invocet & precetur, aliàs palato adhærebit, nec verbum proferre sciet. Sic Deus per Prophetam minatur, dicens: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*; quia pacis tempore illâ usus non es. Ezech. 3. 26.

Oratio tribulationis præservativum.

41. Dico insuper orationem prosperitatis tempore optimum contra tribulationes præservativum esse. Tempore vindemiæ si copia sit vini, cuncta dolia vino novo repleri solent, plena verò ita relinquuntur. Ira divina in sacra Scriptura vocatur vinum; *Hic bibet de vino iræ Dei.* Apocal. 14. 10. Cùm verò peccata nostra repleta fuerint, nullum vas relinquitur

linquitur vacuum; ita testatur
Jerem. 13. 12. Jeremias, dicens: *Omnis laguncula implebitur vino.* Nullus erit homo qui irâ divinâ castigatus non fuerit. Sed nullum tunc erit remedium? omninò, si alio vino repleta fuerit, vino nempe orationis. Ad hoc notandum, in Apocalypsi eadem verba irę divinę & orationi de-
Apoc. 15. 7. stinata legi: *Vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei.* Alibi quoque dicitur de Senio-
Apoc. 5. 8. ribus: *Habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Ita ut eadem vasa orationi & iræ divinæ destinata sint. Vis ergò Deum nulla vasa iræ possidere? cuncta orationis vino imple, incessanter ora; alioquin si expectes donec sint plena vasa irâ suâ, nullus orationi locus erit; dicetur te seriùs advenisse, nec mereri à Deo in tribulatione audiri, cùm prosperitatis tempore ad eum non recurreris. Obsecra igitur Deum omni tempore, & favorem ejus ubique experieris, tam in hoc quàm in futuro sæculo, quod Deus infinitâ suâ misericordiâ nobis concedat. Amen.



DISCVRSVS XLVIII.

Tribulatio cunctas docet scientias, ideoq; à nobis diligenda & æstimanda.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Insignis Mardochæi visio.

1. Dmirabilis, sed altissimis mysteriis plena Mardochæo in somno visio exhibita fuit, ipsomet referente & dicente; Videbatur mihi parvus fons de terra consurgens, paulatim ita excrescere, ut fluvius dici potuisset: *Fons parvus crevit in fluvium, & in lucem, solemq; conversus est.* Quàm admirabilis metamorphosis, quis umquam audivit aquas in lucem, & fluvium in solem commutari? inter similia facillimè datur transitus aut commutatio, inquit Aristoteles; inter dissimilia & cōtraria difficillimè; inter sublunaria autem & cœlestia impossibilis est. Quæ autem magis dissimilia aut contraria esse possunt quàm aqua & sol? opposita in materia, quæ est subjectum, & fundamentum totius mutationis naturalis. Materia solis cœlestis, aquæ sublunaris & elementaris est. Formæ quoque opponuntur, illa ingenerabilis & incorruptibilis; hæc autem generationi & corruptioni maximè obnoxia. Accidentibus insuper contrariantur, in illo sunt qualitates perfectivæ à Philosophis dictæ, qualis est lux: in hac verò qualitates corruptivæ, ut est calor, frigus, & humor. Proprie-

Esther 10, 6.

Sol & aqua omninò contraria.

Proprietatibus etiam contradicunt; sol quippe omninò lucidus, aqua ex seipsa obscura. Motu contraponuntur, quia sol motu ordinato & constanti sua peragit, aqua autem fluctuans & præcipitans. Propriâ figurâ perfectissimâ sol dotatus; absque ulla figura, nisi ex vicinis corporibus recipiat, est aqua. Sol calefacit & exsiccat; aqua inhumidat & madefacit. Sol ignem producit, illum extinguit aqua. Non adeò denique ignis quàm sol aquæ oppositus; cum eo siquidem in materia & genere elementi convenit; sed in hoc cùm sit ignis cœlestis, maximè discrepat. Mardochæus tamen dixit: *Fons in lucem solemq; conversus est.* Ubi suprà.

Falsa opinio de Sole. 2. An fortè verum sit quod aliqui Philosophorum affirmant, corpus solare aliud non esse quàm ingens crystalli congeries, ad nos lucem cœli empyrei reflectens? si ita fuisset, hæc mutatio non ita videretur admirāda; cogitare quippe possemus, aquam fontis in glaciem cōmutatam, paulatim in chrystallum induratam fuisse, & in cœlum translatam. Sed quis ignorat Philosophos hoc somniâsse, aut præ ebrietate talia dixisse? quomodo igitur verificari poterit, fontem in solem mutatum? ut verum dicam, non fuit hæc mutatio terreni fluminis in solem cœlestem, sed hac similitudine voluit Deus Mardochęo indicare, mutationem ingentem in Esther futuram, quæ ex misera & orphana puella Domina & Regina Persarum regni fieri debebat, ut postmodùm Mardochæus explicuit. *Quis fuerit hic fons & sol.* Quid tamen diceretis, si hodie aliô modô, non minùs verô quàm prædictô, fontem in solem conversum vobis exhiberem? Attendite ergò & clarè ostendam. Tribulationem aquam & fontem esse sæpiùs diximus; præterito quoque Discursu mirabiles hujus aquæ & fontis lusus & saltus percipere potuistis. Si hodie igitur loco aquæ solem exsurgere videritis, quid dicetis? nisi *Fons in lucem solemq; conversus est.* An hunc solem insignem & clarum esse dubitabitis? scitis qualem vobis exhibere cupio? solem sapientiæ; non tantùm huic materiali soli cedens, verùm etiam longis passibus superans. *Sol sapientia clarior sole cœlesti.* Si ille quippe lucem adfert, quâ corporales nostri oculi vident; hic cognitionem adfert, quâ intellectum oculum mentis videre efficit. Pulcherrimâ luce cunctos lætificat ille; hic verò multò majorem lætitiam adfert, teste Sapiente: *Sapientia lætificabit illum.* Eccli. 4. 20. Si pater omnium rerum creatarum sol est, & mater cunctarum rerum sapientia est; quan-

doquidem ad productionem
Prov. 8.30. earum concurrat: *Cum eo eram cuncta componens.* Si velocissimè, sed admirabili benignitate ab una parte ad aliam sol discurrat; & à fine usque ad finem
Sap. 8. 1. attingit sapientia: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* O quàm admirabilis sol sapientia? nec in hoc neminem mihi contradicere arbitror, cùm ipsamet
Joan. 8.12. sapientia dixerit: *Ego sum lux mundi.*

Sapientia tribulationis mater. 3. Hunc autem solem ex fonte tribulationis prodire, plurimi negabunt & contradicent. Quis umquam audivit ex filia matrem prodiisse? tribulatio quid est? sapientiæ fi-
Eccles. 1. 18. lia: *Qui addit scientiam, addit laborem*; vel ut alii legunt, *dolorem*, dixit hominum sapientissimus. Experientiâ quoque idem patet; scientiâ quippe alicui ablatâ, labor & dolor simul
Eccles. 5.7. auferuntur; quia *Risus abundat in ore stultorum.* Et: *Cor stultorum ubi lætitia.* E contrà verò ut alicui scientia attributa, subitò
Ibidem. dolor sequitur, quia *Cor sapientum ubi mœstitia*; & qui bene cognoscit, benè plangit; qui non cognoscit, non plangit. Salvator noster infelicitatem Jerosolymorum civitatis cognoscens
Luc. 19.41. & videns, dixit: *Quia si cognovisses & tu*; si ruinam tuam prævideres, sicut ego prævideo, aliter plangeres. Qui insuper stimulos & clavos dicit, tribulationem nominat, quia pungunt & transfigunt. S. Paulus tribulationem suam stimulum appellabat, dicens: *Datus est* 2. Cor. 12. 7.
mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet. A Moyse clavorum nomine appellata, cùm populo Israëlitico diceret: *Erunt* Num. 33. 55.
vobis quasi clavi in oculis; maximè nempe affligent, sicut clavi in oculis fixi summum dolorem afferunt. Dum scientiam apprehendis, scis quid agis? stimulos tibi præparas & clavos cor transfigentes. Sapiens id egregiè testatur, dicens: *Ver-* Eccles. 12. 11.
ba sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum confixi. Iniisti cum aliquo contractum, illumque justum & licitum judicabas, sed cum Sapiente loquens, invenisti usurarium, teque pecuniam lucratam restituere debere; ô qualis clavus cor transfigens! mulier illa sumptuoso & superbo ornatu incedere gaudet, à multis idcircò concupita & observata, scandali occasionem præbet, unde maritus & confessarius illud prohibent; ô qualis clavus cor transfigens!

Prometheus symbolum sapientis. 4. Poëtæ Gentiles id optimè intellexerunt, ideoque vitam Sapientis describere volentes, finxerunt Prometheum à Minerva supra sphæras cœlestes ductum, indeque lucem & ignem abstulisse, scientiam videlicet

delicet & ſapientiam. Sed quid inde ſequutum? aſperis catenis ad radices montis ſpinoſi alligatus, aquila pectus aperiens, omnia continuò rodit viſcera; ſignificare volentes, quòd ſcientiam acquirentes, dolorem pariter & laborem ſibi acquirant. Mons cui alligati perſiſtunt, ſunt res ab ipſis apprehenſæ & conſideratæ, converſatione humana illos privantes, commodis vitæ præſentis expoliant. Catenæ ferreæ ſunt argumenta indiſſolubilia, intellectum ligantes & convincentes. Aquila viſcera corrodens, eſt immenſa ſciendi cupido, numquam illos ſatians. Fingunt inſuper Minervam Vulcano nupſiſſe, qui cùm claudus & faber ferrarius eſſet, ſymbolum laboris & doloris erat, ab his ſiquidem ſcientia continuò aſſociatur. Cadmum quoque litterarum inventorem dentes ſerpentinos ſeminâſſe fingunt, ex quibus homines armati procreati, qui mutuis vulneribus ſe interfecerunt. Ex ſcientiâ quippe maledictiones proveniunt, quæ ſunt dentes ſerpentis, & ab his rixæ, iræ, & occiſiones procedunt, quæ ſunt effectus hominis armati. Nimis benè hoc intellexit Diabolus, dum primis parentibus ſcientiam promittens, ingens ipſis bonum obtuliſſe videbatur, ſed aliud non fuit quàm ipſis pelagus tribulationum prædicere, ut poſtea experti.

Quomodo tribulatio mater ſapientiæ dici poteſt.

5. Filia igitur ſapientiæ eſt tribulatio, quomodo igitur mater ejus eſſe poterit? ſi ab illa generata, poſt illam neceſſariò erit; ſi poſt illam fuerit, quomodo poterit illi vitam & eſſentiam tribuere, quam ante illam habere ſupponimus? dices fortaſſis argumentum hoc quoad productionem rectè probare, non verò quoad incrementum; ſicut enim filius à patre vitam recipiens, illum tamen alere & nutrire poteſt. Pariter tribulatio, licèt à ſapientia producta, illi tamen incrementum tribuere poterit. Si ita tamen eſſet, ſequeretur afflictum infinitam acquirere ſapientiam, & ſapientem infinitam tribulationem; tribulatio quippe ſapientiam accreſcere, & ſapientia tribulationem accreſcere faceret; quantùm enim una multiplicaretur, tantùm altera accreſceret, ſicque in infinitum procederetur. Tale argumentum formant Philoſophi, dum probare nituntur, ſimile ſimili addito, non accreſcere. Dum igitur ſapientia eſt cauſa eſſentiæ & incrementi tribulationis, non poteſt ab illa pariter produci & augeri.

Experientia prudentem facit.

6. Dicet tamen aliquis verum hoc eſſe quantum ad ſcientiam ſpeculativam, non verò

quantum ad practicam. Quis enim negare poterit, experientiam non esse prudentiæ matrem? qui mundana expertus non fuerit, non ea cognoscere poterit: *Vir in multis expertus cogitabit multa*, dicebat Sapiens. Sed quomodo illa probari poterunt, nisi per tribulationem? quinimò dico nullam rerum experientiam habere possumus, nisi per prosperitatem; ipsam quoque tribulationem per se cognoscere non valemus. Ut hoc rectè intelligamus, insignis & certa Philosophorum doctrina notanda. Privationes nempe, per formas oppositas, & negationes per affirmationes cognosci; v. gr. tenebræ per lucem, cœcitas per visum, & mors per vitam cognoscitur. Hujus rei ratio evidenter patet, quia negatio & privatio aliud non sunt quàm non entia, quæ autem esse non habent, non possunt ex seipsis objectum intellectûs esse; qui solùm entia sibi proponit. Deus ipse in se nullam idæam malorum habet, sed bonorum tantùm, & per hanc illa cognoscit. Sed quid est tribulatio? non aliud quàm privatio; paupertas divitiarum privatio est, infirmitas privatio sanitatis, mors privatio vitæ. Felix ergò qui bona expertus, sciet quid sit bonum & malum; qui verò non aliud quàm mala expertus, non cognoscet quid sit bonum vel malum. Arbor insuper Paradisi terrestris, scientiæ boni vel mali dicta fuit, primò boni, postea mali; cognitio nempe mali, à bono dependet. Prosperitas igitur causa sapientiæ erit, non verò adversitas.

Eccli. 34. 9.

Tribulatio privatio est.

7. Parum dixi tribulationem non solùm non posse esse sapientiæ causam, verùm etiam maximum illi præstat impedimentum: ut sapientiæ & scientiæ attendamus, otio & commoditate opus est; schola quippe à verbo Græco derivatur, quod otium significat, sicut Latinè quoque scientiæ occupatio: *Otium litterarium* vocatur. Mercurius Deus scientiæ æstimatus, à Gentilibus mirabili modo depingebatur, absque manibus videlicet & pedibus. Sed quid à tali Deo expectandum? eo modo depingebatur, ut exhiberent hominem litterarum scientiæ deditum, non debere habere manus ad operandum aut negotiis attendendum; non pedes ad ambulandum, sed ad officia mundana omninò oportere esse inhabilem, & solo intellectu uti debere. Pari modo in Evangelio legimus, Mariam Magdalenam contemplationi deditam, non se movisse, nec aliis negotiis attendisse, sed cuncta Marthæ reliquisse. Quis verò ignorat

Otium scientiæ necessarium.

norat tribulationem plurimas distractiones homini causare, nec ullam ei quietem aut commoditatem relinquere? quomodo igitur afflictus studiis attendere & sapientiam acquirere poterit?

Tribulatio mentem offuscat. 8. Sicut denique tenebræ oculis, sic tribulatio menti, ut sæpè dictum; cùm igitur tenebræ visum impediant, ita quoque tribulatio scientiam destruet, quæ mentis & animæ visio est. Quinimò quandoque rationis usum aufert, teste Da-
Psal. 37. 11. vide: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Ut lucem conservemus, nil convenientius oleo. Cùm Anaxagoras morti vicinus, à Pericle visitaretur, qui multo tempore ejus consiliis & sapientiâ usus fuerat, advertens morti proximum, plurimùm cōdoluit; cui Anaxagoras, ô Pericle, qui lumine lucernæ frui cupit, oleum infundere debet. Sed oleum cujus symbolum? lætitiæ, pinguedinis, & abundantiæ, teste Psalmistâ: *Propter-*
Psal. 44. 8. *ea unxit te Deus, Deus tuus oleo læ-*
Isai. 5. 1. *titiæ.* Et Propheta ait: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*; valde nempe pinguis & abundans. A divitibus & abundantibus scientiæ & studia foveri debent; id enim volebat Anaxagoras Pericli insinuare, quòd si illi consilio & sapientiâ profuisset, debuisse illum bonis temporalibus sustinuisse, ut intellectûs lucernam alere posset. Aristoteles adeò insignis dicitur fuisse Philosophus, quia Alexander Magnus cuncta desiderata illi subministrabat; Virgilius quoque tantus Poëta, quia liberalibus Mæcenatibus usus; unde optimè ille cecinit, qui dixit:

Scientia indiget abundantiâ.

Sint Mæcenates, non deerunt
Flacce Marones.

9. His tamen non obstantibus, negari non potest, quod Job de sapientia dixit: *Nec in-* Job 28. 13.
venitur in terra suaviter viventium. Ubi ergò invenienda? non alibi quàm inter adversitates & tribulationes. Ut hoc verum esse probemus, tria solent concurrere ad perfectam generandam scientiam; quantò magis ad sublimem & perfectam conquirendam sapientiam. Primum est bonus intellectus, illo siquidem deficiente, absque utilitate laboratur; secundum insignis magister, absque illo quippe majori labore, & minori perfectione scientia acquiretur; tertium est continuum studium, quô non adhibitô, reliqua nulla erunt. Pari modo ut messem abundantem colligamus, tria requiruntur; fertilis & pinguis ager, non arenosus aut saxosus, & hic intellectui correspondere potest; bonum semen quod

Tria ad scientiam concurrunt.

doctrinæ

doctrinæ proportionatur, & bona cultura quæ studio correspondet. Salomon qui ad summam pervenit sapientiam, tria hæc habuit; ex natura bono intellectu præditus erat, prout de se testatur, dicens: *Puer ingeniosus eram, & sortitus sum animam bonam*; optimo usus magistro, Deo nempe: *Optavi, & datus est mihi spiritus sapientiæ*; & summo labore ac studio prævaluit; de se quippe ait: *Cogitavi abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.* Omnia prædicta à tribulatione mirabiliter perficiuntur. Intellectum bonum desideras? *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Dices fortassis nónne hic à natura recipitur? quantum ad substantiam, non verò quantum ad bonam dispositionem, quia hic tribulationis effectus. Multoties quoque obscuratur & tollitur, sed à quo? à prosperitate: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Nomine sensus, hîc intellectus accipitur, ut in alio loco etiam: *Optavi, & datus est mihi sensus.* His verbis Sapiens indicare cupit, res hujus mundi instar veneficiorum & incantationum esse, quæ sensus subvertunt, nobisque evenire, sicut qui in gyrum se vertentes cerebro turbantur. Sed quid nos ad sensus redire efficit? tribulatio; filius prodigus experientiâ id optimè didicit, famem quippe ac sitim patiens, ad extremam redactus est inopiam: *In se autem reversus*; cognovit errorem suum, & ad patrem redire disposuit.

Salomon hæc tria habuit.

Sap. 8. 19.

Sap. 7. 7.

Eccles. 2. 3.

Isai 28. 19.

Sap. 4. 12.

Sap. 7. 7.

Luc. 15. 15.

10. Cursor nocte dieque equo decurrens, dormiens quandoq; incedere oportet, sed viæ & latronum pericula metuens, evigilare cogitur, & aperire oculos ne in præcipitium aliquod decidat; si equus decidens ipsum dejiciat, somnum profectò excutit. Omnes in hac vita cursorem agimus, tempora, dies, & anni nos secum devehunt, dicente Prophetâ Job: *Dies mei velociores fuerunt cursore.* Quandoque oculos claudentes obdormimus, non respicientes pericula in quibus versamur: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos.* Quis oculos aperire cogit? tribulatio, & casus de quo Psalmista dicebat: *Cùm ceciderit non collidetur.* Talis cursor fuit Balaam Propheta, de seipso dicens: *Dixit homo cujus obturatus est oculus, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.* Sed quando legimus Balaam cecidisse? reperio quidem quòd asino incedens, illi Angelus evaginato gladio occurrens, ipsum non viderit à principio, sed asino recalcitrante, & pedem ejus contra murum premente

Vita nostra continuus cursus.

Job 9. 25.

Psal. 36. 24.

Num. 24. 4.

Tribulatio oculos aperit.

premente, aperti sunt oculi ejus. Quomodo ergò dicit: *Qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus?* Aliqui de oratione illud exponunt, quia orando se prosternebat in terram, juxta illud Psalmistæ: *In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.* De quavis etiam tribulatione intelligi potest, quando siquidem populo Hebræo maledicere volebat, ab Angelo perterritus, & in periculum mortis redactus, errorem suum recognoscens, divinis jussis obedire statuit. Juvenis lasciviens, & infami meretrici cum scandalo adhærens, licèt tota obmurmuret civitas, ipsique infamiam exprobret, non tamen errorem suum recognoscit, donec aut vitæ periculum incurrat, aut gravi vulnere ruat; tuncque plus de animi quàm de corporis morbo dolens, verecundatur, & vitæ emendationem promittit.

Ibidem.

Psal. 21.30.

Tribulatio mentem exacuit.

11. Nec solùm tribulatio oculos aperit, verùm etiam potentiam visivam exacuit. De urso Scriptores referunt, quòd cùm caput superfluis humoribus repletum sentit, & ad oculos descendentes visum offuscant, instinctu naturali remedia quærens, apum alvearia adit, irritatæ ergò apes convolantes, & ingenti furore insurgentes, undique pungunt; sicque humoribus emissis, visum recuperat. Pari modo nobis accidit, graves humores caput quandoque occupantes, & cerebrum conturbantes, animam excœcant, ut de Philosophis Gentilibus ait Apostolus: *Evanuerunt in cogitationibus suis*; ecce vapores cerebrum conturbantes: *Et obscuratum est insipiens cor eorum*; ecce qualiter cordis cœcitas sequatur. Quid igitur remedii? apes adeundæ, quæ nos pungentes humores eliciant. Quales hæ erunt? inimici persequentes & injuriam inferentes. David hoc remedio rectè uti noverat, ideoque de inimicis loquens, dicebat: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Duabus rebus inimicos suos assimulat, apibus & igni; apibus visum acuentibus, & igni tenebras illuminanti, ut scias illos te omni ex parte adjuvare ut videant. Nec omittere volo quòd apibus inimicos assimulans, dicit illos se circumcinxisse: *Circumdederunt me sicut apes*; sed igni comparans, ait: *Exarserunt sicut ignis in spinis*; quasi diceret, in seipsis ut ignis fuerunt, invidiâ exardescentes ut me affligerent; sed erga me ut apes fuerunt, dulcissimum mel cœleste exhibentes visum acuerunt.

Rom. 1. 21.

Ibidem.

Psalm. 117. 12.

Ibidem.

12. Simile quid in facula apparet, quandoque enim abundantiâ ceræ lux suffocata clarè

Tribulatio nos ferventius excitat.

clarè splendere non potest. Quid remedii adhibendum? aliquantulum incurvanda, sicque cerâ defluente, lumen vigorem arripiens, clariùs lucet. Pari modo Deus nobiscum agit, dum intellectum nostrum prosperitate temporalium bonorum offuscari videt, per tribulationem nos parum humilians, majorem virtutem tribuit, & intellectum clariorem reddit. Sic David sibi accidisse ait, dum dixit: *Bonum mihi Domine quia humiliâsti me*; sed ad quem finem? *Ut discam justificationes tuas.* Ut clariori intellectu præcepta tua intelligere valerem. Quinimò quasi dicere audeo cœcitatem oculorum & cordis auferre. Ad hunc effectum probandum, legimus in figura, Archangelum Raphaëlem qui dicitur medicina Dei, è flumine Tigris piscem apprehendisse, cujus felle amaro Tobiæ senioris oculos liniens, visum restituit. Tali modo quoque Deus nostrarum mentium cœcitatem medicare solet, felle amaritudinis & tribulationis nos liniens. Nec sine mysterio fel ex pisce Tobiam juniorem devorare volente sumptum, ut scias te non solùm tribulationes ab amicis, verùm etiam ab inimicis & persequentibus illatas sufferre debere. Licèt enim adeò sint extranei, sicut pisces hominibus, & tantò inimici ut te vivum absque ulla causa devorare vellent; si illos tamen patienter sustineas licèt tibi durum & amarum ut fel fuerit, mirabilem tamen oculis & menti virtutem tribuent.

Psal. 118. 71.

Tribulatio cœcitatem cordis & mentis aufert.

13. Notandum insuper, Angelum præcepisse Tobiæ, ut ex hoc pisce non solùm fel, verùm etiam cor acciperet. Licèt ad diversos fines, hoc ut igni superpositum dæmones effugaret; illud ut oculis impositum visum restitueret. Hanc tamen virtutem credemúsne pisci naturalem fuisse? nequaquam, Diabolus siquidem nullâ re corporeâ effugari, nec cœcitas naturaliter auferri potest. Hæc ergò virtus à Deo miraculosè illis concessa fuit; sicque poterat cordi virtutem tribuere, ut cœcitatem auferret; & felli ut dæmonium fugaret; sicut econtrà dedit. Ut verum quoque dicam, si cor oculis sanandis destinatum fuisset, rectè fecisse videretur propter sympathiam & proportionem quam cum oculis habet. Quod oculis placet, cor diligit; quod cor desiderat, oculi intueri procurant; quò cor tendit, eò feruntur oculi; quod longè ab oculis, longè à corde dicitur, per oculos cor manifestatur, & cordis suspiriis oculi diriguntur. Sanguis cordis sunt oculorum lachrymæ, & oculorum læ-

An fel & cor naturaliter operata fuerint.

Sympathia inter oculos & cor.

rum lætitia à cordis jubilo rectè dependet. Cor ſæpiùs ab oculis ablatum & vulneratum eſt, à corde nonnumquam oculi lachrymari conſtringuntur. Inter ſenſus externos ob pulchritudinem & æſtimationem primum locum obtinent oculi; inter potentias intrinſecas nobilior locus cordi tribuitur. Officina fabrilis ubi ſagittas ſuas accommodat & diſponit amor, eſt cor; & arcus quô eas emittit & dirigit, eſt oculus. Quod intimô corde diligimus, oculis deferre dicimur; quod autem oculus aſpicere indignatur, à corde amari non poteſt.

Cur oculi, & non cor felle ſanati.

14. Intima igitur inter oculum & cor unio, ideoque convenientiſſimum fuiſſe putarem, cor ſupra oculos ponere, ſicque ſanitatem conferre. Ignis etiam locus conveniens felli fuiſſe videtur; cùm res adeò amara & indignationis ſedes ubi poni merebatur, niſi in flamma ignis, & ab illa conſumi? divina tamen ſapientia contrarium meliùs indicabat. Nec ſine myſterio id ita effectum credi poteſt, cor ſiquidem lætitiæ ſymbolum, cùm in illo purior ſanguis & ſpiritus vivaciores formentur; tantùm quippe eſt dicere, aliquid ex corde peragere, quàm alacriter efficere. Fel econtrà ſymbolum mœſtitiæ & tribulationis ob amaritudinem haberi poteſt. Ex dictis clarè videre poſſumus, qualem diſtributionem harum duarum rerum admittere convenit; lætitia igni injicienda, ibique in holocauſtum Deo offerenda; tribulatio autem oculis imponenda, id eſt, amanda, & chariori loco tenenda. Illa Deo oblata, contra inimicos victores reddet; hæc oculis applicata, mentis oculos clariores reddet; ideoque Deus Tobiæ oculos non corde, ſed amaro felle curari cupit. Nabuchodonoſori Deum agnoſcere nolenti, pari modo hæc medicina applicata fuit, ut tam diu cum feris beſtiis moraretur, donec Deum cognoſceret: *Donec ſcias quòd dominetur excelſus*; quaſi diceret, hac medicinâ tibi utendum, donec viſum recuperes, & amaritudine tribulationis Deum agnoſcere diſcas.

Tribulatio præ oculis habenda.

Dan. 4. 22.

Inimici noſtri tribulationis magiſtri.

15. Quid de ſecunda conditione ſcientiæ acquirendæ dicam, magiſtro nempe? hoc in primis officium inimici nobis præſtant. Cùm Deus filiis Iſraël terram promiſſionis inhabitandam, cunctoſque inimicos eradicandos promiſiſſet, aliquas Gentes numquam eradicare voluit; rationem autem hujus aſſignans, ait: *Hæ ſunt Gentes quas dereliquit Dominus, ut in eis erudiret Iſraëlem*; ut eſſent eis ma-

Jud. 3. 1.

cis magistri, sed in quo? ut viam salutis & veræ perfectionis illos docerent. Quales autem hæ Gentes erant? Jebusæi & Chananæi, populo Israëlitico inimicissimi, quos Deus novit illis maximè fore utiles. Spartiatæ quoque hujus rei notitiam quandam habuisse videntur, lege siquidem sancitum erat, ne multo tempore contra inimicos debellarent, ne fortè armis exercerentur. Verum quidem est, afflictos hos magistros facillimè superare, dicente Psalmistâ: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* Posteà verò, quasi meliùs declarando, addidit: *Super omnes docentes me intellexi*; quod enim homines docere nequeunt, tribulatio facillimè docet. Advertendo quoque alibi Prophetâ Davide, quosdam adeò esse ignorantes, ut ne quidem scirent se homines esse, precabatur Deum, dicens: *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant Gentes quoniam homines sunt*; Rabbini legunt, constitue doctorem, ut doceat illos cognoscere se homines esse. Sed quis hic magister erit? S. Jeronymus hunc locum ita vertit, dicens: *Constitue terrorem super eos.* Vel ut Chaldæus interpres legit: *Constitue timorem*; magna nempe tribulatio, perfectissimus erit illorum magister, eos homines esse cognoscere efficiens.

Psalm. 118. 98.

Ibid. 99.

Psal. 9. 21.

16. De pisce Nautilo dicto scribitur, quòd sereno mari se ita suavi auræ exponat, ut, quasi conditionis suæ oblitus, ex pelle sua navis figuram formans, ventos excipit, nec se periculo avium rapacium aut piscatorum exponere curat. Procellosâ verò apparente tempestate, in se rediens, profundum maris repetens, securè demoratur. Idem pluribus evenire solet, qui prosperitatis tempore insuperbientes, vento vanitatis se replent, aliisque præeminere cupiunt, & salutis propriæ periculo, se homines esse obliviscuntur; adversitate autem superveniente, humiliati & afflicti, se homines recordantur, & ad securum pœnitentiæ & timoris divini azylum confugiunt; ideoque prudenter David ait: *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant Gentes quoniam homines sunt.*

Insignis proprietas piscis Nautili.

Superbis applicata.

Ubi suprà.

17. Ut infantes humaniter & rationabiliter, non verò bestialiter vivere addiscant, magister illis assignatur odibilis, qui illos in timore & metu ad bona dirigat. Ad hunc finem, inquit Chrysostomus, timor nobis inservit: *Tamquam infanti pædagogus adest timor ad omnia congrua dirigens eum.* Quàm verò excellens in tribulationis virtute edocenda sit hic magister, insigni discursu S. Chrysostomus ibi probat. Inter alias au-

Tribulatio bonus pædagogus.

S. Chrysost. hom. 61. ad pop.

ſias autem probationes experientiam adducit domûs mortuariæ, quam aliquis intrans & luctum mortui conſiderans, cuncta bene ſapienterque ordinata videt, ſummo ſilentio & quietè cuncti adſunt; ſi quis loquatur, verba ejus prudentiâ plena ſunt. Quodque magis admirandum, non tantùm viri & ætate provecti, verùm etiam mulieres, juvenes, & ſervi viliores ſubitò prudentes, morigerati, & modeſto ornatu compoſiti mirabiles proferunt ſententias. Quidam aiunt, hominem non aliud quàm miſeriarum eſſe compendium; alii nulla hæc mala eſſe reſpectu aliorum in futura vita; alii divinum judicium maximè tremendum; alii à puncto mortis, vitæ, & honoris diſpendium dependere. Omnes denique Philoſophi eſſe videntur, cùm tribulatio in illis cathedram ſuam fixit, & ſcholam inſtituens, diſcipulos ſuos effecit; ſicque tribulatione docente, ſapientes evadunt.

Quàm utilis mortis conſideratio.

Deus tribulationis magiſter. Deut. 33. 3.

18. Dico inſuper illos hinc ad excellentiorem tranſire magiſtrum, nempe Deum: *Qui appropinquant pedibus ejus* (dicebat Moyſes) *accipient de doctrina illius.* Sed cur non potiùs illi, qui manibus aut linguæ ejus appropinquant? an fortè pedibus docet? ſic quidem dicere poſſem, non enim doctrina ejus ſolummodò ſpeculativa, verùm etiam practica eſt; viam virtutis ingredi non ſolùm docet verbis, verùm etiam exemplis & præceſſione. Cùm enim Apoſtolos ad ſe vocaret, dicebat illis: *Venite poſt me.* Matt. 4. 19. Aliô modô etiam dicere poſſem; ſcitis qui Chriſti pedibus appropinquant? afflicti & miſeri; S. Joannes in Apocalypſi Chriſtum vidiſſe dicit, Apoc. 1. 13. cum ſtellis in manibus, & pedibus quaſi ignitis, ut fornaci ardenti impoſitis; tribulatio inſuper in ſacra Scriptura fornax ardens ſæpè vocatur: *Tamquam aurum in fornace probavit illos;* Sap. 3. 6. afflicti ergò pedibus Chriſti appropinquant. Et: *Accipient de doctrina illius.* Deut. 33. 3. Hinc pariter legimus, Deum ex nube loqui ſolitum: *In columna nubis loquebatur ad eos.* Pſal. 98. 7. Et Job: *De turbine;* Job 40. 1. de nube nempe, tempeſtuoſa & obſcura, quæ tribulationis ſymbolum ordinariè dicitur, hæc Dei eſt cathedra unde cunctos docet.

Quidam occultè ſcribendi modus.

19. Dices fortaſſis, nónne omnes docet Deus? omninò, quia *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* Joann. 1. 9. ſed non ab omnibus intelligitur. inſignis occultè ſcribendi modus repertus, quo in charta alba ita ſcribitur ut illâ albâ remanente, nulla ſcriptura appareat, donec igni applicatâ, cunctæ litteræ novo colore reviviſcentes, com-

Deus hoc utitur. tes, commodè leguntur. Pari modo doctrinæ divinæ accidere dicite, in albo internorum viscerum nostrorum præcepta sua descripsit, teste Jeremiâ: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* (Jerem. 31. 33.) Propheta David se ipsum considerans, hanc scientiam addiscebat, dicens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; (Psal. 138. 6.) videlicet, *scientia tui*; vel ut S. Basilius ait; scientia quam ego de te, non quam tu ex me habes. Notant aliqui ossa humani corporis esse 307. quot nempe erant præcepta legis veteris. Non omnes tamen hanc Scripturam intelligunt; scitis quare? quia longè à tribulationis igne absunt; (*Tribulatio scripturam occultam docet.*) cùm enim Deus hunc nobis immittit, subitò docti evadimus, & mirabiliter cuncta intelligimus. Propheta Jeremias id clarè nobis exhibet, dicens: *De excelso misit ignem in ossibus meis*; (Jerem. 1. 13.) & quid inde sequutum? videbatur debuisse dicere, & me combussit; sed ait: *Et erudivit me.* Quis docendi modus est iste? optimus est, ita quippe Deus nobis indicat, quid in cordibus nostris scripserit. Peccata quoque nostra cordibus nostris inscripta sunt: *Peccatum Iudæ scriptum est super latitudinem cordis eorum.* (Jerem. 17. 1.) Sed quando cognoscuntur? dum tribulationis igni exhibentur. Antiochus superbus numquam peccata sua cognoscere volebat, nisi tribulatione adactus, summo quippe dolore afflictus desperabundus, dicebat: *Nunc reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem.* (1. Machab. 6. 12.) Cur nunc, & non antea, cùm diu illud peractum fuerat? quia tribulatio illi numquam advenerat, numquam magistrum habuerat illum docentem, nisi tunc.

20. Non denique tertium requisitum tribulatis deest, continuum nempe studium. (*Afflicti studio aptissimi.*) Rectè hoc intellexisse videtur Aristoteles, dicens; complexionem melancholicam optimè studio convenire; alii quippe tantâ patientiâ uti nequeunt, sed libenter se voluptatibus & delectationibus addicunt. Rectè hoc intellexit Zeno, ex Philosopho mercator effectus; cùm enim intellexisset, naves suas, mercibus plenas, in mari fuisse submersas, prudenter respondit: *Bene fortuna facis, quæ ad Philosophiam me vocas*; sicque insignis Philosophus effectus est. Nec studiorum mater appellari solet, unde orationes Demosthenis olere lucernam dicebantur, quia nocte multô studiô compositæ erant. Ratio hujus esse potest, quia in tenebris animus in se receptus, nullis externis divagationibus perturbatur. (*In nocte major attentio.*) Pari modo in tribulatione, quæ tenebræ spirituales sunt, accidit; tunc siquidem animus in se re-

ſe receptus, utiliter propriæ ſaluti attendere poteſt. Propheta regius de ſe hoc egregiè teſtabatur, dicens: *Meditatus ſum nocte cum corde meo, exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*; de nocte, inquit, ſtudium meum bene complere potui, quia ſpiritum meum tunc exercere & conſiderare potui. Cùm tribulatio etiam ſomnum fugat, meliùs de nocte quàm de die ſtudiis attendere licet: *In die tribulationis* (inquit Pſalmiſta) *Deum manibus exquiſivi, nocte contra eum, & non ſum deceptus*. Tunc invenire potuit Deum ſuum, cùm ſibi ipſi abſque ulla occupatione externa intendere potuit.

Pſal. 76.7.

Ibid. 3.

Sapientia & patientia ſemper ſimul.

21. Tribulatio inſuper ad orationem confugere docet, ut in præcedenti Diſcurſu diximus; & illa eſt ſchola in qua Deus animam docet, de qua dicebat Sponſa: *Introduxit me in cellam vinariam*. Vel ut alia verſio habet: *In domum Gymnaſii*; ibiquе mirabiliter docetur. Tanta denique eſt connexio inter ſapientiam & patientiam, ut numquam ſeparata inveniantur; & ab una ad aliam argumentari licet. S. Cyprianus id rectè intellexit, cùm enim de Gentilium patientia loqueretur ait: *Tam illic patientia falſa eſt, quàm & falſa ſapientia eſt*. Diſcipulus quidam Zenonis factis idem exhibuit; cùm enim ex ſcholis domum reverſus, à patre interrogaretur, quid tandem utilitatis in ea hauſiſſet, demonſtrabo, inquit, & ſubitò tacuit; expectans igitur pater inſignem quandam ſententiam aut curioſum diſcurſum, nihil reſpondit; indignatus igitur, ſe deriſum putans, & fruſtrà ſolviſſe expenſas, verberibus excipere cœpit, & rurſum interrogans quid didiciſſet, reſpondit, quòd indignationem tuam patienter ſuſtinere potuerim; ex Philoſophia ſiquidem didicerat, iram paternam patienter ſuſtinere. Videbatur certè dictum illud ſapientis legiſſe: *Doctrina viri per patientiam noſcitur*. Prov. 19. 11.

Cant. 2. 4.

S. Cypr. in libr. de patient.

Patientia, ſapientia vocata.

Senec. epiſt. 60.

22. Eandem doctrinam apprehendiſſe videbatur Seneca, dum in epiſt. 60. ſcribit: *Vir ſapiens ad omnem incurſum invictus, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet; uſque adeò patiens eſt vir ſapiens, & perfecta patientia cum ſapientia reperitur*. Ulteriùs tamen Iſaias Propheta procedens, patientiæ nomen ſapientiæ tribuit; cùm enim capit. 53. hiſtoricè quaſi paſſionem Salvatoris enarrâſſet, fructum ejus referens, ait: *In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos*. Sed quid ſcientiæ cum juſtificatione? ſi ſcientia ſufficiebat, non opus erat verbum Iſai. 53. 11.

æternum

æternum incarnari, cùm non propter ſcientiam, ſed propter paſſionem caro ipſi neceſſaria fuerit. Optimè tamen dixit Iſaias, eam ſiquidem ſcientiam intellexit, de qua S. Apoſtolus Paulus, de Salvatore loquens,
Hebr. 5. 8. dicebat: *Didicit ex iis quæ paſſus eſt*; ex ea nempe, quæ eadem cum patientia eſt, quæ ſpecialiter à patre cœleſti illi tradita fuit, ipſomet per Prophetam
Iſai. 50. 4. dicente: *Dominus erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum*; quid docebat eum? quod ſe-
Ibid. 6. quitur: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Idem ergò ſunt ſapientia, & patientia; ideoque utraque in ſchola tribulationis apprehenditur.

In ſchola tribulationis omnis ſcientia addiſcitur.

23. Dicet fortè aliquis quam præcipuè ſcientiam in hac ſchola didicit? ſed potiùs dico ego quam ſcientiam non didicit? Grammatica prima eſt quæ in ſcholis addiſcitur, emendatè nempe eloqui, in ſchola tribulationis meliùs quàm in alia addiſcitur. Hanc rectè didicerat Propheta Da-
Pſalm. 38. 2. vid, dicens: *Dixi cuſtodiam vias meas, & non delinquam in lingua mea*; ſed quando? *Cùm conſiſteret peccator adverſum me*; quando conturbatus & afflictus eram. Amici Job cum illo in tribulatione ſua diſputabant, ſed quis vincebat? Job afflictus, ita nempe diſputationis præſes teſtabatur, dicens: *Non eſtis loquuti rectum, ſicut ſervus meus*; Job 42. 7.
neſciviſtis ita perfectè loqui ſicut Job, aiebat Deus. Quid inſuper addiſcitur? Rhetorica, quæ nullibi meliùs quàm in tribulatione; numquam advertiſtis, quantâ arte & eloquentiâ inopes eleemoſynam quærant? quomodo neceſſitates ſuas amplificare ſtudent? quomodo auditores reddant benevolos? quomodo affectus commovere nôrunt? quomodo rationes propoſito ſuo convenientes reperiant? Quid illos adeò reddit ingenioſos & eloquentes? tribulatio, nec ſolùm cum hominibus id agere docet verùm etiam cum Deo; ideoque afflictus David ſubitò ad Deum preces effundere noverat, dicens: *Ad Dominum cùm* Pſal. 119. 1.
tribularer clamavi, & exaudivit me.

Tribulatio Dialecticam & Philoſophiam docet.

24. Dialectica quoque in hac ſchola addiſcitur; afflicti ſiquidem optimè argumenta formare & concluſiones ex præcedentibus elicere nôrunt; ſic fratres Joſephi in afflictione conſtituti, dicere inceperunt: Gen. 42. 21.
Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum. Videte quomodo rectè effectum ex cauſa colligere nôrunt! quàm ſubitò radicem difficultatis attingere ſciant! quis illos hanc Dialecticę ſententiam edocuit? tribulatio. Quid ultrà ſcire deſide-

desideras Philosophiam? hæc in tribulationis schola optimè addiscitur. S. Joannes Chrysostomus id rectè testabatur, dicens: *Nihil verò tribulationi par, Philosophiæ mater est.* Plato quoque dicebat: *Philosophia est mortis meditatio*; sed ubi meliùs meditatio illa instituitur quàm in tribulatione? Alexander Magnus in medio felicitatis cursu, se Deum esse arbitrabatur, nec defuerunt adulatores id ei suggerentes; quâdam verò die vulneratus, illusionem advertit, sanguinemque ex vulnere defluentem demonstrans; hic sanguis, inquit, me mortalem esse docet; & infirmus mortem advenientem sensit, ut 1. Machab. habetur: *Post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.* Ecce quàm benè Philosophia in tribulatione docetur.

S. Chrysost. homil. 61.

1. Machab. 1. 6.

Tribulatio monitor mortis.

25. Tribulatio ergò id nobis officium exhibet, quod triumphantibus exhibebat, qui à Romanis triumphatori in curru adjunctus erat, ut illum moneret se mortalem esse, ne tãtâ gloriâ insuperbitus, Deum se esse putaret. Optimè id notavit S. Hieronymus, dicens: *Monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur in similitudinem triumphantium.* Nec tribulatio solùm nos ipsos quantum ad esse naturæ cognoscere docet, verùm etiam quantum ad esse peccati, ideò in Apocalypsi vocatur reprehensio: *Ego quos amo arguo & castigo.* S. Anselmus hoc exponens, ait: *Arguo*, idem est, ac *peccata cognoscere facio.* Ut autem sciatis hanc scientiam non solùm speculativam esse, verùm etiam practicam; nec solùm efficere ut peccata cognoscamus, verùm etiam ut illa lavemus; S. Anselmus verbum *castigo* exponit *castos ago.* Paraphrastes Chaldæus locum illum Canticorum exponens: *Quàm pulchra es, & quàm decora*; à tribulatione hanc pulchritudinem recognoscit, dicens: *Quàm pulcher est cœtus Israël in tempore suo, ego corripio te propter peccata & te suscipio in charitate.* Tribulatio ergò efficit ut displiceamus nobis, & placeamus Deo, qui insignis sapientiæ effectus; sicut econtrà ingens stultitia sibi ipsi placere. Præclarè hoc nobis explicavit Arca sapientiæ S. Augustinus: *Qui sibi placet, stulto homini placet, quia ille ipse stultus est, cùm sibi placet solus; solus securus placet, qui Deo placet, & quis est qui placet Deo? cui placuerit Deus, sed tibi ille placere non potest, nisi tu tibi displiceas.*

S. Hieron. epist. ad Heldibiam.

Apoc. 3. 19.

Peccata nobis exhibet.

Cant. 7. 6.

S. August. in Psal. 122.

Mathesim docet.

26. Velles quoque Mathematicus fieri, & cuncta benè mensurari nôsse? noli ex hac schola discedere. Cùm aliqui in prosperitate feliciter pergunt,

gunt, adeò superbescunt, ut cœlum digito attingere videantur; sed tribulatio illos propriam naturam cognoscere facit, & quàm sit exiguum quod facere possint. Philippus Macedo luctando in terram ceciderat, unde sublevatus, & corporis vestigia in pulvere relicta considerans, mirabatur se staturâ adeò exiguum; ideoque errorem suum recognoscens, prudenter dicebat; Ah quàm miseri & stolidi sumus, qui hoc mundo vix contenti sumus, & ecce quàm exigua terra nobis sufficiet! Casus ergò propriam naturam cognoscere fecit, & rectam edocuit Geometriam. Sapiens id egregiè de Davide testatur, dicens: *Dejecit exultationem Goliæ*; cognoscere nempe fecit, illum non adeò excellere sicut credebat. Severus Imperator morti vicinus, egregiè id cognovit, cùm urnam sibi adferri curavit, in qua cineres ejus recondi deberent, dicens, teste Dione: *Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit.* Quid insuper dicam, illam quoque miseræ hujus vitæ brevitatem, bonorum temporalium utilitatem, cœlorum sublimitatem, judiciorum divinorum abyssum, misericordiæ ipsius largitatem, pœnarum & præmiorum infinitatem, & cunctorum pro meritis retributionem indicare?

Eccli. 47. 6.

26. Ad Astrologiam postea transeundo, continuum cœlorum motum intelliges, & temporum velocissimam commutationem considerando, insipientiam eorum percipies, qui in prosperitate dicunt: *Non prætereat nos flos temporis*; quasi verò in illorum potestate esset illud retinere. Finem quoque intelligere poteris, ob quem cœlum tantis stellis ornatum, creatum fuerit; ut nimirum ad illud aspirãdo, non totam spem tuam in his terrenis collocares, & pulchritudinem illius considerando, in illa acquirenda te consolari posses. Hanc pulchritudinem filio suo pia Machabæorum mater exhibebat, dicens: *Peto nate ut aspicias ad cœlum*; quasi diceret, cùm modò in schola tribulationis sis, noli veram omittere Astrologiam, cœlum intuere, indeque præmium tribulationi tuæ reddendum spera. Si futurarum rerum notitiam quoque acquirere desideras, ibi reperies signum prædestinationis esse, à Deo tribulari, & æternam te felicitatem consequuturam, si patienter toleraveris; videbisque quantâ longanimitate Deus peccatores expectat.

Astrologiam edocet.

Sap. 2. 7.

2. Machab. 8. 28.

27. Quid de Theologia denique & cognitione divina dicam? propria ejus schola tribulatio esse videtur; in præcedenti

Tribulatio Theologiam docet.

dienti quoque Discursu intellexistis cuncta divina attributa per illam mirabiliter cognosci. Ad hoc intelligendum considerare convenit, Deum legem populo suo intimare volentem, illum in vastissimum adduxisse desertum; & inter spinas & nebulas Moysi se manifestâsse. Altissima quoque mysteria dilecto discipulo suo Joanni in insula Pathmos revelavit. Illa deniq; differentia quæ est inter visum & auditum, est quoque inter cognitionem quam de Deo in tribulatione & extra illam habemus. Rectè hoc intellexit S. Propheta Job, dicens: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Primò nempe, aliquam de te cognitionem habueram, sed auditu solùm; nunc verò cùm tribulatione affligor, video te. Quid amplius desiderare potestis? plurimi sunt qui occulta & secretiora cognoscere delectant, & vix aliquis est qui ista se cognoscere gloriari possit.; sed ob hanc sententiam acquirendam à tribulatione recedere non debemus. Sciretísne mihi dicere quid in mundo secretius aut magis absconditum? herbarum proprietates & virtutes dicet aliquis; extremæ entium differentiæ dicet Philosophus; substantia cœlestis alii afferent; sed juxta meam opinionem non accedunt. Rem

Job 42. 5.

Quid in mundo occultius?

tamen occultiorem puto ego peccatum esse, quam opinionem credo sapientissimum Prophetam Davidem etiam tenuisse; cùm enim altiora secreta, etiam sapientiæ cœlestis penetrâsset, dixit: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi*; de peccatis tamen agens, exclamabat dicens: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Quandoquidem hęc peccata adeò occulta essent, nónne melius David precatus fuisset, ut Deus illi manifestâsset ista, ut de illis pœnitere potuisset? an conveniens videtur tanta ignoscere delicta, & ne quidem illa cognita reddere? primò cognitionem eorum pete, postmodum verò condonationem impetrare poteris.

Psal. 50. 8.

Psal. 18. 13.

28. An quia David cognoscens quàm horrendum erat peccatum, non ausus erat illud cognoscere nec aspicere, sicque absque cognitione sibi ignosci rogabat? sicut etiam alibi rogabat, ut Deus absque ulla respectione peccata castigâsset & remisisset: *Averte faciem tuam* (inquit) *à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Concedamus ita esse, credemúsne David peccata sua cognovisse? non-scivisse illum in plurimis Deum offendisse? negari non potest, alibi quippe dicebat: *Iniquitatem meam ego cognosco.*

Cur David non cognoverit cuncta peccata.

Psal. 50. 11.

Ibid. 5.

cognosco. Si dicas illum loqui de culpis commissis, post alium Psalmum dictum, subjungo, id esse non posse, quin alicujus peccati reum se in conscientia cognosceret, adeò siquidem scrupulosæ conscientiæ erat, ut cùm exiguam partem chlamidis Saulis præscidisset, subitò dolens pœnituerit, ita ut Scriptura dicat: *Percussit cor suum David.* Nónne meliùs igitur dixisset; Domine de peccatis cognitis & incognitis remissionem concede. Cur cognita exclusit, & non potiùs cuncta recensuit? quinimò cuncta sapienter expressit, omnia siquidem possunt vel potiùs debent occulta vocari, tam quia naturâ suâ sunt talia, quàm quia numquam plenè cognosci possunt. Cognovit v. gr. David homicidium & adulterium à se commissum, sed quantumvis perspicacioris fuisset ingenii, non cognovit quantam deformitatem & malitiam contineret; ideoq; meritò dicere poterat illi fuisse occulta, cùm multò major illorum esset malitia quàm exteriùs apparebat. Si de Propheta Davide id dicere possumus, quid de nobis ipsis dicendum erit, qui multò ipso pejores sumus?

1. Reg. 24. 6.

Saul non rectè confitebatur.

29. Rex Saul magnam committebat injustitiam persequendo David, non tantùm innocentem, verùm etiam de ipso bene meritum; quadam tamen vice culpam videbatur agnoscere, dixitque ipsi: *Iustior tu es quàm ego.* Quid vobis de hac confessione videtur? Davidem se justiorem ait, se ergò inter justos enumerat. Estne ergò justitia persequi innocentem? dicere debebat, justus est David, ego verò injustus, ingratus, & sceleratus. Non mirum tamen Saulem id non dixisse, nimis quippe difficile rectè peccata sua cognoscere, ideoque meritò cuncta occulta dici possunt. Verè tamen dicamus, si quid est quod nos à tenebris liberare & peccata cognoscere facit, est tribulatio. Dum mare quietum & ab omni vento est liberum, ab omni immunditia purum videtur; si tamen à ventis & tempestate conquatitur, universa quę in fundo latebant, supernatant & ad littus projiciuntur. Pari modo cor impiorum quasi mare turbidum: *Impii autem quasi mare fervens;* dum tranquillitate & felicitate fruuntur, plurimæ peccatorum immunditiæ teguntur; si tamen à tribulatione commoventur & agitantur, subitò ad littus memoriæ ejiciuntur & apparent. Egregium hujus rei in Antiocho apparet exemplum, cùm enim templum Jerosolymis prophanâsset & plurima commisisset scelera; in felicitate & prosperitate sua cuncta

1. Reg. 24. 18.

Tribulatio peccata cognoscere facit.

Isai. 57. 20.

cuncta oblivioni tradiderat; dum verò è curru cadens, mortis periculum incurrisset, fieri non potuit, quin eorum recordaretur, dicens: *Nunc reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem.* Urgente ipsum conscientiâ, quiescere non potuit.

1. Machab. 6. 12.

Tribulatio universam docet scientiam.

30. Universitas ergò scientiarum est tribulatio, omnes siquidem adeò perfectè edocet, ut nulla intacta remaneat. In hoc studio conclusiones defendi solent, & qui eas non novit, admirari quandoque poterit, quomodo juvenis solus coram tot impugnantibus, illum confundere volentibus, defendere audeat: & licèt habeat assistentem sibi, non tamen verbum aliquod illi utile profert. Intelligens autem similia argumenta, virtutem hujus juvenis cognoscit, dicens; quàm benè cuncta defendit? non ut discipulus, sed ut magister respondit; assistens quippe nihil ad rem protulit ut discipuli valorem ostenderet. Pari modo afflicto patienti accidit, nam in tribulationis & crucis cathedra constitutus, conclusiones amoris sui erga Deum, alacriter sustinuit; & demonstrationem scientiæ egregiè exhibuit, ut enim dixit Salomon: *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Deus autem inter hæc tacet, unde plurimi admirantes cum Habacuc Propheta dicunt: *Quare taces devorante impio justiorem se?* Sophonias autem rationem reddens, ait; Deum idipsum efficere quia ipsi benevult, utque magis laudetur; de tribulatione quippe Jerosolymitana loquens, dicit: *Silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.*

Prov. 19. 11.

Habacuc 1. 13.

Sophon. 3. 17.

Tribulationis universitas privilegiata.

31. Maxima solent Principes universitatibus privilegia concedere, voluntque ut nulli subditorum liceat extra illas gradus assumere. Quis autem privilegia à Deo huic tribulationis universitati concessa, explicare poterit? hîc peccata remittuntur, gratiarum stipendia tribuuntur, gloriæ incrementum datur; hîc privilegia nobilium, hæreditates regni cœlestis, & particulariter adoptio filiorum Dei conceditur. Laurea denique doctoratui tribuitur; sed quando hæc conferetur? in die judicii; tunc quippe cuncti examinabuntur, tunc tribulati sententiam ferent & præmia pro meritis distribuent. Magni faceret qui ad lauream doctoratûs promovendus, multò ante puncta & difficultates sibi proponendas cognosceret, ad illas siquidem se ita præpararet, ut cum honore respondere posset. Vultis autem cognoscere, quæ vobis in tremendo illo judicio interroganda proponentur? ecce indicabo; opera misericordiæ, si fame-

licis cibum, si sitientibus potum, peregrinis hospitium, infirmis consolationem præbuistis. Quodque magis refert, illi ipsi judices & examinatores erunt; ut ergò vos in his operibus exerceatis illa continuò agite. Pari modo justus quidam efficiebat, de quo Psalmista referebat, dicens: *Iucundus homo qui miseretur & commodat*; quia: *Disponet sermones suos in judicio*; se ad interrogationes præparabit in die judicii: *Et in æternum non commovebitur*. Pari modo vos igitur agite bonam pauperibus eleemosynam largiendo, & non timebitis in die judicii & examinis universalis.

Psal. 111. 5.

SECUNDA PARS.

Sapientia thesaurus preciosus.

32. In mari universi bonorum thesauri absconditi latent, si gemmas pretiosas, margaritas, uniones, corallia, aliaque infinita desideres, in eo abundè reperies; David intimus Dei secretarius id præclarè testabatur, dicens: *Ponens in thesauris abyssos*; id est: *Thesauros in abyssis*, ut alii legunt. Præ omnibus tamen thesaurus pretiosissimus est sapientia, teste Prophetâ Job, qui nihil ipsi comparandum reperit: *Non dabitur aurum obrisum pro eâ*; illa tamen sub amaris & salsis tribulationis aquis copiosè reperitur, eodem dicente: *Trahitur autem sapientia de occultis*. Sed quæ loca occultiora quàm in profundo maris, & sub tribulationum fluctibus? non mirum ergò si cuncti hæc secreta penetrare nequierunt. Quia tamen afflictus conclusiones suas optimè defendere, & argumentis contrariis respondere solet, videamus modò si nos quoque argumentis oppositis respondere poterimus.

Psal. 32. 7.

Job 28. 15.

Job 28. 18.

Sapientia non mater sed detectrix tribulationis.

33. Quid igitur dicebatur sapientiam tribulationis matrem esse? nequaquam ita est, quinimò maximam cordi delectationem adfert, sed bene illam detegit. Exemplis res clarior evadet; de nocte, v. gr. caveam absque lumine intrans à serpentibus inhabitatam, periculum ignoras in quo versaris; primo autem solis radio illucescente, summo dolore & angustiâ affecereris, si in tali vitæ discrimine te positum conspiceres. Non quia lux periculi causa, sed quia illud detegit & tibi proponit statum in quo versaris. Pari modo inquit Sapiens: *Qui addit scientiam, addit laborem*; non quòd illum causet, sed quia occasiones detegit propter quas dolere debes, unde maxima tibi obligatio. Concedamus insuper, causare laborem & dolorem; inde tamen non sequitur, non posse esse à tribulatione generatam.

Eccles. 1. 18.

ratam. Nónne tu ſiquidem pro patre hominem habuiſti, & filium hominem genuiſti? omninò, poterit igitur ſapientia mater unius tribulationis eſſe, & alterius filia.

Proſperitas eſt privatio, non tribulatio.

34. Quid dicebatur tribulationem privationem eſſe, quæ non cognoſcitur niſi per contrarios habitus? quinimò dico ego proſperitates & bona temporalia privationes ſunt. Sanitas quippe, quod magis hujus vitæ bonum, quid aliud eſt quàm privatio ſuperflui caloris, aut alterius inæqualitatis; febris autem exceſſus caloris ex humorum copia ortus. Felicitas in quo conſiſtit? an in divitiarum abundantia? nequaquam, quia plurimi divites ſunt miſerrimi; ſed in non habendo contrarium nos affligens: potiùs ergò in privatione quàm in poſſeſſione conſiſtit. Mors tamen nónne privatio eſt? verum eſt, ſed præſentiâ ſuâ nullam adducit tribulationem, quinimò ab omni nos eripit; cogitatio ergò & timor ejus, quæ poſitiva ſunt, affligunt. Paupertas nónne privatio eſt? verum eſt, ſed per ſe nullam tribulationem cauſat, quia plurimi pauperes hilares ſunt & contenti; unde communiter dici ſolet:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Tribulationes ſunt quæ illam comitari ſolent, ut impatientia, appetitus divitiarum, contemptus, & abjectio. Magis ergò proſperitas quàm adverſitas in negatione conſiſtit; ideoque illa per hanc cognoſcitur, juxta commune proverbium; Neſcit quæ ſunt bona, qui non fuerit expertus mala; ſanitatem non æſtimat, qui infirmitatem non probavit; nullum denique bonum perfectè cognoſcitur, niſi dum longè abeſt. Sapiens quoque idem rectè affirmat, dicens: *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* quid ſcire poteſt, qui nullas tribulationes expertus eſt? nihil omninò. Eccli. 34.9.

Cur proſperitas per ſe non cognoſcatur.

35. Concedamus quoque multas tribulationes negationes eſſe aut privationes; non ergò cognoſci poſſunt niſi per habitus contrarios? diſtinguo, ſcientiâ ſpeculativâ & intellectuali concedo; ſed ſcientiâ practicâ & cognitione ſenſuali, quæ dolorem adfert, aut delectationem, nego. Dico inſuper, adverſitatem magis cognoſci quàm proſperitatem; ſicut enim, dum aliquid ejuſdem tecum temperamenti tangis, v. gr. ejuſdem caloris aut frigoris nullam ſentis alterationem, & vix te tangere advertis; ſed qualitatibus contrariis præditum tangens, ſubitò advertis. Sic proſperitas quia inclinationi noſtræ conformis, & ejuſ-

dem no-

dem nobiſcum conditionis, vix cognoſcitur aut ſentitur; adverſitas autem cùm ſit appetitui contraria, ſubitò ſentitur & cognoſcitur. Exemplum ergò divinæ cognitionis non congruit, cùm Deus nullum malum experientiâ cognoſcat, niſi in quantum voluerit carnem pro nobis aſſumere, ſicque tribulationes quoque expertus eſt,
Hebr. 5. 8. dicente Apoſtolo: *Didicit ex iis quæ paſſus eſt.*

Vera ſapientia tribulatione acquiritur.

36. Quid dicebatur ad acquirendam ſcientiam commoditate & divitiis opus eſſe? ad illam quæ ex libris habetur acquirendam, verum eſſe poteſt; libri ſiquidem abſque pecunia haberi non poſſunt, nec ſine commoditate ſtudium ullius eſt valoris; quam tamen à Deo habemus, perfectior & excellentior eſt illâ, quæ proprio habetur diſcurſu. Commoditates & divitiæ, ſcientiæ divinæ maximè contrariantur; doctiſſimus & eloquentiſſimus Dei Propheta Iſaias id optimè cog-
Iſai. 28. 9. noſcens, dicebat: *Quem docebit ſcientiam? an divitem & commodum?* nequaquam, reſpondit: *Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus*; ſenſualibus nimirum, & mundanis delectationibus ſpoliatos. Alibi quoque ſub nomine potus, divinam ſapientiam promittebat, dicens:
Iſai. 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate*; demonſtrare volens, pauperes aptiores eſſe ad hanc ſcientiam acquirendam quàm divites, qui lacteis ac delicioſis cibis aſſueti, nihil ſolidi maſticare poſſunt. Sapientia divina cibus ſolidus eſt, bonos requirens dentes, quia: *Sapientia* Prov. 9. 1.
ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, propoſuit menſam. Cùm Chriſtus Hebræis hunc ſapientiæ cibum proponeret, quia bonis carebant dentibus dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis* Joan. 6. 60.
poteſt eum audire? Gentiles quoque idem optimè intellexerunt, ideoque Cicero in ſuo Hortenſio, referente S. Auguſtino, dicebat: *Non poteſt ſtare* S. Auguſt. lib. 4. contra Jovinianum.
voluptas corporis cum cognitione & ſapientia. Non ſine myſterio quoque à Salomone ſapientia promiſſa inſtar arenæ maris; ſicut enim hæc à continuis undarum agitationibus producta, ſic vera ſapientia per tribulationes & perſequutiones acquiritur & conſervatur. Sicut etiam arena maris, fluctibus continuò ſubjacens, ab illa ſe vinci aut deleri non permittit; ita vera ſapientia in ſufferendis averſis, in illiſque animo invicto conſiſtendis probatur.

Tenebræ ſapientiæ utiliores.

37. Quid dicebatur tribulationes tenebras eſſe? benè quidem, ſed recordandum tenebras in domo Dei clareſcere, ita egregiè teſtatur Pſalmiſta, dicens:

dicens: *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Ignorant insuper noctem matrem esse consilii; & apud antiquos nocturnam avem, bubonem, inquam, symbolum fuisse sapientiæ? Hæc autem Minervæ, scientiarum Deæ, dicata erat, ad significandum noctem studiis magis accommodam esse quàm diem. Quid dicebatur, tribulationem aquam, & sapientiam lucem esse, ideoque hanc in illam commutari non posse? sed ignorant divinam sapientiam etiam aquam dici: *Aquâ sapientiæ salutaris potavit illum?* Non sciunt, quòd licèt aqua sit ex se obscura, quia tamen corpus diaphanum est, facillimè lucem admittit? an ignorant à mundi principio inter lucem & aquam optimam fuisse cōjunctionem, quia dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas?* Hunc autem spiritum lucem esse, Sapiente teste, probari potest: *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus*; ecce qualiter lux est cuncta illuminans.

Eccli. 15.3.

Genes. 1.2.

Ecclesi. 6.1.

Tribulatio schola sapientiæ.

38. Tribulatio ergò schola & universitas scientiæ est, ut intellexistis, in qua cuncta apprehenduntur; & quis illam non libenter adibit? *Lamentari quisquam sanâ mente mavult quàm lætari in amentia*, inquit S. Augustinus; melius est dolere & discurrere, quàm lætari & insipientem esse; si tribulatio igitur non tantùm mentem sanam conservat, verùm etiam sapientiâ adornat, quomodo non erit desideranda? Puerorum est non cognoscentium, utilitatem suam scholas fugere, sed grandiores effecti, insipientiam dolent. Apostolus S. Paulus hanc insipientiam suos effugere volens, dicebat: *Nolite pueri effici sensibus*; nolite tam exiguo esse judicio, ut puerorum instar, scholas effugiatis, & tribulationem apprehendere non velitis. Ut divitias consequantur homines quid non patiuntur? sed divitiis sapientia prævalet, teste Salomone: *Proposui illam regnis, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Cùm Alphonsus Rex Aragoniæ quadam die interrogaretur, si pauper fieri posset? omninò, inquit, si sapientia venderetur, in ea siquidem emenda, cunctas expenderem divitias. Alexander Magnus magis quoque æstimabat sapientiâ quàm divitiis augeri, illa siquidem his multò utilior.

S. August. lib. 15. de civit. Dei cap. 27.

1. Cor. 14. 20.

Sap. 7. 8.

39. Ferreis catenis devinctus alacriter eas portaret, si illas in aureas brevî mutandas cognosceret; quantò enim magis ponderarent, tantò magis placerent, quia tantò majorem auri quantitatem recipere deberet. Rectè igitur afflictus lætandi occasionem habebit, quia

Tribulationis catena in aurum mutantur.

bit, quia tribulationis ejus catenæ in tantum veræ sapientiæ aurum citò commutandæ erunt. In prophanis historiis de Agrippa legimus, quòd cùm ex præcepto Tiberii Cæsaris catenis devinctus fuisset, quia Cajo magis quàm sibi adhærebat; assumpto ad Imperium Cajo, Agrippæ catenas in torques aureas commutavit. Sacra quoque historia refert, Josephum in Ægypto ferreis catenis devinctum, in aureas mutatas fuisse; ubi nos siquidem
Gen. 49. 24. legimus: *Dissoluta sunt vincula brachiorum ejus*, Paraphrastes Chaldæus legit: *Positum est aurum super brachia ejus.* Sed ubi legitur Josephi catenas in aurum fuisse mutatas? scitis de quo auro intelligendum arbitror? de auro sapientiæ, in carceribus siquidem scientiam interpretandi acquisivit, quam primò non habebat. Licèt enim excellentiam suam in somno manipulorum & stellarum ipsum adorantium præviderat, non tamen sciebat quid sibi vellent illa somnia; postquam verò in carcerem missus fuerat, aliorum quoque interpretari didicit, sicque in tribulatione sua aurum & scientiam acquisivit.

Ioseph in tribulatione sapientissimus.

40. Tantam quoque acquisivit prudentiam & sapientiam, quòd licèt juvenis, à Pharaone tamen domui ejus omnique regno præpositus fuerit, & cunctos Principes ac Seniores illius doctrinam ediscere jussit. Ita de ipso præclarè testatur Psalmista, dicens: *Constituit eum dominum domûs suæ, Principem omnis possessionis suæ, ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret.* Psalm. 104. 21.
Notat S. Jeronymus, quòd dum curru triumphali per Ægyptum deveheretur, tubicine altâ voce personante, ut omnes genu flecterent, & gubernatorem totius regni agnoscerent, à tubicine *Abrech* proclamabatur; quam vocem ille explicans, ait: *Ab quidem dicitur pater; Rech dilectus, sive tenerrimus; significante Scripturâ, quòd juxta prudentiam, quidem omnium pater fuerit Ioseph, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens ac puer.* In ætate igitur juvenili tantâ abundavit prudentiâ Joseph, quia in schola tribulationis benè studuerat, ut mereretur pater ac magister omnium dici. Quinimò illud verbum *delicatus & tenerrimus*, non tãtùm fortassis Josepho propter ętatem tribuitur, verùm etiam propter facilitatem & bonam dispositionem afflictiones sustinendi; cùm res tenerę & delicatę resistentię & cõtrarietati sint ineptæ; quomodo non fuit Joseph qui violenter & contra justitiam accusatus fuerat, & malè exceptus: quasi diceret, quia absque ulla renitentia tot tribulationes

Gen. 41. 43. S. Jeron. in Genes.

ſationes pertulerat, ad hunc ſapientiæ & dignitatis gradum pervenerat. Econtrà verò qui hanc ſcholam non frequentavit, nihil omninò ſcire poteſt, quia

Eccli.34.9. teſte Sapiente: *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* quid ſine tribulatione dici poteſt?

Afflictis ſummè lætandum.

41. Exultate igitur & lætamini vos omnes dum afflictione vexamini, ſi enim per vos non defuerit, tribulationes iſtæ in tantum aurum vertentur, & eminentem vobis ſapientiam exhibebunt; nolite itaque hanc diſcendi occaſionem perdere. Tribulatio quoque diſciplina

Heb.12.11. dicitur, teſte S. Paulo: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris.* Sed diſciplina etiam nomen eſt ſtudii & exercitii ſapientiæ, ut ſciatis tribulationem aliud non eſſe quam exercitium ſciendi, unde S. Paulus egregiè docebat, di-

Hebr.12.5. cens: *Noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris;* quaſi diceret, noli tantum donum contemnere qualis eſt tribulatio, noli occaſionem diſcendi amittere. Addiſce igitur afflicte refrænare linguam, nullaſque proferre maledictiones, ſcis enim quantum diſpliceant, & eris bonus Grammaticus; recurre ad Deum ferventi oratione, & eris bonus Rhetor; cognoſce peccata tua afflictionis cauſas, & eris argutus Dialecticus; mortem vicinam contemplare, & eris excellens Philoſophus; abjectionem tuam addiſce, & eris optimus Geometra; lætare te habere prædeſtinationis ſignum, & eris infallax Aſtrologus; à terrenis ad cœleſtia te erige, & eris doctiſſimus Theologus. Quodque magis refert, doctoratûs lauream in die judicii recipiens, perpetuo in cœlis gaudio perfrueris, quod Deus concedat. Amen.



DISCVRSVS XLIX.

Tribulatio animam nostram ferventem & bonis operibus fœcundam reddit, unde in illa otiosi esse non debemus.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Sapientia operibus conjungenda. num. 1. 2.
Tribulatio bonam operationem impedire videtur. à num. 3. usque ad 7.
Tribulatio utiliter operari docet. à num. 8. usque ad 21.
Tribulatio operationem non impedit, sed promovet. à num. 22. usque ad 30.
Tempus tribulationis fertilissimum. num. 31. 32.
Tempus tribulationis opportunum hilariter transigendum. à num. 33. usque ad finem.

Cur litteræ ab aliquibus inutiles judicatæ.

1. SApientia absque dubio ut gemma pretiosa, nullo pretio æstimabilis; cùm tamen in aliquo sterilis apparet & infœcunda, plurimum de dignitate sua & vigore perdit. Sæpiùs quippe accidit, ut idem in consilio & executione valeat, perspicax sit oculis, manu validus; in contemplatione excellens, in actione denique sapiens & laboriosus sit. A multis Principibus ut inutiles litteræ judicatæ fuerunt, quinimò docti & Philosphi ut civitatum pernicies ab illis expulsi fuerunt. Licinius & Valentinianus Imperatores litteras pestem & Reipublicæ venenum vocârunt, Antiochus Gripho dictus, referente Athenæo, cunctos Philosophos regno suo expulit; Reipublicę perturbatores & juventutis corruptores eos vocans. Roma quoque peregrinorum susceptrix & cōmunis omnium patria, non semel cunctos ejecit Philosophos. Nec immeritò; sapiētia quippe pro perspiciliis, non verò pro speculo nobis inservire debet. Insignis sanè est differentia inter perspicilia & speculum; hoc non est transparens, nec oculum ultra se transire permittit, sed visionem terminans, in respicientem reflectit. Perspicilia verò, non solùm non terminant visionem, verùm etiam acutiorem & longiorem

giorem efficiunt. Aliqui igitur ex scientia sua speculum efficientes, intra eam discurrunt & in seipsis superbientes, nil ultrà considerant. Justi autem pro perspiciliis illâ utuntur, ita ut cognitio illorum ad externa objecta transeat, & visio non in scientia, sed in operatione terminetur. De lege sua dicebat Deus: *Hæc verba inter oculos vestros collocate*; aliqui verò legunt: *Erunt vobis ut frontalia*; quæ vox in Hebræo propriè perspicilia significat. Pari modo intellexit Propheta David, dicens: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Si enim non fuisset perspiciliorum instar, ob oculos positum, illos offuscaret, non illuminaret. Lacedæmones quoque, licèt gentiles, id ipsum intellexerunt; sapientiam quippe figurâ quidem humanâ pingebant, sed cum quatuor auribus & quatuor manibus, licèt duos tantùm haberet oculos; denotantes, veram sapientiam non tam in visione, quàm in obedientia & operatione consistere.

Sapientia perspicilia non speculum esse debet.

Deut. 11. 18.

Psal. 18. 9.

2. Sapiens ut Arca fœderis est, in qua legis tabulæ continebantur, unde S. Antonius de Padua propter eximiam sapientiam à summo Pontifice Arca Testamenti appellatus est. S. Gregorius Papa notat, Philistæis Arcam ob tribulationes immissas dimittere volentibus, dictum fuisse, ne vacuam dimitterent: *Si remittitis Arcam Dei, nolite dimittere eam vacuam*; id est, scientia operibus conjungenda: *Quid est* (inquit S. Gregorius) *Arca vacua, nisi divina scientia sine bona operatione? vacuam namque Arcam dimittere, est de cognitione spiritualium Sacramentorum fructum boni operis nullum ferre.* Cùm igitur hoc consilium afflictis Philistæis donatum, ab ipsis executum fuerit; conveniens videtur ut nos quoque, postquam præcedenti Discursu ostendimus tribulationem servis suis Arcam divinæ sapientiæ afferre, in præsenti videamus, si vacuam, aut fructu bonorum operum plenam, illam possidere faciat. Sed quis credet tribulationem ad bene operandum juvare, cùm simplicem operationem impediat? Per viam saxosam, spinis, & tribulis plenam, quis nescit cursum difficilem esse? Amos Propheta optimè illud noverat, dicens: *Numquid currere queunt in petris equi?* Tribulatio quid est? via saxosa & spinosa: *Sepiam viam tuam spinis*, dixit Deus per Oseam; mittam nimirum tribulationem: *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi*; id est, impedimentum, ut non progredi, sed cadere deberem. Econtrà igitur prosperitas via larga, plana, & commoda est,

Arca Dei non vacua tenenda.

1. Reg. 6. 3.

S. Gregor. lib. 2. in cap. 6. 1. Reg.

Operibus bonis replenda.

Amos 6. 12.

Oseæ 2. 6.

Psal. 139. 6.

per quam faciliter & velociter curritur; ita testatur Propheta David utramque viam expertus: *Viam mandatorum tuorum cucurri*; sed quando? *Cùm dilatâsti cor meum*; quando lætitiam & prosperitatem immisisti, quâ cor meum dilatatum est.

Psal. 118. 32.

Tribulationes compedes sunt.

3. Dico insuper, non solùm tribulationis viam spinosam esse, verùm etiam afflictorum pedes infirmos esse. Qui compedibus & vinculis constricto diceret curre velociter, impertinenter loqueretur. Pari modo Deus agere videtur, dum afflicto præcipit, ut benè operetur. Job summoperè admiratus, dicebat Deo: *Posuisti in nervo pedem meum, & observâsti omnes semitas meas.* Quomodo incedere poterat, si pedes ligatos teneret? In historia Job numquam legimus, illum compedibus fuisse vinctum, per hoc ergò tribulationem suam intelligebat; vel ut alii intelligere volunt, podagram quam in pedibus patiebatur: non tamen de corporis sed de animæ afflictionibus loquebatur; Deus quippe attendebat, quomodo sese in tribulatione illa haberet. Job tamen adeò difficile æstimabat in tribulatione benè operari, quàm incedere podagricum, aut vinculis constrictum. Si aliter esset, Dæmon insipiens videretur; quis enim ignorat illum sæpiùs tribulationis nostræ auctorem esse? Ad quem finem, nisi ut progressum nostrum in via virtutis impediat, & Deum offendamus? Cur Job adeò afflixit, nisi ut ab innocentia ad Dei maledictionem compelleret? Quotidie insuper inter nos zizania & discordias seminat, omnique modo possibili affligit ut ad peccandum inducat. Si tribulationes ergò contrarium in nobis exercerent effectum, & in Dei servitio redderent ferventes, Diabolus illas infligens, insipiens & non astutus serpens esset, ut in Scriptura sacra vocatur. Tanta insuper est connexio inter tribulationem & malam actionem, ut illa tentatio vocetur. Salvator noster id Discipulis suis egregiè indicabat, dicens: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Sed nónne scimus Salvatorem dum tentaretur, in deserto solum fuisse? quomodo ergò ait Apostolis: *Permansistis mecum in tentationibus meis?* per tentationes, persequutiones, & tribulationes intelligebat, quia tentatio & tribulatio sunt sorores; nam tentari, magna tribulatio est; & tribulari, magna est tentatio ad malè agendum.

Job 13. 27.

Dæmon per tribulationem bona opera impedit.

Luc. 22. 28.

Tristitia operationem impedit.

4. Quis insuper ignorat, nos in tenebris non posse operari, aut quod operamur, esse imperfectum?

perfectum? Salvator id egre-
Joann.9.4. giè docebat, dicens: *Venit nox quando nemo operari potest.* Et
Rom.13.12. S. Paulus ait: *Abjiciamus opera tenebrarum*; id est, peccata. De Ægyptiis dicebat Sapiens; illo tempore quo tenebræ ubique essent, nullus se loco moverit. Sed tribulationes sunt
Isai. 21. 12. nox & tenebræ: *Venit manè & nox*; prosperitati nimirum, succedit adversitas; quomodo igitur possibile erit non in ea operari? David precabatur Deum,
Psal.85.11. dicens: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Quid lætitiæ cum timore? quinimò videbatur dicendum, lætatur cor meum quia timor expulsus est; timor quippe & mœstitia ordinariè conjunguntur. Sed cognoscebat optimè quantum impedimentum Dei servitio exhiberet, quia timor tribulatio est, aut ejus filia; unde videbatur illi ne quidem sanctum timorem habere posse, qui levior est affectus quem afflictus habere posset.

5. Dices tamen experientiam contrariam esse, multi siquidem afflicti benè operantur, frequentant cum devotione Ecclesias, faciunt vota, dant eleemosynas, & extra hanc occasionem nihil efficiunt. Respondeo, licèt hoc faciant, tantum est, ac si non facerent; illa siquidem opera nil apud Deum merentur. Propheta Amos id præclarè docebit, per eum nempe dixit Deus populum Hebræum nullum sibi obtulisse sacrificium in deserto: *Num-* Amos 5.25.
quid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto, 40. annis domûs Israël? Videbantur tamen respondere potuisse, omninò obtulimus, quia in Levit. cap. 8. legimus; dum Aaron summus sacerdos inungebatur, offerebatur sacrificium; & propter tabernaculi dedicationem sacrificium offerebatur. Quomodo ergò Deus ait, numquam ipsi sacrificium oblatum? Quomodo insuper credibile est illos numquam sacrificâsse, si propterea Pharaonem sollicitabant ut eos dimitteret ad sacrificandum Deo in deserto? Respondent aliqui, quòd licèt Deo sacrificarent, etiam vitulo sacrificabant; Deus autem solus adorari vult, alioquin est quasi non adoraretur. Alii dicunt sacrificia illa privata fuisse Moysis & Aaronis, sed totum populum numquam sacrificâsse. Sed S. Jeronymus respondet, licèt aliqua offerrent sacrificia, non tamen ex puro corde illa offerebant, quod coram Deo est quasi non fuisset factum. Eandem ob causam nos quoque dicere possumus, afflictum nil boni agere, quia non ex amore, & voluntariè, sed coactè cuncta perficit. Si cor divisum Deo non placeat,

An Hebræi sacrificâssent in deserto.

placeat, afflictus cor suum divisum gerit, quia afflictionibus suis attendere cogitur, unde Deo illud totaliter tribuere non potest. Si denique ab omni populo in deserto sacrificatum fuerit, nullam meliorem invenire possem rationem, quàm illum eo tempore in asperrimo fuisse deserto afflictum, ideoque non potuisse quidquam boni agere aut sacrificare.

Cur summus Sacerdos non debebat lugere.

6. Prædicta ex eo probare possum, quòd Deus summo Sacerdoti præceperit, ne quemvis mortuum accederet, aut super eo lugeret: *Ad omnem mortuum non ingredietur omninò, super patre quoque & matre non contaminabitur.* Levit. 21. 11. Sed nónne unum ex septem operibus misericordiæ est sepelire mortuos? nónne rationi, & legi naturali & divinæ conforme honorare patrem & matrem, & de morte eorum dolere? cur ergò vetuit Deus summum Sacerdotem hunc honorem progenitoribus exhibere? nullam aliam rationem afferre possem, quàm honorem Dei, honori cujuslibet hominis præponendum; quia autem summus Sacerdos semper promptus esse deberet ad sacrificandum, ideoque numquam se mœstum exhibere debebat.

Contraria relativa simul esse non possunt.

7. Idem ratione Philosophicâ probari posset, evidens siquidem est, duo contraria simul esse non posse, sed unum aliud expellere, ut de facto videmus in calore & frigore, luce & tenebris. Pati igitur & operari, sunt contraria, & quidem correllativa, quæ tantam habent repugnantiam, ut in Deo, ubi omnia sunt simplicia, sola oppositio relativa contrarietatem ponat. Quomodo igitur erit possibile in uno homine hæc duo conjungi? quomodo actio & passio, & labor & dolor uniri poterunt? cùm Deus Adamo pœnam pro peccato infligeret, hæc duo divisit, homini siquidem laborem, & mulieri dolorem dedit; illi dixit: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. 19. Huic autem: *In dolore paries filios.* Gen. 3. 16. Vulgariter quoque dicitur, non posse nos simul cantare, & crucem, id est, tribulationem ferre, quia hoc non convenit illi.

Cur arbores firmæ maneant, & animalia moveantur.

8. Hæc, ut fateor, efficacia sunt argumenta, contrariam tamen opinionem teneo, tribulationem benè operari docere. Ut autem à Philosophia incipiamus, sciretísne mihi rationem assignare, cur arbores firmæ maneant, & animalia moveantur? Dicetis fortassis, quia hæc animâ sint prædita, illa non. Non tamen rectè indivinâstis; an quia sensibus prædita? nec ideò, sensus quippe non sunt causa motûs, quia certa

certa animalia imperfecta, ut conchilia, non moventur ex loco suo & tamen sensu sunt prædita. Quæ ergò vera ratio? necessitas, arbores siquidem nutrimentum ex terra habent, aquam de cœlo pro vitæ sustentatione; ideoque nullô aliô indigent, unde loco non moveri oportet. Animalibus verò terræ humor, nec ros, vel pluvia cœlestis sufficit ut se nutriant, sed alibi conquirere oportet; ideoque provida natura illis motum tribuit. Sed homo felix quid est? arbor firmiter fundata & radicata: *Vidi stultum firmâ radice*; dicebat S. Job. Et Propheta regius ait: *Vidi impium superexaltatum sicut cedros libani*; ideoque non moveri se curat: *Non movebor à generatione in generationem sine malo*. Tribulati quales sunt? sicut animalia famelica: *Dedisti nos tamquam oves escarum*; se coguntur movere ut cibum acquirant: *Pauper sum ego*, dicebat David; & quid sequebatur? *In laboribus à juventute mea*; oportet me laborare si necessitati providere velim. *Famem patientur ut canes*, de aliquibus dixit idem Propheta; ideoque subjunxit: *Circuibunt civitatem*; non poterunt igitur firmi manere, sed oportebit illos civitatem circuire ut cibum colligant.

Job 5. 3.
Psal. 36. 35.
Psal. 10. 6.
Psal. 43. 12.
Psal. 87. 16.
Psal. 58. 7.

Necessitas fervente reddit.

9. Inter animalia, quæ magis esuriunt velociora sunt; de aquila refert Plinius, illam firmam manere & sedere usque ad meridiem, illô verò tempore, quasi soluta vinculis, liberè volat, per aërem vociferando, & animalia debiliora prædando. Sed cur primò non se movet? quia primò non esuriebat. Nos quoque aquilarum instar à Deo vocati sumus ad volandum: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*. Sed quid sibi vult, quòd sæpiùs torpore hæreamus? quia non esurimus, & necessitatem nostram non cognoscimus; dum autem affligimur, tunc, necessitate cogente, velociter currimus: *In tribulatione sua manè consurgent ad me*; id est, quamprimùm & velociter, dicebat Deus per Oseam; hinc quoque aliqui ob velocitatem lupis vespertinis assimulati dicuntur: *Velociores lupis vespertinis*. Sed cur potiùs vespertinis quàm matutinis? quia, cùm vesperi cibum digesserint, magis esuriunt. In lapidibus simile quid apparet, si enim lapis longè à centro firmiter hæreat, quietus manet; si verò tollatur illud quô hæreat, subitò ad centrum præceps ruit. Pari modo nobiscum agitur, dum hîc in mundo degimus, extra centrum nostrum sumus, qui Deus est, dicente S. Paulo: *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino*.

Deut. 32. 11.
Oseæ 6. 1.
Habac. 1. 8.

Tribulatio ad Deum revocat.

2. Cor. 5. 6.

Sed quid sibi vult, quòd illic non tendamus? quia in rebus creatis delectationem & requiem reperimus; quidam in divitiis & cōmoditatibus, quidam in honore & dignitate, quidam in amicis. Quid igitur Deus nobiscum agit? tollit hanc requiem, divitiis spoliat, commoditate privat, filium & amicum adimit, infirmitatem & tribulationem immittit, ut subitò ad centrum recurras, & ad Deum tuum revertaris. Rectè igitur dicebat Propheta David: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Primò firmi & immobiles hærebant, postmodùm verò celeriter cucurrerunt. Sed quæ illos ratio coëgit? multiplicata infirmitas & tribulatio superveniens.

Psal. 15. 4.

Tribulatio stimulus ad benè operandum.

10. Nec solùm tribulatio nos commovet, verùm etiam quiescere non permittit. Equus calcaribus non adactus, statim quiescit, si herbam viridem videt, subitò se inclinat; si alium videat equum stantem, ad illum accedit; si tamen continuò calcaribus adigatur, nullum pratum adeò abundans aut florens, nullum objectum adeò gratum, quod illum retinere sufficiat. Nos in hac vita ad pallium currimus, dicente Apostolo: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite ut comprehendatis.* Sed equus carnis nostræ: *Equi eorum caro*; subitò atque voluptates terrenas conspexerit ad eas accurrit: *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra*; dicebant aliqui carnales. Quid igitur remedii? calcaribus instigandus. Sed quæ erunt calcaria? tribulatio, ita enim illam S. Paulus nominat, dicens: *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* Stimulum vocat, quem in asinis adigendis adoperari solemus; quod S. Paulo quoque Deus indicaverat, dicens: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Stimulus vocatur asini, dum enim cum Deo contendere velimus, nos vilia jumenta esse cognoscere facit; dum autem tribulatione continuò pungimur, nullum requiei tempus carni nostræ conceditur. Ita de seipso S. Paulus testabatur, dicens: *Nullam requiem habuit caro nostra.* Et quæ causa istius fuit? calcar tribulationis, ait enim: *Foris pugnæ, intùs timores.* Tribulatio ergò nos stimulat & promovet.

1. Corint. 9. 24.

Isai. 31. 3.

Sap. 2. 8.

2. Cor. 12. 7.

Actor. 9. 5.

2. Cor. 7. 5.

Ibidem.

Insignis inventio Xerxis.

11. Alium insignem modum reperit Rex Persiæ ut equam velocissimè currere efficeret; expectabat paulò post partū, equulum includens, matrem secum longè abducens, quam postea versus eandem partem instigabat, quò mirabili velocitate currebat, tam propter amorem, quàm propter calcaria.

Ex his

Ex his semper Rex Persiæ unam secum abducebat, ad bella procedens, si enim vincebatur, illâ tam celeriter currebat, ut nullus illum assequi posset. Tali modo Deus nobiscum agit, intimè filium tuum diligebas; quid Deus efficit? aufert illum, & secum ad cœlos attrahit; ad quem finem? ut tú dolore stimulante, & amore attrahente, ad cœlum pariter cor tuum dirigas, & adeò velociter illuc pergas, ut nullus inimicus te assequi possit. Divitias illas summo affectu prosequeris, Deus te istis spolians, veras & reales in paradiso acquirendas tibi offert; ut illis allectus, versus eas velocissimè curras. Hanc considerationem S. Cyprianus fidelibus exhibebat, ut patriam cœlestem aspirare discerent, dicens: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, filiorum, fratrum, &c.* Convenit igitur ut velocissimè illic tendamus.

Ita Deus nobiscum agit.

S. Cyprian. lib. de mortal.

12. Magna est diversitas inter operationem pauperis & divitis; si domina nobilis aliquid incipit, subitò illud derelinquere debet, nunc propter visitationem aliarum, nunc propter ancillarum impedimentum, nunc propter divagationem, vix umquam finire novit. Sed misera & inops, quę ait, si non laboro, non manduco, continuò laborare & fatigari non desinit, nec umquam quiescit. Pari modo divites, omnibusque commoditatibus referti, nullâ re indigere videntur, licèt enim bonum aliquod incipiant, numquam finiunt; pauperes verò & afflicti, quis ignorat quanto favore divino indigeant, numquam orare & piis exercitiis vacare desinunt, ab Ecclesia discedere, & jejunia derelinquere ignorant. Ecce David afflictus optimum exhibebit exemplum; dum enim à Saule persequutionem pateretur, numquam otiosus erat, semper pietati intendens: *In laboribus* (inquit) *à juventute mea*; in asperrimis quoque desertis Deum adorabat: *In terra deserta & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Rex autem factus, in prosperitate otiosus: *Deambulabat in solario domûs regiæ.* Jacob quoque à matre dilectus, domo patris exire nesciebat ut aliquid ageret, sed à fratre fugatus, & vagabundus errans, adeò diligens effectus, ut nocte dieq; non requiesceret.

Pauperes labori magis dediti.

Psal. 87. 16.

Psal. 62. 2.

2. Reg. 11. 2.

13. Meritò ergò homo araneæ assimulatus, teste Psalmistâ: *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Et alibi: *Anni nostri sicut araneæ meditabuntur.* Non solùm quia ut aranearum telæ nullius valoris sint opera nostra, verùm etiam quia mirabilem hanc proprietatem habet

Psal. 38. 12.

Psal. 89. 9.

Cur homo araneæ assimulatus.

Plin. lib. 11. aranea, teste Plinio; ut aëre sereno non laboret, sed aëre nubibus obducto valdè sollicitè operatur. Vel quia tenuitatis filorum conscia, non audet illa aëri sereno exponere, & ab humido aëre utpote magis quieto, faciliùs sustinentur; aut cœli serenitate & lucis splendore frui cupiens, quiescit. De facto verum est illam cœlo sereno non laborare, sed nubiloso tantùm. Optimè igitur homo illi assimulatur, qui tempore sereno prosperitatis otiosè degens, laborare renuit; tempore verò nubiloso, tribulatione premente, tunc labori & bonis operibus insudare gaudet, nullum tempus otiosè transigi permittens.

Contrapositio mirabiliter operatur. 14. In rebus artificialibus idem cernitur, si enim aliquid moveatur, totum vi per contrapositionem fit. Architas Tarentinus columbam ligneam effecerat, quæ virtute & industriâ rotarum mirabiliter elevabatur & volabat. In horologiis quoque tantæ rotæ & circuli moventur, cunctaque tanto ordine & motu humanis actionibus modum & regulam constituentibus, ut satis admirari nequeat. Unde hoc nasci creditis? certissimè ex contrapositionibus. Tribulatio quid est? non aliud quàm pondus; ideoque toties in Prophetis auditur: *Onus Babylonis; Onus Ninivæ*; id est, tribulatio quæ istis civitatibus supervenire debebat. Quid hæ contrapositiones & contraponderationes efficiunt? intellectum & voluntatem ferventiùs & velociùs commovent, cunctam virtutem excitant, & orationis fervorem accendunt. S. Rex David præclarè id nos docebat, dicens: *Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* Non otiosè degere poteram, quia molestiæ tribulationis animam meam secum attrahebant: *Cùm mihi molesti essent.* Hæ ut columbæ nos elevant, dicente Psalmistâ: *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Inter medios*, idem est, ac inter pondera tribulationis vos instar columbæ elevabitis; & solis radiis vos exponentes, pennas alarum ut argentum resplendentes, & dorsi instar auri fulgentes habebitis.

Isai. 13. 1. Nahum 1. 1.

Tribulatio contrapositio.

Psal. 34. 13.

Psal. 67. 14.

Arborum & vitium incisio ipsis utilissima. 15. Nolo tamen hunc dimittere Discursum, quin arborum similitudinem adjungam, cùm dixerim eas iniquorum divitum in rebus terrenis firmiter inhærentium, symbolum esse. Arbores igitur licèt non moveantur, nec fame aut siti vexentur, exemplum tamen fœcunditatis & tribulationis nobis

nobis præstant. Nónne siquidem vites tondentur & putantur; ad quem finem, nisi ut abundantiorem proferant fructum? *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Sed si arbores sensu præditæ essent, lamentarentur, & plangerent, ac sanguinem emitterent dum præscinduntur; in summa deniq; afflictione se esse sentirent. Tribulatio igitur in ipsis quoque majoris fructûs occasio est. In seminibus id clariùs apparet; quid enim grano frumenti pejus evenire posset, si sensu præditum esset, quàm sub terra sepeliri & corrumpi? sed hoc illud fœcundat & multiplicat, ut enim Salvator ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ut nos igitur fructum plurimum afferamus, oportet nos mortificari & conculcari, & ut ita dicam, in terra sepeliri. Ut agros fœcundent, aliquibus in locis aristas segetum remanentes accendunt. Juxta illud Poëtę dictum:

Joan. 15. 2.

Joan. 12. 15.

Tribulatio nobis utilissima.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros.

Quid mirum ergò, si idem in nobis tribulationis ignis operetur? ad hoc fortè David respexit, dum de inimicis suis dicebat: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Quasi diceret, credebant se mihi damnum inferre, & attulerunt mel consolationis, & fœcunditatem operum bonorum ut ignis efficit campis, quorum spinas comburit. Terra quoque perfoditur, & crudeliter aratro proscinditur, & si sensu abundaret, doleret viscera sua adeò crudeliter penetrari. Hoc tamen modo aptè disponitur & accommodatur, ut semen recipiens, fructum multiplicem referat. Pari modo ut de terra animæ nostræ semen verbi divini receptum, fructum proferat, tribulationis vomere corda nostra à Deo proscinduntur, & persequutionis ligonibus accommodantur. Hoc malum David inimicis suis adoptabat, ut comminuti & confracti, divini verbi semen recipere possent: *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum;* *Absorbeantur* videlicet, & *allidantur.* Quando in petris & saxis conquassati & confracti fuerint, tunc verba mea, quæ in nomine Dei illis loquor, audire poterunt. In creatione mundi legimus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vel ut alii legunt: *Fovebat aquas;* fœcunditatem tribuens; quod mysticè de tribulationis aquis intelligi potest, quæ à Spiritu divino fœcundantur.

Psalm. 117. 12.

Psal. 140. 6.

Gen. 1. 2.

16. Meliùs tamen dicamus nullum fœcunditatis arborum signum

Flores fructuum indices.

signum evidentius, quàm flores apparere. Si amygdalum copiosè florentem conspiciatis, colligitis plurimos fructus producturam, si præmaturè non decidant; si tamen non floreat, nulli fructus expectandi. Homo instar arboris est, & sæpiùs intellexistis, fructus ejus bona opera esse. Sed qui sunt flores? tribulationes; ita præclarè testatur S. Gregorius Nyssenus, dicens: *Fructuum qui sperantur flos, afflictio est.* Flos reverâ amygdali non tantùm propriorum fructuum, verùm etiam copiosæ messis præsagium. Tali modo Jeremiæ tribulatio sub specie virgæ amygdalinæ exhibita fuit; ubi siquidem nos legimus: *Virgam vigilantem ego video*, alii ex Hebræo vertunt: *Virgam ex amygdalo celeriter florentem.* Amygdalus siquidem ab Hebræis arbor vigilans vocatur, quia prima omnium floret. Ut ergò tribulationem populo ejus imminentem prædicet, virgam amygdalinam videt; tribulatio siquidem nil aliud est quàm flos, & præsagium copiosorum fructuum. Sponsa in Canticis id optimè intelligens, dicebat: *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Sed quæ conjunctio florum & temporis putandi? Citiùs vites putantur quàm flores appareant, alioquin plurimùm ipsis nocerent. An indicare volebat, se de aliis floribus loqui; sicut enim vitium putatio tribulationis symbolum est, pari modo flores essent; quasi animam consolando, quòd si dolorem & tribulationem sentiat, in quantum ut vitis scinditur & perforatur; sed in quantum flos est, presagium est fructuum. Alii traducunt: *Tempus cantandi*; id est, tempus gaudii advenit, in tribulatione siquidem gaudendum. Alii: *Tempus vindemiæ*; tribulatio siquidem vindemiam fructuosam exhibet.

S. Gregor. Nyssen. supr. cap. 1. Matth.

Jerem. 1. 11.

Tribulatio flos bonorum operum.

Cant. 2. 12.

17. Sed quomodo hę diversę traductiones cõvenire possunt? quomodo etiam idem tempus vindemię & putationi inservire potest, cùm hæc in principio, illa verò in fine anni fiat? in hoc, inquam, tribulationis virtus mirabiliter resplendet, quæ brevissimo temporis spatio operatur, quod natura in multis mensibus operari nequit. Quando duodecim Principes tribuum Israël contra Moysen & Aaronem rebellantes, dignitatem sacerdotalem etiam obtinere vellent, præcepit Deus ut singuli virgam accipientes, in ea nomen suum inscriberet, & tabernaculo imponeret, tuncque demonstraret quis summus Sacerdos electus fuisset. Moyses igitur divinum mandatum exequens, virgam Aaronis

Tribulatio citò fœcunda.

Aaronis sequenti die non solùm foliis, sed floribus & fructibus ornatam reperit; *Invenit* (inquit sacer textus) *germinâsse virgam Aaron, in domo Levi, & turgentibus gemmis, eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformatæ sunt.* Non sufficiebat Deo virgam illam germinâsse, & frondes virides protulisse, sed voluit insuper fructibus abundare. Quis verò nescit virgam tribulationis signum? *Arguam eum in virga virorum*, dixit Deus, ut mirabilis ergò tribulationis fœcunditas cognosceretur, voluit Deus ut unâ nocte frondes, flores, & fructus illa virga produceret.

Num. 17. 8.

2. Reg. 7. 14.

Cur virga Aaronis, & non aliæ floruerint.

18. Quæret tamen aliquis, cur idem in aliis virgis non apparuit? nónne tribulatio & fœcunditas ejus, tam in aliis virgis quàm in Aaronis virga figurari poterat? Quinimò si de fœcunditate hujus tribulationis fructus colligitur; cur ex aliarum sterilitate non licebit colligere tribulationem inutilem & infructuosam esse? Respondeo, in hoc voluisse Deum demonstrare diversitatem Prælatorum & subditorum, illis licitum, imò necessarium, virgâ castigationis uti, sed fœcundâ, quæ fructum afferat; his autem illicitum. Ne autem quisquam diceret, tribulatio fructum efficit, ergò proximum meum affligere volo, noluit Deus aliorum virgas fructiferas apparere, nisi illa summi Sacerdotis; ut inferiores nullum fructum hujus virgæ prætendant. Si quoque illa producet, non illud efficiet, propter illos, sed propter bonitatem divinam; unde ab illa abstinere debent.

Percussio virgæ fœcunditatis signum.

19. Gentiles Romani idem cognoscere demonstrabant, quàm fœcunda, nimirum tribulatio foret. In lusibus siquidem quibusdam, juvenes per civitatem cum virgis in manibus currentes, omnes mulieres tunc in ostio domûs manus extendentes, illis percutiebant; quo signo fœcunditatem præaugurabant. Vana absque dubio hæc superstitio fuit; forsitan tamen ab illo vero principio derivata, quòd virgæ & tribulationes in sacra Scriptura fœcunditatem tribuant. Præclarum hujus rei exstat exemplum in populo Hebræo, qui numquam adeò multiplicatus fuit, quàm sub Pharaone, illos flagellante & persequente; ita ut Rabbini affirment, mulieres ad minus gemellos peperisse.

Tribulatio partum insigniorem reddit.

20. Non solùm insuper tribulatio fœcundos reddit, verùm etiam pulchriores parere efficit. Quandoque accidit ut deformis mater pulchrum parturiat filium, ex eo nempe, quòd imaginem insignis filii

sibi

sibi impresserit. S. Augustinus narrat, mulierem nigram album peperisse filium, quia continuò imaginem albi pueri ob oculos habuerat. Quis nescit animam peccatricem deformem & nigram esse! Jeremias Propheta id optimè testabatur,
Thren. 4. 8. dicens: *Denigrata est super carbones facies tua.* Sed quid sibi vult, quandoque insignes procreare filios, & opera heroica præstare, ut in S. Maria Magdalena, S. Paulo, & Zachæo videmus? quia pulcherrimam faciem divinam intuentes, illi partus suos assimulare nôrunt. Sed quis illam iis exhibet? tribulatio, in prosperitate terrena solùm & mundana aspicimus; in tribulatione ad Deum recurrimus. Propheta Isaias id nobis egregiè exhi-
Isai. 26. 16. bebit: *In angustia requisiêrunt*
Ibid. 17. *te*; quid inde sequutum? *A facie tua concepimus*; faciem tuam aspicientes, subitò concepimus. Quis autem partus edi-
Ibidem. tus? pulcherrimus: *Et parturivimus spiritum salutis.* Non filium damnationis & mortis, nobis similem, genuimus; non carnalem aut irrationalem; sed filium insignem, spiritu plenum, & spiritu salutis propter tribulationem ritè toleratam.

Tribulatio sterilis signum reprobationis.

21. Tanta denique est conjunctio tribulationis cum fructibus, ut ille derelictus dici possit, qui in tribulatione fructum non affert. Ita per Jeremiam dicebat Deus: *Quid vultis* Jerem. 2. 19.
mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me dicit Dominus, frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Quid vultis conqueri ait Dominus, omne malum à vobis est, potentissima vobis adhibui remedia, tribulatione percussi filios vestros, & noluerunt addiscere benè agere. Clarius quoque alibi ait: *Defecit sufflatorium, in igne* Jerem. 6. 29.
consumptum est plumbum, frustrà conflavit conflator, malitiæ eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. Nullum, inquit Deus, populo remedium superest, in vanum quæsivi tribulationis igne eos purgare, & argentum mundum reddere, sed non potui; dicite ergò quia reprobati sunt, & abjecti in infernum, nec ampliùs resurgent. Populus meus immisit vobis Dominus multas calamitates & tribulationes, antiqua tamen peccata & scelera in vobis remanent, nec ullum vobis profuit remedium; ideoque cavete, ne Deus vobis dicat: *Argentum reprobum vocate* Jerem. 6. 30.
eos; & incorrigibiles & desperatos vos relinquat. Incipite igitur ex tribulatione vestra fructum aliquem haurire, & miserias pauperum largâ eleemosynâ sublevare.

PARS

PARS SECUNDA.

Sapientia & operatio conjungenda. 22. Sapientia & operatio, nec ſemper conjuncta, nec ſemper disjuncta ſunt; quod inſigniter monſtrârunt Athenienſes, dum Paulus Æmilius Romanorum conſul ab iis petierat, ut excellentem Philoſophum, & rarum Pictorem ei mittere vellent. Non enim, ut ipſe ſperabat, duos homines, ſed unum ſolum mittebant, qui Philoſophiæ pingendi artem conjunxerat, & operi manuum inſignem intellectûs cognitionem aſſociaverat. Tales quoque vult Rex cœlorum ſervos ſuos eſſe: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Tales ut antè dicebam, tribulationis ſchola nos reddit. Ut autem doctrinam allatam meliùs confirmem, argumentis contrariis reſpondendo clarior patebit.

Argumentis contrariis reſpondetur. 23. Quid igitur dicebatur, non poſſe nos per rupes & petras currere? reſpondeo, id verum eſſe, dum incompoſitæ jacent, & non viam, ſed cumulum efficiunt; dum verò ſuo ordine in terra poſitæ viam ſternunt, optimè curſum noſtrum dirigere poſſumus; quinimò nos celeriùs currere juvant. Hinc Romani vias ſuas & itinera, quibus Romam perveniebatur, magnis lapidibus ſterni curabant, ut facilis & commodus daretur acceſſus; quod hodie in via Appia, & Oſtienſi clarè cernitur. Pari modo Deus animæ derelictæ & afflictæ per Iſaiam promittebat, dicens: *Paupercula tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione, ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos.* Iſai. 54. 11. Quaſi diceret, duri iſti lapides, qui modò tribulationis tibi occaſionem præbent, tali ordine à me diſponentur, ut pro commoditate & ornamento tibi ſint futuri. Qui vias proſperitatis & deliciarum ingrediũtur, nullos quidem ſentiunt lapides, ſed voluptatum luto, & divitiarum ſpinis impediti, non ſolùm difficillimè progrediuntur, verùm etiam ſe totos commaculant, & terrenarum ſordibus inquinant.

Tribulationis ſpinæ ſepes ſunt. 24. Quid dicebatur, tribulationes ſpinas eſſe, quibus viæ undique implicantur? Verum eſt, ſpinæ ſunt, non in medio, ſed à lateribus viarum, inſtar ſepium poſitæ, ne aberremus à via; ideoque Deus per Prophetam ſuum dixit: *Sepiam viam tuam ſpinis.* Oſeæ 2. 6. Si mihi quis objiciat, per hoc intelligi vias ſpinis undique transfixas eſſe, reſpondere poſſem, ibi dici *viam tuam*, quam tu, nimirum pro ſenſualitate & voluptate, ingrederis; non quam ego tibi

constituo ut in cœlum ad me conscendas; ideoque non via tribulationis, sed voluptatis hæc est. Quid dicebatur tribulationes vincula & compedes esse; verum est, si malè agas, non autem si benè utaris. Quinimò tribulatio omnia vincula dissolvit, ut tribus juvenibus in fornace Babylonica accidit, qui in igne liberè ambulabant. Tribulatio quoque multa tollit impedimenta quæ nos à Dei servitio retrahere possent, ut sunt, respectus humanus, obligatio his illisque assistendi. Rectè igitur funes vocari possunt quibus Deus nos sibi attrahit, juxta dictum Oseæ: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Tribulatio vincula dissolvit.

Oseæ 11.4.

25. Quid dicebatur, hominem à tribulatione podagricum effectum, nec incedere posse? possem admittere quando hoc iter pedibus esset perficiendum; non ita tamen est, quia manibus & corde agendum. Cùm Propheta David interrogasset: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* In responsione nullam mentionem pedum efficit, sed manuum, & cordis tantùm, dicens: *Innocens manibus, & mundo corde.* Quid dicebatur Dæmonem non adeò fore stolidum, ut nos ad bonum instigaret? non mirum foret, si adeò insipientem diceremus; talem quippe se in principio exhibuit à Deo recedens. Ubi enim nos legimus: *In angelis suis reperit pravitatem*; alii legunt: *Reperit insaniam.* S. Petrus Chrysologus inquit, in tentatione Dei omninò stolidum fuisse, quia lapides illi obtulit, dum gulâ illum vexare cuperet, unde ait: *Tentare cupis, & nescis.* Quando insuper Deus amicis Job dixit, ut illi sacrificia offerrent, & rogarent Job, ut precaretur pro illis, subjunxit: *Ut non imputetur vobis stultitia.* Aliqui hoc exponunt, de stultitia Diaboli, qui Job ad Deum offendendum inducere volens, tribulatione usus est. Partim igitur stultitia, partim odium dici potest; tantô siquidem nos odiô persequitur, ut quovis modô nocere procuret, & si animæ non possit, ad minus corpori, aut bonis externis damna infert. Per hoc odium mortem parvulorum sæpè procurat; licèt prævideat illos rectè cœlum ascensuros, ad minus siquidem rabiem suam contra corpora illorum exercet, & felicitate hujus vitæ privans, parentes contristat & tribulat. Sed nónne tribulatio tentatio dicitur? verum est, sed non in quantum hoc nomen incitationem ad malum significat, sed in quãtum probationem & exercitationem, sicut de Abraham dicitur: *Tentavit Deus Abraham.*

Psal. 23. 3.

Ibidem.

Dæmon in tentatione stolidus.

Job 42. 8.

Ingens Diaboli odium.

Gen. 22. 1.

26. Quid

Actio & passio quomodo simul. 26. Quid dicebatur actionem & passionem relativè opponi, nec simul esse posse? verum est, respectu ejusdem objecti; sed non respectu diversorum, sic in tuo patre possunt simul esse paternitas & filiatio; illa respectu tui, hæc respectu avi tui. Clavus etiam respectu mallei percutitur, & percutit lignum; prout etiam fortiores recipit ictus, tales ligno infligit. Pari modo tribulatis accidit, quantò magis hîc in terra affliguntur, tantò majori violentiâ cœlum penetrant. Dico insuper quòd licèt operibus externis se afflictus exercere non posset, tribulatio tamen non minus illi prodesset; imò magis quàm si operaretur. S. Ambrosius hoc egregiè notat in illis verbis Exodi: *Omne quod aperit vulvam asinæ mutabis ove.* Noli videlicet Deo asinum offerre, sed loco ejus ovem. Rationem hujus reddens, ait; asinum labori destinatum, & symbolum laboris esse, & Deum hunc ove mutari velle; ut nimirum simplicem Deo offeramus affectum. Ego autem à doctrina hujus sancti Doctoris non recedens, dicam ovem patientiæ symbolum esse; ideoque à patientissimo Domino dictum: *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* Hæc autem cum asino laboris symbolo toties mutatur, quoties nos divino servitio intendere non valentes; tribulationes & dolores nostros illi offerimus, quæ gratior oblatio quàm ipsemet labor fuisset.

S. Ambros. libr. 2. de Cain.
Exod. 13. 13.
Cur pro asino ovis offertur.
Isai. 53. 7.

27. Quid dicebatur afflictum Deo sacrificare non posse? Quinimò illi gratius quàm omnes reliqui sacrificium offert. S. Augustinus supra hunc locum Micheæ egregiè id notat: *Quid dignum offeram Deo?* sic dicens: *Quærebas quid offeras pro te? offer te; quid enim Deus quærit à te, nisi te?* Quid dicebatur, tribulationem tenebras & noctem esse, in qua operari non licet? verum est, in his qui acuto visu non sunt præditi, ut sciant se in tenebris adjuvare. Sed optimum tempus est cum Deo agendi, dicente Davide: *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Cùm enim Moysen de gravissimis negotiis alloqui vellet, induxit illum in caliginem. Quid objiciebatur, Davidem dixisse: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum?* Benè quidem, sed de qua lætitia creditis Davidem fuisse loquutum? de mundana? nequaquam, hæc siquidem timorem Dei aufert; sed de lætitia Spiritûs, ideoque ait: *Lætetur cor meum*; & non: *Caro mea.* Hæc autem lætitia in tribulatione reperitur, sicut carnis lætitia in prosperitate; ideoque alii legunt: *Vni cor meum*; id est, collige, ne in tot

Quid Deo gratissimum cum lætitia offerendum.
S. August. serm. 136. de tempore.
Micheæ 6, 6.
Psalm. 138, 12.
Psal. 85. 11.

objecta distrahatur à mundo, sed voluntas intellectui concordet. Ad hanc acquirendam tribulatio potissimùm juvat, quæ instar frigoris cor constringit & unit, ut seipsum, & non externa consideret; prosperitas autem cor dilatans, extra se ad objecta mundana diffundit.

An opera violenta Deo grata.

28. Quid dicebatur, opera bona afflictorum violenta esse, nec Deo grata? sed affirmare audeo, etiam illa Deo gratissima, dum violentiæ illi voluntas nostra se accommodat. Salvator noster egregiè nos id docet, dum S. Petro dicebat: *Cùm senueris alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* His verbis, teste Evangelistâ, mors ipsius significabatur: *Significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* Sed idcircò S. Petrus moriendo non merebatur, quia in cruce mori coactus? Quinimò summoperè merebatur, & mors ejus Deo gratissima exstitit; illâ siquidem, teste Evangelistâ, Deum glorificabat. Pari modo licèt afflictus contra voluntatem suam patiatur, & quasi tribulatione coactus, bona peragat, bono tamen animo perficiat, non enim ideo patientia ejus & opus bonum Deo ingratum erit, sed gratissimum existet.

Joann. 21. 18.

Ibidem.

Perseverantia fructum affert.

29. Dico insuper, quòd licèt malo animo incipiamus, cùm tamen progredimur, modum benè operandi assequimur, & tandem benè agere addiscimus. Afflictus in principio illibenter ad Ecclesiam vadit, orationi insistit, & bona opera exequitur; si enim non cogeret illum necessitas, non ita procederet, nec ad Deum recurreret. Nihilominus bonum modum & habitum tandem acquirens, libenter prosequitur, & extra tribulationem more solito jam procedit. Nec vobis hæc doctrina videatur extranea, ante me siquidem illam Isaias docuit, dicens: *Coronans coronabit te tribulatione.* Paulatim circumdabit te, & iterando præmiabit: *Mittet te in terram latam & spatiosam, ibiq; morieris.* Tandem dilatabit te; & non habebis ullam requiem donec exequaris omnia usque ad mortem. Ad hoc respexisse videtur Propheta David, dicens: *Pones eos ut rotam ante faciem venti.* Sicut rota continuò vento vertitur, sic tribulatio cunctos adigit, & continuò operari cogit.

Isai. 22. 18.

Ibidem.

Psal. 82. 14.

Tribulatio non permittit otium.

30. Numquam advertistis quomodo pueri quandoque trocho ludunt, primò illum fune benè circumligant, postmodùm verò in terram planam projiciunt, ibique girat tamdiu donec impetus impressus durat; quod si deficiat, percutiunt ut meliùs perficiat. Pari modo Deus

Deus cum afflicto agit, fune tribulationis illum stringit & in terram projicit, dum illum se defendere non permittit; ad quem finem? ut giros tuos formando ad illum revertaris; quòd si orationi non insistas, si pia exercitia non perficias, si Ecclesias & Sacramenta frequentare negligas, si perversæ societati te adjungas, tribulationis virgam arripiens, te sollicitum reddit, infirmitatem immittit, persequutionem contra te excitat, omni humano auxilio & consolatione te privat. Ad quem finem? ut te sollicitum & ferventem in servitio ejus efficiat, & ad se reverti cogat. Sapiens id præclarè nos
Eccli. 30.1. docet, dicens: *Qui diligit filium aßiduat illi flagella*; non illum in pace relinquit. Ad quem
Ibidem. finem? *Vt lætetur in novißimo suo*. Tali modo igitur Deus nobiscum agit, unde si flagellari nolimus, procurandum nobis est, ne in via Dei hæreamus; præcipuè autem dum affligimur, ne orationes aut pia exercitia omittamus, sed majori fervore & diligentiâ attendamus. Ita Tobias senior agere solebat, de quo dicitur: *In captivitate positus viam veritatis non deseruit*; quinimò tunc ferventiùs se in charitatis operibus exercebat, non imitando timidos & stolidos peregrinos, qui dum in itinere difficiles reperiunt transitus, redeunt. Hoc modo numquam iter facere possemus; vix siquidem fieri potest, quin sæpè difficultatem aliquam, aut impedimentum itineris sentiamus. Bono igitur animo esse convenit, quia viâ malâ finitâ, bonam reperiemus, unde prompto animo utramque arripere debemus.

Stoliditas non perseverantium.

Tobiæ 1.2.

31. Quinimò in tempore adversitatis & tribulationis potiùs quàm aliàs bonis operibus incumbendum, cùm illud orationi convenientius existat. Diligens agricola post pluviam libenter seminat, tunc siquidem terra seminibus recipiendis aptior. Rectè hoc intelligebat Isaias Propheta, unde dicebat: *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis & asini*. Post pluviam videlicet, tanta siquidem erit abundantia, ut bovem & asinum immittere poteritis. Aqua terram cordis nostri irrigans, & ad semen divini verbi recipiendum disponens, est tribulatio; hac aquâ super nos cadente, non est tempus perdendum, sed subitò bonis operibus ferventiùs insistendum; tunc siquidem abundantissimum colligentes fructum, divites evademus. De Patriarcha Jacob dicitur, quòd *Deus honestavit illum in laboribus*. Vel ut alii vertunt ad eundē sensum: *Locupletavit eum in ærumnis*.

Tempus tribulationis fertilißimum.

Isai. 32.20.

Sap. 10.10.

Pari modo nobis evenit, qui tribulatione divites effici possemus.

Tempore tribulationis major fructus exigendus. 32. Nec lucrum solùm ad hoc nos movet, verùm etiam necessitas, hoc tempore siquidem magis indigemus; cùm Deus hoc potiùs tempore quàm alio fructum à nobis exigat. In S. Marco legimus, Salvatorem semel fructum ex arbore quadam quæsiisse, sed non reperiens, maledixit, illi dicens: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*; & subitò exaruit. (Matt. 21. 19.) Sed quo tempore id accidisse creditis? in autumno fortè, dum aliæ arbores fructibus scatebant? nequaquam, sed in hieme, dum fructus esse non solebant; unde Evangelista hanc arborem quasi excusando, dicebat: *Non enim erat tempus ficorum.* (Marc. 11. 13.) *Cur ficus maledicta.* Cur igitur Salvator fructus extra tempora quæsivit; & cur arbori maledixit, cùm culpa illius non esset? Respondere possem, cum Domino temporis nullum tempus excipiendum; si enim voci divinæ totus mundus obedivit, & produxit cuncta quæ voluit, cur arbor illa ad vocem Domini non subitò produxit fructus suos? Meliùs tamen dicamus, arborem illam figuram hominis gessisse, & Salvatorem non desiderio ficuum, sed pro doctrina nostra ex ea fructum quæsivisse; ut nimirum tribulationis tempore, quod tempus hiemale videtur, potiùs quàm alio tempore bonorum operum fructibus abundare debeamus; hoc siquidem tempus nobis opportunum, & noster autumnus.

33. De justo inquit Psalmista: *Dabit fructum in tempore suo.* (Psalm. 1. 3.) Sed quod erit suum tempus? tempus tribulationis: *In diebus meis invocabo*, dicebat David; quinam sunt dies tui? dies tribulationis, sequitur enim: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me.* (Psalm. 114. 3.) Hoc pariter tempus opportunum, de quo idem Propheta ait: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*; (Psal. 31. 6.) in tribulatione nempe, ut alibi dixit: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione.* (Psal. 9. 10.) In hoc tempore Deus particulariter fructus à nobis expectat; si enim in afflictione tua non recurras ad Dominum, nec orationi insistas, aut bona opera peragas, quando te id acturum sperare poterimus? *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, (Matt. 21. 19.) dixit Deus arbori illi, vide ne tibi idem dicatur; cumque nec per tribulationem ad fructum bonum producendum cogi possis; de salute tua desperans, te derelinquat. *Tempus tribulationis opportunum.* Tempore autumni aut æstatis peracto, nulli amplius sperantur fructus; pari modo

modo afflictionis tempore transacto non sperandum, fructus aliquos prodituros, non ampliùs requirentur; sed ut lignum aridum & inutile perpetuis inferni flammis destinaberis. Nec solùm respectu Dei, verùm etiam respectu inimicorum, operibus bonis abundare debes; illi siquidem, tribulatione urgente, te maximè oppugnant, & victoriam referre sperant, cùm te derelictum putant, unde si inermis reperiaris, devinceris.

Tempus tribulationis tempus prælii.

34. Nónne insipiens miles diceretur qui tempore prælii arma abjiceret? cur illa effecta sunt, nisi ut tunc inserviant? tempus prælii tempus tribulationis est, teste Prophetâ Job: *Militia est vita hominis super terram.* Plena laboribus & tribulationibus est vita nostra. Quæ autem sunt arma nostra? orationes, jejunia, & disciplinæ; illáne in tribulatione relinques? nónne vides te tempore prælii arma projicere? non ita agebat veteranus miles præliis assuetus Propheta David, sed subitò illa assumebat, dicens: *Ego autem cùm mihi molesti essent induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* His armis, inquit, inimicum superavi, & contra eum prævalui, nobisque pro primo documento hujus Discursus inservire debet.

Job 7. 1.

Psal. 34. 13.

Tribulatio hilariter toleranda.

35. Secundum documentum esse poterit, ut tribulationem nostram hilariter transigamus; nónne siquidem lætatur artifex, dum opus ipsi peragendum tribuitur? omninò, sed labor illi insuper accrescit, lucro tamen exinde sperato dulcessit. Hîc ut tot mercatores in vita sumus: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori.* Lucra nostra in patientia consistunt, quia *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; ideoque lætandum dum talis nobis tribuitur occasio. Nónne messor in copiosa messe lætatur? omninò, David hoc præclarè testatur, dicens: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem, venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Seminando illibenter & dolenter procedebant propter laborem, sed fructum conspiciendo gaudebant. Salvator idem quoque Discipulis dixit: *Ego misi vos metere quod non laborâstis, alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Seminare igitur laboriosum & molestum est; metere autem cum lætitia & gaudio agitur. Si tamen rectè consideremus, omninò contrarium reperiemus; seminando quippe agricola sereno aliquo die, deambulando absque labore grana projicit; messis autem ferventi caloris æstu, sudore, &

Matth. 13. 45.

2. Cor. 4. 17.

Psal. 125. 6.

Semen dolenter projicitur, sed fructus gaudenter colligitur.

Joann. 4. 38.

re, & labore plurimo peragitur, ita ut nisi quis sit robustæ naturæ, facillimè infirmitatem contrahit. Quid ergò sibi vult, messem vocari gaudium & lætitiam, & seminationem laborem? non aliâ ratione id esse videtur, quàm quia messis est lucrum præsens, & labor abundanti fructu dulcessit; in seminatione autem labor & perditio seminis præsens est, lucrum autem & fructus incertus.

Tempus tribulationis utilissimum.

36. Si tribulatio igitur tanto lucro & fructu associatur, cur non videbitur levis & suavis? Quinimò cur illam non amplectemur & inquiremus cum Psalmistâ, dicente: *Tribulationem & dolorem inveni*; cùm tempus absque illa transactum, inutile & perditum videatur? Dum mare navigamus, sereno tempore vix progredimur, unde cuncti piscatione, lectione, lusibus, aliisque modis tempus transigere procurant; si tamen interrogentur quid agant, dolenter respondebunt, se tempus perdere. Sed quomodo hoc cum variis occupationibus distendantur? verum quidem est, sed dum ad portum non properant, tempus perdere æstimant. Pari modo nos omnes hujus sæculi mare navigantes, ad portum æternæ vitæ tendimus; sed quis ventus eò conducere vos creditis? tribulationis, teste S. Paulo: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; ideoque dicitur: *Compelle intrare*. Maris tranquillitas, est vitæ prosperitas, dum ventus adversitatis non molestat. Rectè igitur dicere possumus, absque tribulatione degentes, tempus perdere. Lusus, mercatura, voluptas, cunctaque alia, temporis perditio, dum ad portum æternæ salutis non conducunt.

Psal. 114.3.

Act. 14.21.

Luc. 14.23.

Sine tribulatione inutile tempus.

37. De quodam Similio dicto, scribitur, quòd sepulturæ suæ hoc epitaphium inscribi jubebat: *Hîc jacet Similius, cujus ætas longa fuit, sed septem tantùm annis vixit*; quia septem illis annis sibi vixerat, in villa quadam solus secedens, alios verò annos in aula reliquorum more transegerat. Pari modo nos dicere possumus, illos tantùm vitę annos habere, quos in afflictione & tribulatione transegimus. De paralytico Evangelico dicitur, quòd *Habebat 38. annos in infirmitate sua.* Et de alia muliere, sanguinis fluxum patiente: *Sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim*; quia in cœlestibus annalibus istorum annorum tantùm habetur ratio, in quibus tribulationes pertulimus. Hi sunt dies quos David suos vocabat, dicens: *Inclinavit Dominus aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo*; quando nimirum afflictus ero. Hoc tempus pariter Christus suum

Joann. 5.5.

Matt. 9.20.

Tempus tribulationis nostrum est.

Psal. 114.2.

Joan. 7.6. suum esse dicebat: *Tempus meum nondum advenit*; & de illo Evan-
Joan. 13.1. gelista loquitur, dicens: *Sciens Iesus quia venit hora ejus.* Quando tandem vidit cunctas afflictiones suas à Prophetis prædictas, finitas esse, noluit ulteriùs vitam producere, sicq; postquam
Joann. 19. 30. dixerat: *Consummatum est, inclinato capite tradidit spiritum.* Ad imitationem quoque Salvatoris & sponsi sui S. Virgo & Mater Theresa, aliud non clamabat, quàm *Aut pati, aut mori.* Quæ igitur erit nostra confusio, si adeò tribulationem effugiamus? nónne advertitis vos portum æternæ salutis effugere? adeste animo alacriter, & libenter hunc tribulationis ventum admittite, vela affectuum vestrorum versùs eum expandite, ut feliciter navigationis vestræ terminum consequentes, æternæ salutis portum & cœlestem gloriam obtinere possitis, quam vobis concedat qui ad hanc vos vocavit. Amen.



DISCVRSVS L.

Tribulatio nos fortes efficit, ideoq; non deficiendum, sed alacriter confligendum, quia victoriam certissimè referemus.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Homo vitro fragilior. numer. 1. 2. 3.
Tribulatio debilitat, non fortificat. num. 4. 5. 6.
Tribulatio quâvis re mundi fortior. à num. 7. *usque ad* 11.
Patientia nos victores & beatos reddit. à num. 12. *usque ad* 16.
Tribulatio patientiam & fortitudinem cuncta superandi præstat. à num. 17. *usque ad* 21.
Tribulatio mala leviora reddit, & Deo conjungit. num. 22. 23. 24. 25.
Argumentis contrariis respondetur. à num. 26. *usque ad* 31.
Scuto patientiæ cuncta vincendæ. num. 33. 34.
De tribulatione Deo gratiæ agendæ. num. 35. 36.
Quomodo Auctor valedicat & totum opus utiliter distribuat? à num. 37. *usque ad finem.*

1. SApientissimus Salomon mulierem fortem invenire cupiens, quasi de re impossibili, aut ad minus difficillimè acquirenda loquens, dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* (Prov. 31. 10.) Si idem quoque de viro dixisset, credo illum à vero nequaquam aberrâsse. Virum fortem quàm difficilè quis reperiet? Quis ignorat quàm fragile & debile sit vitrum? (*Quàm fragile vitrum.*) si cadit, frangitur; si aliô vitrô concutitur, fragorem excitat; si igni imponitur, dissolvitur; si vento exponitur, subitò dejicitur, & confringitur; si aliquo pondere supponatur, resistere non potest, sed in plurimas dividitur partes. Si denique summâ dexteritate, & industriâ non attingatur, facillimè disrumpitur. Meritò igitur de illo S. Augustinus dixit: *Quid fragilius vase vitreo?* (S. August. serm. 1.) Vas vitreum hominem dicere possumus, quia pulvis & cinis (*Homo fragile vitrum.*) est ma-

est materia vitri & hominis: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Unico flatu formatur vitrum, eodem modo homo formatus est: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Instar vitri ergò omninò erit fragilis & debilis. Sed parum dixi, quia multò fragilior homo est; vas siquidem vitreum bene conservatum & custodiâ clausum, diutiùs conservari potest; non moritur prę senectute, aut debilitatur; homo verò licèt à nullo contrario oppugnetur, aut frangatur, ex seipso destruitur, & in cineres redigitur. S. Augustinus id præclarè testatur, dicens: *Etsi enim casus vitreo vasi timetur, senectus ei, & febris non timetur. Nos ergò fragiliores sumus, qui & casus omnes timemus, & morbo quolibet subitò occupamur, & postremò quantumvis homini parcatur, novissimè senectus cùm venerit, non est quò differatur.*

Genes. 2. 7.

S. August. serm. 1.

Homo universa vanitas.

2. Si denique fragile quid in mundo est, in homine totum recluditur; rectè igitur dixit David: *Vniversa vanitas omnis homo vivens.* Res levis, inanis, & vacua, quis nescit quàm vana sit & fragilis? nihil tamen homine inanius, ergò nil fragilius. Res vana est flos à sole exsiccatus, à vento ejectus, pedibus conculcatus, ab aqua marcidus. Instar floris homo est: *Quasi flos egreditur & conteritur.* Res vilis & fragilis est frons arboris, omni levi vento aut contactione decidens; frons est homo: *Contra folium quod ventô rapitur ostendis potentiam tuam.* Res vilis est vestimentum vetus, quod in seipso tineam se corrodentem generat; talis est homo: *Quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Res vilis & fragilis est aranearum tela, quam quodvis minutum animal perfodit & frangit; talis est homo: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Res vilis & fragilis est fumus qui apparendo evanescit, & nascendo moritur; talis est homo: *Vapor est ad modicum parens.* Res vilis & vana est somnus, nullum habens esse reale existens; talis est vita humana, de quâ Propheta regius ait: *Dormiêrunt somnum suum*; id est vitam suam subitò finiêrunt. Ecce quàm benè dictum: *Vniversa vanitas omnis homo vivens.* Non una sola vanitas, sed universa quæ in mundo est.

Psalm. 38. 6.

Job 14. 2.

Job 13. 25.

Ibid. 28.

Psal. 89. 10.

Jac. 4. 14.

Psal. 75. 6.

Psalm. 38. 6.

Homo inimicis circumdatus.

3. Si tamen aliquid est quod fortitudine indiget, est homo; quis enim plures & potentiores habet inimicos? Poëta quidam de lepore gratiosè finxit, illum summoperè conqueri, quòd contra eum cœlum, terra, & aqua conjuraverant; cùm nullum quippe acriorem inimicum haberet quàm canem, hic non

 solùm

solùm in terra, verùm etiam in cœlo & aquâ reperiretur, stella & piscis ejusdem nominis. Multò meliùs de homine affirmari potest, ab omni parte inimicis circumdari, & ubique affligi. In cœlo justitia divina, in terra alii homines, in inferno Diaboli; omnes denique creaturæ ipsum undique persequentes invadunt. Si aliqua igitur arma reperire posset quæ ipsum à tot contrariis defenderent, quanti illa faceret? Sed quomodo id erit possibile? Plinius refert, tempore Tiberii Cæsaris artificem repertum tanti ingenii, ut vitrum solidum & firmum efficeret, ita ut in terram cadendo non rumperetur, malleorumque ictibus resistere posset; noluit tamen Tiberius hanc artem publicari, sed artificem interfici jussit, dicens; aurum & argentum respectu talis vitri vilipensum fore. Si modò tamen quis reperiretur, qui hominem fortem & impenetrabilem reddere posset, quo auro & argento illi solveretur? quanti ab omnibus fieret? hanc tamen artem in præsenti Discursu vobis exhibere cupio, ut firmi & solidi in omnibus persistatis, & sicut tribulationem nobis in omnibus prodesse, & ad cuncta excitare anteà exhibui, sic modò quàm fortes contra omnia adversa efficiat, exhibere cupio.

Tribulatio fortem reddit.

4. Adverto tamen vos mihi non plenam adhibituros fidem, nec id admiror, quis enim umquam audivit, vulnera hominem fortem reddere? hæc sanguinem auferunt, spiritus debilitant, membra cruentant, totum hominem infirmum reddunt, & vitam quandoque adimunt; quis ergò credet illa fortitudinem tribuere? Quid est tribulatio, nisi vulnus inflictum? sicut vulnus hominem affligit, sic tribulatio vulnerat, si non in corpore, saltem in anima, quod magis refert. Si quoque sanguinem non elicit, spiritum exhaurit, teste Prophetâ Job: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Dico insuper, sive tribulatio patienter, vel impatienter suffertur, nullo modo fortitudinem generare potest. Fortitudo siquidem virtus est, & impatientia vitium; si patienter suffertur, multò minus; fortis siquidem est, injurias ulcisci, & inimicos superare, nec se ab illis vinci permittere; non autem illos patienter ferre, alioquin pecora fortiora leonibus dicerentur, quia illa in patientia, hi verò in vindicta excellunt. Legisse me recordor, Spartano juveni duos gallos oblatos; cumque offerens, à fortitudine eos laudans, diceret; simul ita pugnare, ut alios occiderent; da mihi, inquit

Tribulatio vulnus inflixit.

Job 6. 4.

An tribulatio fortitudinem præstet?

inquit juvenis, qui alios occidunt, illi siquidem fortiores sunt. Cùm alius insuper Spartanus Athenienses laudaret, qui in bello contra Spartiatas occubuissent, ait; quantò magis laudandi Spartiatæ, qui eos devicerunt. Pari modo ego quoque respondere possem, si patientiâ prævalens fortis dicitur, quantò fortior erit ille, qui alium id sufferre cogit? Si fortitudo & patientia diversa non essent, inter se minimè conferri possent. Sapiens tamen inter se eas contulit, dicens: *Melior est patiens viro forti.* Si enim patiens melior forti est, fortis igitur non est, alioquin se ipso melior esset.

Vir patiens fortis est.

Prov. 16. 32.

5. Dico insuper, ubi hæc fortitudo sita erit? in animo, vel in corpore? in corpore esse non potest, hoc siquidem patitur, & tribulatione debilitatur. Nec in animo quoque, hic quippe languet, conturbatur, & timore percussus exanimis redditur. David id optimè expertus, dicebat: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.* Confirmatur prædictum, quia opus fortitudinis est, appetitum irascibilem refrænare, cùm juxta doctrinam S. Thomæ, potentiæ hominis taliter inter virtutes Cardinales sint divisæ, ut intellectui prudentia, voluntati justitia, appetitui concupiscibili temperantia, & irascibili fortitudo tributa sit. Quis verò ignorat tribulationem appetitum irascibilem ad indignationem commovere? fortitudini igitur directè opponetur, quia illam pacatam & quietam reddit. De canibus affirmatur, quòd aquam turbidam bibentes, facillimè rabidi efficiantur. Sed quis nescit tribulationem ut aquam turbidam esse? aquam siquidem tribulationem dici, jam sæpè dictum est: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Sed non est aqua clara & limpida, illa quippe pacis est signum: *Fuisset quasi flumen pax tua.* Aqua igitur turbida tribulationis symbolum erit, quæ hausta, rabiem nobis causare poterit, licèt anteà placidi & amabiles ut canes fuissemus. Experientiâ idem probatur; afflictus quippe pro minima quavis re irascitur & indignatur, ut in ægrotis patet, quibus numquam satisfieri potest, & semper conqueruntur & lamentantur.

An hæc fortitudo in corpore, vel in anima.

Psal. 37. 8.

Tribulatio aqua turbida.

Psal. 68. 1.

Isai. 48. 18.

6. Dico insuper, nónne tribulationes luctûs & planctûs occasiones sunt? omninò, plurima siquidem afflictorum reperiuntur emblemata, quibus lachrymas & miserias suas intimant. Quidam herbam, Amarantum purpureum dictam, depingens, hoc dictum addidit: *At lachrymis mea vita viret.* Quasi

Tribulatio causa luctûs.

Quasi diceret, sicut Amarantus viget, & sicca in aquis reviviscit, sic vita mea lachrymis sustinetur. Alius vas hortis irrigandis congruum, aquâ plenum depingens, subscripsit: *Nil mihi præterea*; aliud mihi non superest, quàm planctus & lachrymæ. Sed quis nescit lachrymari animi mollis & effœminati indicium esse? S. Jeronymus supra Ezechielem, notat, quòd invitatus Propheta ut abominationes filiorum Israël conspiceret, vidit in primis multos seniores sacrificare serpentibus, aliisque animalibus immundis; cumq; vehementer obstupesceret, dixit illi Deus: *Adhuc videbis abominationes majores quas isti faciunt.* Cumq; templũ interius intrâsset, vidit mulieres abominationes cõmittentes: *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Sed nónne illi dictum fuerat, se abominationes virorum visurum? in genere quippe masculino dictum fuerat: *Videbis abominationes quas isti faciunt.* Quomodo igitur mulieres exhibuit? S. Jeronymus acutè respondet, dicens; licèt viri fuissent, quia tamen animum effœminatum & mollem exhibebant, sub forma muliebri meritò repræsentati videntur. Subjunxit quoque, universaliter dicens: *Eos qui ad sæculi mala & bona, vel contristantur, vel exultant, mulieres appellemus.* Populus Lydiæ ejusdem opinionis fuisse demonstratur, prohibuerant quippe nemini licere mortuos deplangere, nisi veste fœmineâ involutus.

Ezech. 8. 13.

Ibid. 14.

Planctus animi mollis signum.

Ezech. 8. 13.

7. Sicut denique de bonorum operum fœcunditate diximus, non adeò stolidus Dæmon foret, quòd nos tantùm affligeret, si per illam nos fortitudinem acquirere cognosceret. Non nego efficacia hæc esse argumenta, sed insipienter agerem, & fortitudine indignus forem, si illis me vinci permitterem. Firmiter igitur conclusionem meam tenendo, dico tribulationem magnæ fortitudinis causam esse. Advertendum igitur in primis est juxta Philosophos, & præcipuè Aristotelem, quem S. Thomas, aliique Theologi sequuntur; duo principaliora officia, aut effectus fortitudinis esse. Primus est offendere, secundus est sustinere; hic autem excellentior illo est, licèt communi plebi contrarium apparet. Si enim unus alium invadit, valentiorem & fortiorem illum arbitratur quàm invasum. Ad hoc probandum tres rationes Aristoteles adfert: prima quia invadens majori fortitudini suę confidens id agit; qui verò patienter fert, sustinet malum, unde majorem fortitudinem præstat. Secunda invadens, malum

Tribulatio fortitudinis causa.

S. Thom. 2.2. quæst. 124.

Duplex fortitudinis effectus.

malum ut futurum considerat; sustinens autem ut præsens. Tertia sustinere multo tempore durare potest; invadere autem repentè fit. Quartam quoque nos adjungamus, quòd invadens proprio motu & voluntate agatur; & scitur, quòd nihil difficile volenti; invasus autem & sustinens, voluntate alterius id peragit; & accommodare se alterius voluntati, propriam negando, difficile semper æstimatum fuit. Ex opinione igitur Philosophorum & Theologorum, afflictum patientem nobiliorem & excellentiorem actum fortitudinis exercere, dicendum est.

Tribulatio fortior vino.

8. Volo tamen nos ulteriùs progredi, utque meliùs fortitudinem afflicti cognoscamus, illum inter omnes fortissimum judicamus. Quatuor in famosa trium Cubiculariorum Darii Regis disputatione fortia enumerantur; vinum, Rex, mulier, & veritas. His igitur tribulati fortitudinem assimulando. Dico primò, de vino loquendo, illud faciliùs superari quàm afflictum, unde Salomoni prudenter consiliatum fuit, ne Regibus, aut in prosperitate constitutis vinum porrigere vellet, sed tantùm afflictis: *Noli Regibus dare vinum, date vinum his qui amaro sunt animo.* Quare? hi enim non se permittent ab illo vinci, quia viribus abundant, ut resistant, quas illi non habent. Ita videmus Holofernem à vino victum, non tamen pulchra Judith, quæ tribulatione armata erat, seque, ac populum suum in tanto vitæ periculo constitutum vidit. Ab illo pariter se vinci non permiserunt tres illi juvenes in Babyloniam abducti, & aulici Nabuchodonosoris Regis effecti. Ejusdem opinionis fuisse videntur Romani, qui in feriis Latinis, teste Plinio & Giraldo, victoribus non vinum, sed succum amarum, ex absynthio expressum porrigebant. Illos amaritudine & tribulatione confortando ne à vino ob victoriam hilares effecti, vincerentur aut turbarentur.

3. Esdræ 3. 10.

Prov. 31. 4.

Tribulatio fortior Rege.

9. Rex secundo loco fortis est dictus, nihil tamen ipsi cum fortitudine tribulationis; Regis siquidem fortitudo non in propria persona, sed in exercitu suo & imperio subsistit; ab hoc derelictus, non solùm debilis, verùm etiam perditus existit. Afflictus patiens ex se fortis est in animo & corpore, nec aliquis illam adimere potest. Hac fortitudine fortissimos Imperatores ac Reges superat, licèt omnes exteriores adhibeant vires. Hoc sæpissimè in martyribus visum fuit, contra illos siquidem omnes tyranni frustrà vires suas adoperati fuerunt. Rex Porsenna ab exer-

ab exercitu Romano invictus, à Mutio Scevola ob fortitudinem animi tormenta perferentis, devictus fuit. Tertio loco mulier verè fortissima adducta fuit, sicut enim Salomon ait: *Fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Hæc tamen cum tribulatione vires amittit; licèt enim Adam aliique plurimi in deliciis & voluptate à muliere devicti fuerunt, non tamen ab uxoribus suis Job & Tobias afflicti, se vincere permiserunt. Diabolus Job uxorem quidem, omnibus ablatis, reliquit, non in consolationem, sed per illam victoriam obtinere sperans; sed vana spes illum fefellit, quia tribulatione armatus erat. Numquam videbitis mulierem vanâ deceptione aut fallaciis suis infirmum aut afflictum invadere; potentioribus siquidem abundat armis, ut illi resistat, sed juvenes sanos & divites, cum his quippe proficere sperat. Gentiles quoque id cognovisse videntur, proverbio quippe communi dicebant: *Famescentibus amara est Venus*; famem & tribulationem patientibus Venus prævalere non potest. Crates Philosophus, referente Laërtio, dicere solebat: *Amorem sedat fames, sin minus tempus, eis verò si uti non vales, laqueus.*

Prov. 7.26.

Tribulatio fortior muliere.

Athen. lib. 6. cap. 7.

In tribulatione veritas.

10. Victoriæ denique palma veritati tributa, hæc verò ubi reperitur nisi in tribulatione? in prosperitate constitutus nescit quid sit veritas, nullus illi indicare cupit, vel si illi dicatur, non creditur; tribulatione autem oppressus, illam cognoscere incipit. Crœsus Solonem Philosophum alloquens, audivit eum dicentem, se non esse felicem, unde derisit eum; cùm verò strui lignorum alligatus, comburi deberet, tunc Solonem verum dixisse fatebatur. Antigonus in venatione perditus, ad vile rusticorum tugurium deveniens, cognitus, benignè exceptus fuit, ubi plurimas Regiminis sui veritates percepit; advenientibus verò servis cum purpureâ & regali chlamide, suspirando dixit; postquam hac veste tectus, numquam veritatem, sed læta semper & jucunda audivi. Pilatus denique, veritatis nomine audito, quasi deridens, dixit: *Quid est veritas?* cùm enim in prosperitate esset, veritatem ignorabat. Alicui tribulatione oppresso singuli subitò veritatem annuntiant, omnes ejus detegunt defectus, tunc veri à falsis amicis discernuntur; aliis verò deficientibus, tribulatus sibi ipsi improperat. Fratres Joseph in Ægypto afflicti sibi mutuo veritatis causam detegebant, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Si tribulatio igitur non re-

Joann. 18. 38.

Afflictus veritatem agnoscit.

Genes. 42. 21.

non reperiretur, nullas vires aut fortitudinem veritas possideret. Nónne videtis judices quoque veritatem à reis extorquere volentes, illos tormentis affligere? quare hoc, nisi ut majori vi veritatem detegant? si veritas quoque extra tormenta confessa fuerit, non illi creditur, sed oportet in tormentis confirmare. Veritas ergò fortitudinem suam tribulationi recognoscere debet.

11. Quis insuper nomen fortis sibi usurpat? an mors fortassis? dicitur enim: *Fortis est ut mors dilectio.* Sed hanc aliud quàm tribulationem non esse affirmare possem; quinimò tribulationis regina est. Si tamen quid diversi esse velitis, quis illam, gratiâ divinâ exceptâ, ita despicere & vincere potest, quàm tribulatio? qui enim in prosperitate se constitutum videt, quomodo mortem timet? solo nomine deterretur; afflictus autem & miser illam adoptat, & finem miseriis suis per illam imponere sperat. Sapiens præclarè id testatur, dicens: *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua, viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur in viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est.* Insignem legimus casum de Sibarita quodam, qui populus Calabriæ erat, omnibusque deliciis abundabat. Cùm enim plurima de fortitudine Spartiatarum audiisset, quomodo mortem despicerent, ad civitatem illorum pergere statuit, & homines adeò fortes rectè cognoscere. Ivit, & modo agendi illorum benè considerato, quàm nimirum vilibus uterentur cibis, quàm parum dormirent, & quomodo omnes delicias abominarentur, dixit; non miror illos mortem despicere, quis enim illam non expeteret, ut talem vitam effugere posset? tribulatio ergò mortis despectum cunctis generat.

Cant. 8, 6.

Tribulatio mortem superat.

Eccli. 41. 1.

12. Ne autem per plura divagemur, fortissimus super omnia absque dubio est Deus noster; de ipso quoque dicere audeo, si quis victoriam de eo obtinere posset, esset tribulatio. Nónne meministis Patriarcham Jacob cum Deo luctantem, victoriam obtinuisse? sed quomodo? per tribulationem; tunc siquidem ob timorem fratris sui vehementer affligebatur, ac magis lachrymis quàm brachiis pugnabat. Pulchrè hoc declarat Osee Propheta, dicens: *Invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit & rogavit eum.* Dicet fortè aliquis, non Deus, sed Angelus cum eo luctatus est, Osee quippe dixit:

Tribulatio fortior Deo.

Oseæ 12, 4.

Invaluit ad Angelum. Verum est fuisse Angelum in quantum ad substantiam, sed Deus in repræsentatione fuit, ideoq; Angelus post luctam Jacobo di-
Gen. 32. 28. xit: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis.* Notandum quoque est Angelum, ut de victoria certiorem redderet, illum claudum effecisse; sed quod admirabile mysterium fuit illud? videbatur potiùs, illum fortificare & sanare debuisse ab omni malo & timore, pulcherrimum tamen fuit, ut hoc intelligamus, in memoriam revocandum, quod de Spartano claudo dictum fuit; illum nimirum, cùm milites inscriberentur, cum aliis perrexisse ut pariter inscriberetur, cumque assistentes illuderent eum, dicentes: commodè incedere non potest, & miles fieri cupit; acutè respondit: melior vobis miles ero, nam in bello brachiis, non pedibus utendum; ubi insuper vos periculis expositi, fugere poteritis, ego constans & firmus manebo, & locum meum ad mortem usque defendam. Pari modo Jacob fratrem suum effugere putabat sicut aliàs egerat, Angelus verò monstrare cupiens, ipsum non fugere, sed persistere debere, & cõfligere, claudum effecit. Postmodum autem illi dixit; noli fugam, sed victoriam meditari, in cujus signum te claudum reddo. Claudum igitur & afflictum esse, potentissimum est remedium ut fortes reddamur, insignesque obtineamus victorias, quas alioquin impossibiles judicabamus.

Cur Iacob ab Angelo claudus effectus.

13. Cur creditis palmam triumphi & victoriæ signum extitisse? an quia præsentiâ suâ alias arbores siccare facit? non ideò, sed quia ingenti excellit fortitudine, & plurima sustinere potest; dum enim superfluo onere se gravatum sentit, non in terram decidit, nec illud rejicit, sed se erigens, in sublime cum onere ramos suos extendit. Symbolum igitur istorum est qui cuncta patienter sustinent, nec tribulationem effugiunt, aut se ab illa vinci permittunt, sed alacriter illi obviam procedunt. Scriptura sacra volens Davidis fortitudinem exprimere, cui creditis illum assimulâsse? leoni forsitan, aut elephanti? nequaquam, sed tenerrimo vermiculo lignũ corrodenti, sic enim ait sacer
textus: *Hæc nomina fortium; David sedens in Cathedra sapientissimus, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* 2. Reg. 23. 8.
Sed in quo hujus vermiculi fortitudo consistit? non in alio quàm in patienti tolerantia; conculcatus non gemit, non mordet, non se opponit, non reluctatur. Talis inter fortissimos primum meretur

Cur palma victoriæ symbolum.

Cur David vermiculo comparatus.

locum. Pari modo locum illum Ezechielis: *Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam*; alii traducunt: *Vt vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam*; majorem fortitudinem vermi, quàm inaccessibili rupi tribuentes. Sicut enim illa nullis telorum ictibus, nec validissimis ventis movetur, sed absque ulla offensione remittit, ita verus patiens nullis inimicorum injuriis aut insultibus commoveri potest.

Ezech. 3. 9.

Ob patientiam & fortitudinem.

14. Quadam vice Propheta David se magnis inimicorum periculis circumdatum videns, quòd nimirum arma sua præparâssent, ut illi vitam tollerent: *Peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas*; & sese optimè disposuerant, ut illum unico vulnere interficere possent: *Vt sagittent in obscuro rectos corde*; nihil tamen efficere potuerunt, sed ut in alio Psalmo ait: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Ita debiliter emiserunt, ut ad illum pervenire non potuerunt, sicut infans ad signum jaciens, vix ad medium pervenit. Meritò igitur S. Jacobus Apostolus hominem patientem beatum vocabat, dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Inter beatitudinis dotes una impassibilitas vocatur; si patiens igitur beatus erit, impassibilis quoque erit, nec aliquid ei tormentum adferre poterit. Gentiles quoque id quodammodo cognoscere poterant, teste S. Cypriano; Seneca Philosophus tractatum composuit, quo probat, quòd *In sapientem non cadit injuria.* Idem quoque apud eum est sapiens, & patiens; inter cætera quoque ait: *Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cædi, vel teri potest, sed incurrentia ultrò retundit; ita sapientis animus solidus est, & id roboris colligit, ut tam tutus sit àb injuria, quàm illa quæ retulit.* Virgilius quoque docet patientiâ omnem tribulationem devincendam:

Psal. 10. 3.

Ibidem.

Psal. 63. 8.

Jacob. 1. 12.

Patiens beatus dicitur.

S. Cypr. in libr. de patient.

> *Quicquid erit, superanda omnis*
> *fortuna ferendo est.*

15. Hoc fortè poëtæ veteres indicare volebant, dum Thetin Deam marinam cum Peleo Thessaliæ Rege matrimonium iniisse fingebant, utq; filius natus patris immortalitatem contraheret, per ignem transire fecit, ut in illo mortalitas consumeretur; indicare volens, cùm esset homo ex immortali anima, & corpore mortali compositus, per ignem tribulationis transiens, quasi immortalis omninò, & impassibilis eveniret. Clariùs S. Gregorius Nazianzenus idem expressit, dicens: *Duo hæc arripi & superari nequeunt, Deus & Angelus,*

Tribulatio immortales reddit.

S. Gregor. Nazianz. orat. 17.

gelus; tertium est Philosophus in materia, materiæ expers, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impassibilis, omnibus rebus vinci se facilè cedens, præterquam animi magnitudine, & eo ipso, quòd vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse viderentur devincens. Quibus verbis ad fabulam gigantis Anthei alludere videtur, qui luctans, se in terram projici permittebat, hanc enim tangendo novam acquirebat fortitudinem, ita ut illorum qui se in terram projecerant, victor existeret. Pari modo patiens agit, quantò magis ad terram projicitur, tantò majori virtute resurgit; juxta dictum
Prov. 24. 16. Sapientis: *Septies cadet justus & resurget.* S. Gregorius Nazianzenus id præclarè docet, dicens; ut arbor quantò magis præscinditur, tantò magis erumpit & floret, talem quippe vim habet verbum *resurget* in Hebræo. Vel ut ferrum candens quod aquâ aspersum magis induratur: *Philosophicus* (inquit) *animus ex eo quòd passus sit generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aquæ aspersione, ita periculis obdurescit.*

Christus patientiâ mundum superavit.

16. Sed fabulas intermittentes, vera referamus; quomodo Christus totum mundum & infernum subjugavit nisi patientiâ? Evangelicus Propheta victoriam hanc describens, eam Gedeonis victoriæ assimulat, dicens: *Sceptrum exactoris ejus superâsti sicut in die Madian.* Isai. 9. 4. Sed quomodo victoria illa accidit? vasa testacea rumpendo, & tubis inflando absque armis aut sagittis. Pari modo Salvator ultimum in cruce spiritum emisit, sustinendo patienter omnia vulnera quæ corpori ejus infligebantur. Apostolus Paulus hanc victoriam describens, ait: *Palam triumphans illos in semetipso.* Coloss. 2. 15. Quid est triumphare in semetipso? quòd nimirum vicerit, non ferendo illos in propria persona, sed in se ipso vulnera & mortes recipiendo. Habacuc quoque hujus victoriæ mentionem faciens, dixit: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Habacuc 3. 4. Ejus manus videlicet, cornibus crucis affixæ fuerunt, & ibi fortitudo ejus latebat. Quid insuper desideratis, Deus æternus, in quantum Deus, fortitudinem suam patientiâ exhibuit, idcirco David utramque conjunxit, dicens: *Deus fortis & patiens.* Psal. 7. 12. S. Hilarius supra hunc Psalmum affirmat, fortitudinem patientiæ semper conjungi. S. Paulus de patientia loquens, quam Deus Pharaoni ejusque sequacibus exhibuit, ait: *Volens ostendere suam potentiam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ.* Rom. 9. 22. Qui ergò fortitudinem suam ostendere cupit, patiens esse debet.

Fortitudo Dei in patientia ejus.

17. Videor

Tribulatio patientiæ mater.

17. Videor tamen aliquem mihi dicentem audire, promiſiſti nobis te oſtenſurum, tribulationem fortiſſimos reddere; nunc verò de patientia concludis, quæ valdè diverſa eſt; non enim omnes afflicti ſunt patientes. Sed volo vos quoque patientiâ parum uti, audietiſque promiſſionis meæ non oblitum me eſſe. Nónne vobis me oſtenſurum promiſi, tribulationem fortitudine armatam eſſe, nobiſque illam concedere? omninò, nónne inſuper probavi, patientiam fortiſſimam eſſe, quâ quiſque munitus totum mundum ſubjugare poteſt? hoc quoque verum eſt; ſi igitur probavero tribulationem patientiam conferre, nónne obligationi meæ ſatisfactum eſſe dicetis? negari non poteſt. S. Paulus egregiè

Rom. 5, 3. nos id docet, dicens: *Tribulatio patientiam operatur.* Multi tamen afflicti impatientes ſunt; verum eſt, ſed culpâ ipſorum, multæ ſiquidem mulieres naturâ ſuâ fœcundæ, defectu maritorum ſteriles remanent.

Tribulatio nos reſtringit.

18. Quod ſi Apoſtolica auctoritas non ſufficiat, rationibus comprobabo. Philoſophi aiunt: *Virtus unita fortior*;

Pſal. 118. 143. & hinc per antiperiſtaſin unum contrarium præſentiâ alterius corroboratur, quia in ſe magis reſtringitur & coarctatur. Tribulatio quid efficit? nos ipſos reſtringere efficit; ideoque vocatur anguſtia: *Tribulatio & anguſtia invenerunt me.* Jonas quoque ſe ſummoperè afflictum dicere volens, dicebat: *Cùm anguſtiaretur in me anima mea.* Jonæ 2, 8.
Proſperitas econtrà ut ventus auſter eſt, cor & viſcera dilatans, illa igitur nos fortes, hæc verò debiles reddet. Numquam vidiſtis quomodo juvenes ad militiam educantur & inſtruuntur? non deliciis, aut rebus mollibus aſſueſcunt, ſed tribulationi & labori addicuntur, ut in duro ligno, vel terrâ dormiant, ut omnes cibos inconditos etiam comedant, ut aperto aëri & ventis ſe exponant, & duros labores perferentes, quieti locum dare neſciant. Ad quem finem? nónne melius foret, quandoquidem duri ſubeundi ſint labores, & plurima in bello patienda; ut hoc exiguo tempore quô domi manent, deliciis & quiete fruantur? nequaquam, nimis quippe debiles redderentur; hoc tamen modo fortes & robuſti evadunt, ut belli laboribus & tribulationibus reſiſtere valeant. Spartani in hoc valde expertes & diligentes extiterunt, etenim infantes vix natos in frigidiſſimo flumine Eurota abluebant, ut membra illorum corroborarentur, ſicque robuſtiores fierent.

Quomodo miles ad bellum exercetur.

 19. Vege-

Fortioribus assuefiendum.

19. Vegetius milites erudiens & exercens quomodo arma portare & dirigere debeant, vult illos graviora arma & scuta deferre, quàm in bellis uti solent, ut aliis armis meliùs uti noverint, dum gravioribus assueti fuerint. De Milone fortissimo narratur, illum bovem integrum humeris detulisse, quia ab infantia minoribus assuetus, se paulatim majoribus ferendis exercuerat; vitulum siquidem primò natum in juventute portaverat, quo crescente cum illo, vires quoque crescebant; atque ita factum est, ut bovem effectum, etiam portaverit; tantùm in omnibus exercitium prævalet. Pari modo afflictis evenit; in principio intolerabile videtur pondus, sed paulatim adeò assuescunt, ut levissimum tandem videatur. Rectè igitur Apostolus dicebat: *Tribulatio patientiam operatur.* Jeremias Propheta clarissimè id cognoscens, optimè dixit: *Bonum est viro cùm portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, quia levavit super se.* Faciliter nempe assuefactus, onus levabit.

Rom. 5. 3.

Thren. 3. 27.

Tribulatio cuncta despicere docet.

20. Nec solùm tribulatio hominem patientem & fortem ad assueta mala ferenda efficit, verùm etiam ad cuncta reliqua. De milite quodam refert Plutarchus, illum adeò fuisse generosum, ut cuncta pericula parvi pendens, admiranda patraret; Antigonus igitur Rex illum plurimùm diligebat, & gravi infirmitate laborantem, curari fecit, sperans illo beneficio magis sibi obligaturum & fortiorem redditurum. Sed contrà accidit, qui enim antea se adeò fortem & insignem exhibuerat, ex infirmitate convalescens, timidus & debilis effectus est; cumque primò inimicos aggressos fugaverat, nunc illos omni modo effugere studebat. Rex ergò summoperè admiratus, quadam vice eum interrogans dixit; quid sibi vult, te antè adeò fortem & generosum exstitisse, nunc autem ignavum & debilem esse. Hoc tempore quo à me, ut ita dicam, vitam recepisti, magis quàm umquam te promptum ad sanguinem effundendum præstare deberes, & torpore ac languore dissolveris. Ad quæ respondit; vestra Majestas occasio istius fuit, quia me resanâsti; dum enim infirmus essem, vitam parvi pendebam, quinimò illam odiô habens, voluntariè rem adeò vilem periculis exponebam, ut majorem acquirerem honorem; sed postquam beneficio vestro sanitatem, & quasi novam vitam recuperavi, tantam illam æstimo, ut omni gloriâ & honore chariorem ducam, ideoque non tantis periculis

illam

illam ampliùs exponere cupio.

Tribulatio indurat.

21. Silla quoque milites suos pavidos inimicos timentes, ac eos illibenter oppugnare advertens, ut alacriores redderet, hoc stratagemate utebatur; tot eis imponens labores, & vitam adeò miseram traducere cogens, ut rogarent eum, quòd contra inimicos potiùs dirigeret, sicq; miseram vitam meliori morte commutarent. Duobus igitur modis tribulatio nos fortes efficit; primò consuetudine corpus indurando, ut in rusticis apparet, qui manus duras calle obductas gerunt, & pedes itineri ac labori assuetos. Secundò, quia malum præsens futurum parvi pendere facit, unde facillimè devincitur & superatur.

Tribulatio promptiores reddit.

Tertium nunc modum adjungo, quòd expeditiores & promptiores reddit, multis incommodis & impedimentis sublatis, quibus prosperitas nos alliciens & implicans, debiles reddit. Plurimi Duces ut milites ad pugnam promptiores redderent, cuncta illorum bona comburi jusserunt, ut nova acquirerent. Tali modo Alexander Magnus cùm Indiam invadere pararet, egit. Deus quoque videns populum Israël tædere itineris, ignem illis immisit: *Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem*; in qua parte credo victualia fuisse. Clariùs quoque Deus idem approbavit, dum quâdam vice populum ad confligendum pavidum videns, per tubicinem proclamare fecit, ut omnes qui domum ædificaverant, aut sponsam duxerant, aut vineam plantaverant, liberè abirent, utpote ad bellum inhabiles, propter affectum quem erga bona sua gerebant. S. Job quoque idem intellexisse videtur, dum à Diabolo cunctis bonis, & filiis spoliatus, vestes conscidit, ut nudus absque ullo impedimento se pugnæ sisteret, olim quippe moris erat, ut luctatores nudi essent, ne ullis rebus teneri possent.

Num. 11. 1.

Tribulatio mala assueta reddit.

22. Quartus insuper modus adjungendus, quòd mala quæ timemus ab amore proprio, deliciis, & quieti dedito; ac labori & tribulationi inimicissimo, multò majora exhibeantur quàm sunt; cùm ergò illa experta non fuerimus, abhorremus; tribulatio autem ea nobis communia & assueta reddit, nec tanta ostendit mala, quanta à nobis concepta fuerunt. Dives paupertatem ut extremum malum judicat, si illam tamen quandoque experire cogatur, videt multò leviorem esse quàm judicaverat. Infirmus medicinam amaram judicans, illam maximè abhorret, vixque precibus ad illam sumen-

sumendam cogitur, illâ verò sumptâ, non adeò malam, ut credebat, sensit. Expertes Chirurgi venam alicui timido aperire volentes, promptissimè id peragunt, antequam advertat; magis siquidem apprehensio quàm dolor affligit. Tales sunt tribulationes, pejores videntur absentes quàm præsentes, magis expectatio quàm probatio dolorem causat, ideoque expertæ animum duriorem reddunt.

Plus expectatio quàm præsentia nocet.

23. Cùm Cajus Marius cum civibus staturâ multò majoribus confligere deberet, observabat milites suos propter staturæ proceritatem plurimùm timere, proinde noluit illos subitò aggredi, sed ut expectando assuefierent, & leviter quosdam aggredientes, fortitudinem illorum explorarent, & de facto cognoscerent illos homines esse ordinarios, & non gigantes; sicque Romani assueti, insignem contra eos obtinuerunt victoriam. Pari modo Deus agebat, cùm populus Israël cum inimicis suis confligere deberet, altâ voce proclamari fecit: *Qui formidolosus & timidus est revertatur.* Sed nónne meliùs id dictum fuisset, dum milites inscriberentur, vel dum in campum exirent? si enim confligere non deberent, ad quid illos conducere? voluit tamen Deus neminem timidum declarari, nisi visô inimicô. Licèt quoque quis timeat, volo tamen, inquit Deus, ut arma arripiens, egrediatur, & inimicum intueatur, fortè non ita terribilis apparebit, ac benè imaginabatur. Optimè igitur dixit Seneca, infantium instar nos esse, levia timentes & vana: *Vitam puerorum, nec puerorum tantùm, sed etiam infantium habemus; illi levia, hi falsa formidant, nos utraque.* Si infans matrem larvatam aut detectam videns, subitò exclamat & plangit; sed larvâ aut detectione ablatâ, illam recognoscit, & amplectitur. Pari modo tribulatio nobiscum agit, larvam ab iis aufert quę timemus, eaque cognoscere efficit, qualia in se sunt, non qualia nobis apparent; unde frequenter accidit, ut quæ primò summoperè timebamus, modò amplectamur.

Judic. 7.3.

Senec. epist. 4.

Tribulatio nos Deo conjungit.

24. Ultimus & præcipuus modus est, tribulationem Deum nobis continuò adducere, nosque defendere: *Cum ipso sum in tribulatione*, aiebat per amicum suum afflictum; quomodo igitur non benè cuncta procedent? Propheta Job in afflictione sua id rectè cognoscens, rogabat Deum, ut eum recipere vellet, dicens: *Pone me Domine juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* David quoque hoc adjutorium cognoscens, in illo

Psal. 90.15.

illo potiùs quàm in brachiorum fortitudine confidebat: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo?* Deum quoque particulariter afflictis adesse demonstrabat, dum S. Petrum supra mare ambulantem adjuvabat; unicô quippe verbô auditô S. Petrus in mare se dimisit, & securè supra aquas incedebat; validô autem ventô exurgente, submergi metuens, clamavit, & Dominus subitò illi manum porrigens, sustinuit. Sed nónne solâ voce id peragere potuisset? omninò, voluit tamen illi manum porrigere, ut majori adjutorio in perseverando, quàm in incipiendo opus esse indicaret; ideoque afflictis magis adesse in fine quàm in principio.

Psal. 26. 1.

Præsentia Dei corroborat.

25. Idem ergò est dicere afflictum esse, Deum secum habere, ac fortem esse. In libris Judicum insigne hujus rei exstat exemplum; ubi mirabilia facta Samsonis narrando, sic incipit: *Cœpitq; Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan.* Quasi diceret, Samsonem se incepisse monstrare fortem, quia Spiritum Domini secum habebat, ipsumque ut novellum militem in laboribus & tribulationibus exercitatum fuisse, ut ex Hebræo colligitur, unde quidam verterunt: *Cœpit Spiritus Domini conterere eum, & turbine exagitare.* Alii vertunt: *Cœpit pulsare eum.* Chaldæus habet: *Cœpit spiritus fortitudinis roborare eum;* ita ut juxta has versiones tantum est dicere, tribulatum, conquassatum, & malè exceptum esse, ac fortem redditum; Spiritum Dei secum habere, & fortem esse, in quo facta heroica superant, quicquid de famoso Hercule poëtæ finxerunt. Confortare igitur ô afflicte, quia ut alter Samson occidere poteris leonem, & feram tribulationem superare quæ te adeò vexat, indeque consolationis mel percipere. Mandibulò quoque asini, humili nempe oratione, Philistæos in fugam conjicere poteris; omnes videlicet inferni Diabolos superare, portas insuper Gazæ attollere, & de manibus inimicorum te liberare poteris; omnia scilicet Diaboli impedimenta avertere, quibus te à via salutis disturbare conatur. Maximè autem avaritiæ portam, quæ gazas & divitias custodit, liberaliter pauperibus distribuendo, ad quod hodie vos invito.

Judic. 13. 25.

Samson Spiritu Dei roboratus.

PARS SECUNDA.

Tribulatio vulnerat & medetur.

26. Ex prędictis adeò efficaciter, meo judicio, conclusio nostra corroborata manet, tribulationem nempe fortitudinem tribuere, ut nulla adversariorum argumenta sint metuenda,

tuenda, quinimò ex dictis cuncta soluta sunt. Quid enim dicebatur, tribulationem vulnus esse, quod nos infirmos reddit? sed numquam audiistis, infirmitatem multis occasionem fortitudinis esse? ita de seipso testatur S. Paulus, dicens: *Cùm infirmor tunc potens sum.* Vulnus insuper mortiferum hominem omninò debilitat; sed vulnus Chirurgi majorem sanitatem & fortitudinem tribuit; talis est tribulatio, quia Deus ut Chirurgus nos curans, vulnerat; teste afflicto Job: *Ipse vulnerat & medetur*; vulnerando nempe medelam confert. Leve quoque vulnus quale est equi, calcaribus stimulati, majorem alacritatem adfert; tale tribulationis vulnus, dicente Apostolo: *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Vulnus inimici vix penetrans hominem ad vindicandum ferociorem reddit; tale est tribulationis vulnus, non enim permittit Deus ut gravius sit, quàm sufferre possimus: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Vulnus denique digladiatoris, gladio obtuso factum, non tantùm infert damnum, sed alium observantiorem reddit; tale est tribulationis vulnus, ideoque Deus per Moysen dicebat: *Si acuero ut fulgur gladium meum*; quasi diceret, modò te gladio obtuso percutio, si autem gladium ancipitem arripio, væ tibi. Tribulatio igitur non tam malè nos excipit, quàm promptiores ad confligendum reddit. Dicamus quoque vulnus esse, quod inimicis nostris, cum quibus luctamur, brachia præscindit; per delicias siquidem & prosperitates mundanas Dæmon nos in terram projicere quærit, & his brachiis tribulatio nos privat.

2. Cor. 12. 11.

Job 5. 18.

2. Cor. 12. 7.

1. Cor. 10. 13.

Deut. 32. 41.

27. Quid dicitis, patientiam debilitatis signum esse? quinimò non intellexistis per hanc Apostolum in summo fortitudinis gradu constitui? & Deum quoque per patientiam se fortem demonstrare? nónne dixit Isaias: *In silentio & spe erit fortitudo vestra?* sed quid silentium nisi summam patientiam designat? Isaias patientiam divinam describere volens, Salvatorem non fuisse loquutum dixit: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Spes unde nascitur nisi à patientia? non meministis Apostolum dicere: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem.* Tantum est ergò dicere: *In silentio & spe erit fortitudo vestra*; quàm dicere: *In patientia erit fortitudo vestra.* Quid dicitis ita pecora leonibus fortiora esse? omninò, si patientia illorum ex libero arbi-

Patientia fortitudinem præstat.

Isai. 30. 15.

Isai. 53. 7.

Rom. 5. 3.

Ubi suprà.

ro arbitrio procederet, & non necessitate urgente. Quid dicitis à Salomone patientiam à fortitudine distingui? verum esse potest in corporis, non in animi patientia.

Fortitudo in corpore & animo est. 28. Quid dicitis hanc fortitudinem nec in animo, nec in corpore esse posse? quinimò in utroque est; ut siquidem intellexistis, corpus & animus labore indurantur: *Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*, dixit Isaias de afflictis in Deo sperantibus; quia *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem.* His autem verbis Isaias non debitam proportionem observâsse videtur, & meliùs dictum fuisset: *Ambulabunt, & non deficient; current, & non laborabunt.* Sicut enim plus est currere quàm ambulare, sic plus est deficere quàm fatigari; quia multò plus metuendum, ne cursor deficiat, quàm ne ambulator. Credendum igitur est, non sine mysterio Isaiam sic dicere; & mea opinio est, quòd quantò magis & ferventiùs quis in via virtutis currit, tantò minùs deficiet, quia majorem fortitudinem acquiret. Qui solùm ambulat aut tepidè incedit, non est certus se non defatigari; & sufficienter illi promittitur, dicendo quòd non deficiet. In virtute igitur exerceri, & præcipuè in tribulatione, hominem fortiorem & securiorem reddit.

Isai. 40.31. Rom. 5. 3. Isai. 40.31.

29. Quid dicitis, patientiam timidos reddere? sit ita; licèt enim verum esset, timor Dei fortitudo dicitur. Taliter amicus Job dicebat: *Vbi est timor tuus & fortitudo tua?* Deum quippe timens, nil aliud timet, ideoque fortissimus dici potest; econtrà autem Deum non timens, cuncta timet, ideoque timidissimus dici potest; ubi siquidem ille unum timet, hic infinita timet; ubi ille infinitam timet potentiam, hic res viles nullius roboris timet; unde non solùm timidus & debilis, sed stolidus & insipiens vocandus est. Talis fuit Cain, qui cùm Deum non timuisset, cuncta postmodùm timuit, dicens: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Jonas econtrà adeò fortis & generosus erat, ut in navi existens, non solùm maris tempestatem non metuebat, verùm etiam alios præ timore defecisse videns, audacter dicebat: *Tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Non præsens periculum, aut horribilem metuebat mortem, sed seipsum pro omnibus intrepidè offerebat, & absque timore exequi patiebatur sententiam quam contra se tulerat. Si autem interrogetis illum, quid illum adeò audacem reddat, respondebit: *Deum cœli ego timeo*; ideoque nil aliud

Timor Dei fortitudo est. Job 4. 6. Gen. 4. 14. Jonæ 1. 12. Jonæ 1. 9.

aliud timere debeo. Rectè hoc intellexit Didymus à S. Joanne Damasceno citatus, dicens: *Fieri non potest, ut qui Dei timore præditus est meticulosus sit.*

S. Joann. Damascen. in Paral. cap. 4.

Tribulatio indignationem tollit.

30. Quid dicitis, afflictos facillimè indignari? quinimò tribulationibus assueti vix indignari possunt. Mirabile quid refert Theophrastes, pecora Ponto vicina absynthio se cibare, & absque felle esse; sed nónne absynthium herba amarissima est, sed fel quid aliud est quàm nidus amaritudinis, unde S. Petrus Simoni Mago dicebat: *In felle amaritudinis video te esse*; quomodo igitur rebus amaris vesci fel adimit? nónne cibus qualitatem suam nutrito tribuit? res mira, sed vera est, unde quidam cecinit:

Theophr. lib. 9. de Plantis, cap. 18.

Actor. 8. 23.

Felle carent Ponti pecudes absynthio pastæ.

Talem afflictum esse dicite, si tribulationis amaritudine se pascat, absque ulla amaritudine & felle reperietur, ad nullam cõmovebitur indignationem. Hæc in pauperibus non reperitur, plures quippe tribulationes & maledictiones perferunt, quàm frusta panis comedant; si quandoque eleemosynas exigant ut inopiam sublevent, malis verbis & injuriis abiguntur, patienterque discedunt; quid sibi hoc vult? pecora sunt quæ absynthio vescuntur, & sine felle sunt. Quid dicitis, canes aquam turbidam bibentes rabidos evadere? benè quidem, sed quæ hæc aqua turbida? an tribulatio? quinimò hæc est clarissima, ita ut afflictus seipsum in ea intueri possit, juxta dictum afflicti Prophetæ: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Prosperitas autem & deliciæ mundanæ sunt aqua turbida, animam inficientes, & cognitionem propriam impedientes, de quibus Jeremias dicebat: *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?*

Thren. 3. 1.

Jerem. 2. 18.

Planctus fortitudinem indicat.

31. Quid dicitis signum fœminilis & debilis animi esse lachrymari, ut afflicti agere solent? quinimò dicere possem, lachrymas virilis animi signum esse, idque auctoritate Ezechielis probare, cùm à Deo Angelo mandatum dicat, ut signaret lugentes: *Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt.* Numquid tamen credibile erat multas quoque mulieres planxisse, illæ quippe citiùs ad commiserationem & planctum moventur? quomodo igitur virorum tantùm mentio fit, nisi quia animi fortis & generosi est plangere pro delictis? nónne insuper meministis Salvatorem dixisse: *Regnum cœlorum vim patitur.*

Ezech. 9. 4.

Matt. 11. 12.

patitur, & violenti rapiunt illud? Matt.18.3. Et alibi: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum?* Sed quomodo parvuli regno cœlorum vim inferre poterunt, nisi lachrymis & planctu? ita est, nihil siquidem majorem vim cœlos penetrandi habet quàm lachrymæ & planctus. Concedamus tamen pro lucro temporali plangere, vile & muliebre esse, hujus debilitatis tribulatio occasio non est, sed eam discooperit & expellit. Ut ferrum est tribulatio, quod vitem resecans, superfluos humores demit, quibus emissis, fœcundior & validior evadit. Pari modo dum tribulatio animum ad planctum excitat, à superfluis affectibus & nocivis sensualitatibus purgat. Aristoteles ait tragœdias in civitatem introductas, ut per lachrymas spectantium oculi purgarentur.

Lachrymæ cœlum penetrant.

Diabolus vexando hominem fortificat.

32. Quid dicitis, Diabolum non ita sollicitè nos vexare, si fortes effici videret? sed nónne intellexistis unum contrarium alio fortificari per antiperistasin, absque sua intentione? ita Diabolus non ut fortificet, sed ut vincat, affligat, & oppugnet, hominem tentat; si autem adeò fortificetur, contra voluntatem ejus est. Cuncti igitur adversarii nostri devicti jacent, nobis igitur nil aliud agendum restat, quàm spolia colligere; id est, documenta utilia ex prædictis colligendo, animum fortificare, & contra tribulationes insurgentes munire.

Scutum patiëtiæ semper tenendum.

33. Pro primo igitur documento nobis sciendum, ut scutum patientię numquam dimittamus si victores esse cupimus. S. Augustinus id egregiè docet, dicens: *Vincit vapulando ferientes, patiendo impatientes, diligendo sævientes.* Olim summum erat dedecus scutum perdere, sed nobis multò majus esse debet. Milites scutum sinistrâ, dextrâ gladium ferunt, monstrantes, se plus gladio quàm scuto confidere. Milites verò Christi scutum dextrâ tenere debent, teste S. Bernardo, dicente: *Sæcularis militia in sinistra clypeum suum portat; non imitemur, si inter eos nolumus reputari, quos huic sæculo militare constat, non Christo.* David quoque idem nos docebat, dicens: *Dominus protectio tua*; in Hebræo habetur: *Dominus scutum tuum.* Sed ubi hoc scutum portandum: *Super manum dexteram tuam*, inquit. Nec mihi dicite contrarium id esse, dum Deum scutum nostrum ponit, & ego patientiam dico; idem quippe mecum confitetur alibi, dicens: *Quoniam tu es patientia mea.*

S. Bernard. serm. 7. in Psalm. 90.

Psal. 120. 5.

Psal. 70. 5.

Scutum patientiæ dextrâ tenendum.

34. In dextera igitur scutum patientiæ tenere oportet; primò,

mò, quia dextra agilior est ad movendum, & undique patientiâ nos defendere convenit. Secundò, quia in sinistra milites sæculares scutum tenent, cùm in illa parte cor habeant; sed cor nostrum in dextra parte esse debet, juxta dictum Sapientis: *Cor sapientis in dextra ejus*; idcircò ab hac parte scutum tenendum. A dextris quoque Satanas assistit ut nos invadat, idcircò omnem conatum contra eum adhibere oportet; scutum denique magis quàm quævis arma æstimare debemus, ideò in dextra tenendum. Miles scutum perdens, nullum expectare debet præmium, licèt multa heroica opera patrâsset. Nos quoque si scutum patientiæ perdamus, magnis pœnis adjudicabimur, unde meritò Sapiens dicebat: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* In afflictione igitur constituti, ad nihil aliud attendere debetis, quàm ut patientiæ scutum retineatis, Diabolus siquidem hoc unicum intendit, ut illam vobis auferat; ideò viriliter agite & confortamini, vitam potiùs amittere volentes quàm scutum perdere. Seneca licèt Gentilis, idem optimè intellexit, nullum securius in hac vita miseriarum remedium quàm patientia in adversis: *Vnus est hujus vitæ fluctuantis & turbidæ portus, eventura contemnere, stare fidenter, apertè tela fortunæ adverso pectore excipere, non latitantem nec tergiversantem.*

Ecclef. 10. 2.

Eccli. 2.16.

Patientia semper retinenda.

Senec. epist. 104.

35. Secundum documentum erit, non solùm nos in tribulatione patientes esse debere, verùm etiam gratias agere, quasi pro singulari beneficio accepto, quòd ut benignissimus pater charitativè nos corrigat. Magna est differentia inter amorem patris & matris erga filios, licèt uterque sit immensus; matris amor tenerior & dulcior est, patris verò fortior; illa vult bonum delectabile filiis, hic bonum honestum; illa nollet filium aliquid pati, sed in deliciis semper & prosperitate ob oculos continuò habere; hic autem laborare, negotiari, & confligere vellet, ut se insignem exhibeat, & honores acquirat. Amor Dei erga nos patris & matris dici potest, unde ab antiquis vocabatur *Madripater*; quia sicut mater consolatur & amplectitur, dicente Isaiâ: *Ad ubera portabimini, super genua blandientur vobis.* Ut pater corrigit & castigat: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Magis tamen de paterno quàm de materno participat; ideoque tribulationes immittit, ut fortes & validos reddat, & coronam in cœlis tribuat. Optimè id cognovit Seneca solò lumine naturæ illustratus, unde egregiè id explicavit in libro cui titulus:

In tribulatione Deo gratia agenda.

Deus ut pater & mater est.

Isai. 66.12.

Apoc. 3.19.

titulus: QUARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT; sic enim eloquentissimè ait: *Non vides quantò aliter patres, aliter matres indulgeant, illi excitari jubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, interdum lachrymas excutiunt. At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam tristari, numquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, ut operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur.*

Exemplo Christi patiendum. Joann. 20. 21. 36. Sed Gentiles omittendo, nónne meministis dicti Salvatoris: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Quasi diceret, pater me ad labores, dolores, & tribulationes perferendas misit in mundum; sic ego vos ad easdem sustinendas mitto, juxta dictum Apostolicum: Hebr. 12. 8. *Quòd si extra disciplinam estis, ergò non filii estis.* Dum ergò Deus vobis tribulationes immittit, gratias agite, quia amore paterno vobis illas immittit, ad majus vestrum bonum, ut validos & robustiores efficiat, & tot bona acquiratis, quot in præcedentibus Discursibus audiistis. De quibus sufficienter vobis exhibere possem, modò tamen supersedebo, cùm horum Discursuum materiam interrumpere cogar, quia ad quinquagesimum perveni, qui numerus remissionis & jubileus est, quô annô cùm cuncta requiescerent, conveniens ut ego quoque cum hisce requiescam.

37. Vobis autem valedicturus, quid dicam ut mei recordemini? vel ut occasionem habeatis numquam recordandi? de duobus insignibus viris me legisse memini, quòd ambo diversæ opinionis in hoc fuerunt, Camillus Romanus, qui Româ proscriptus, egrediens, Deos precabatur, ut tandem aliquando Romani ipsius recordarentur & revocarent. Aristides Græcus, Athenis discedens, precabatur Deos, ut Athenienses nullam haberent occasionem ipsius recordandi; quem ex his imitabor? Camillum nimis in patriam suam severum, vel Aristidem erga se crudelem. Pari modo mihi accidet, si Deum rogavero ut occasionem mei recordandi habeatis, quòd tanto tempore nil aliud vobis prædicavero, quàm tribulationem, erga vos crudelis apparebo, cùm vos afflictos desiderarem. Si autem rogavero, ut numquam memoriam mei habeatis, erga meipsum crudelis videbor, cùm me charâ memoriâ vestrâ privavero. Si dicam, ut mei memineritis, nimis præsumptuosus videbor, quasi mererer memoriam vestram; *Quomodo auctor valedicat.*

ſtram; ſi dicam, ut non memineritis, ingratus apparebo, nihili amorem veſtrum faciendo, quid ergò efficiendum?

Exemplo Christi valedicit.

38. Exempla Gentilium omittendo Salvatorem noſtrum imitari cupio, cùm enim Apoſtolis ſuis plurimùm de tribulatione ſuperventura dixiſſet, ſubjunxit tandem: *Hæc dixi vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Joan. 16.4. Pariter ego vobis dicam, cùm enim ſciam tribulationes in mundo deficere non poſſe, cum illis affligemini, eorum memineritis, quę vobis hiſce Diſcurſibus exhibui; non quia à me dicta, qui minimus ſum vermiculus, ſed quia ex puriſſimis ſacræ Scripturæ & ſanctorum patrum fontibus exhauſta. Dicet fortè quiſpiam, tantorúmne recordari potero? in hoc quoque vobis ſervire geſtiens, ad breve compendium, & unicum quaſi floſculum cuncta redegi, quæ his Diſcurſibus de tribulatione dixi; nimirum ad ejus exiſtentiam, naturam, cauſam efficientem, & finalem. De exiſtentia ſcitis, illam in mundo reperiri, nullum eſſe qui quandoque afflictus non ſit; nullum diem abſque tribulatione habituali ad minus peragi. De natura cognoſcere potuiſtis, tribulationem aliquid eſſe quod affligit contra voluntatem noſtram, tormentum malæ conſcientiæ majus eſſe omnibus tormentis, ipſam proſperitate meliorem eſſe. De cauſis ejus diximus, Deum præcipuam cauſam efficientem, aut permittentem eſſe; inſtrumentalem autem, Angelos ac Dæmones. Terram hanc tribulationem producentem, naturam eſſe; ſemen ex quo oriatur, peccatum eſt; ſol generationem adjuvans, virtus eſt; cauſæ apparentes, ſtellæ & fortuna; agricola illam ſeminans, homo; corbis in qua ſemen defertur, mulier; arbor ex qua colligitur, omnes creaturæ; meſſor, unuſquiſque ſibi.

Compẽdium omnium diſcurſuum.

Quis primarius tribulationis finis.

39. Quantum ad finem, intellexiſtis præcipuum eſſe Dei gloriam, quæ variis modis exhibetur; modò rubrâ veſte amoris cincta, modò cæruleâ potentiæ divinæ, modò aureâ ſapientiæ, modò candida miſericordiæ, modò ſanguinea juſtitiæ, modò cœleſtis dominationis, modò varia providentiæ divinæ veſte adornata. Scitis quis finis ejus ſecundarius, noſtrum bonum honeſtum; ſecum quippe honorem adfert; delectabile, quia jucunda eſt; utile, quia ad acquirendam fidem, ſpem, amorem divinum & proximi, ſapientiam, juſtitiam, fortitudinem, & modum orandi docet. Quando igitur afflicti eritis,

Quis finis ſecundarius.

lation e

consolamini vos ipsos, recordantes mundum semper tribulatione plenum fuisse; proculate bonam habere conscientiam, quia mala est tormentum, omni tormento majus. Illam ut à Deo missam recipite, & fructum virtuti debitum inde elicite. Si quoque in una consideratione nullam sentiatis consolationem, ad aliam recurrite, quia cunctarum abundantiam habetis.

Tarantola Italis vocatum.

40. Inter animalia venenosa, in Apulia unum reperitur, tantò magis nocivum, quantò minus exiguum est; araneæ quippe magnitudinem vix excedens, dum hominem mordet, venenum per omnia membra diffundit, nervos ligat, sensus hebetat, cor exsiccat, & quasi insensibilem hominem ad mortem reducit. Admirandum insuper est, tanto malo sonum instrumentorum prodesse, non tamen uniformem; liquævis siquidem tarantola, licèt in figura & essentia ab alia non differat, diversam tamen cum sonis sympathiam gerit. Vt ergò à tarantola morsus aliquam consolationem sentiat, cytharœdus conducitur, qui plurimas cantilenas sonans, illam invenire cupit quæ malo correspondet; quâ repertâ, qui mortuus videbatur in pedes se erigens, saltare incipit & sudorem effundere, quo effuso, venenum pariter cum illo diffunditur.

Mirabile venenum tarantolæ.

Varia remedia pro singulis afflictis.

41. Pari modo afflictis agendum, propriam quisque tribulationem gerit; licèt enim singuli conveniant quòd sint afflicti, diversam tamen naturam una ab alia habet, nec uno remedio omnes sanari possunt. Aliâ cantilenâ pauper, aliâ infirmus, aliâ internis animi motibus afflictus, aliâ persequutionem patiens ab inimicis, aliâ divitiis spoliatus indiget. Ut expertus igitur cytharœdus varias cantilenas & sonos exhibui, ut singuli sibi convenientem reperiant. Experientiam soni continui adhibui, dicendo tribulationem omnibus communem esse; varium insonui, varias tribulationum species exhibens. Altum elicui, ad Deum recurrendo; inferiorem tetigi, ad peccata nostra deflectens; varias cantilenas insonui, modò amoris divini, modò justitiæ, modò providentiæ, modò aliorum attributorum. De charitate, spe, & fide cecini, de bono utili, delectabili, & honesto. Nullum igitur esse credo, qui sonum malo suo correspondentem non reperiat. Ita placeat Deo, ut singuli consolationem, & fructum haurire sciant. Consolationem

nem, quæ malum alleviat, fructum bona multiplicans; consolatio innocentibus, fructus nocentibus, consolatio delectationem, fructus utilitatem adferens; consolatio in hac vita, fructus in æterna vita. Quam nobis concedat Deus omnipotens. Amen.

FINIS.



INDEX EVANGELICVS AD CONCIONES FORMANDAS APTISSIMVS.

In quo ſingula his duobus Tomis contenta omnibus anni Dominicis, Sanctorum Feſtis, & Quadrageſimæ feriis doctè, copioſè, & dilucidè applicantur.

T. Tomum. D. Diſcurſum, N. Numerum paragraphicum, P. Paginam indicat.

Dominica I. Adventus.



Alvator noſter cuncta humano more nobis exhibere cupiens, ut faciliùs ea capiamus; exponit, quòd ſicut quandoque homines ſeipſos, & domus parietes nigris veſtibus tegunt, ut dolorem internum exteriùs demonſtrent; ſic ſigna cæleſtia ut luctum & timorem quem homines ex mundi diſſolutione, & univerſali judicio concipient, exhibeant: ſe & totum cælum tenebris involvent. De timore judicii vide t. 2. d. 32. n. 34. & ſeq. p. 116. & d. 33. n. 35. p. 141. d. 38. num. 34. p. 265. Homo etiam eſt parvus mundus. t. 1. d. 3. n. 1. p. 42. Deus quoque doloris ſigna in corde ſuo percipiet, cùm illibenter, & coactè peccatores caſtigare ſoleat. t. 1. d. 14. n. 13. p. 328. t. 2. d. 30. nu. 9. & ſeq. p. 53. In hodierno evangelio Chriſtus nos veram & ſpiritualem Aſtrologiam docet, quomodo ex ſignis cæleſtibus futura ſint colligenda; unde nos hanc doctrinam imitando accuratè inveſtigare poſſumus, quid hæc ſigna nobis prædicent. t. 1. d. 22. per totum. p. 522.

Erunt ſigna: ſolet Deus primò indicare antequam puniat. t. 2. d. 30. n. 22. p. 60.

In ſole; Quid ſignificat obſcurari ſolem. t. 1. d. 41. n. 3. p. 323.

Chriſtus in ſole figuratus. tom. 1. d. 9. n. 34. p. 206.

Et Luna. Symbolum Eccleſiæ ſponſæ Chriſti eſt Luna: cùm ab eo, ut illa à Sole illuſtrari debeat. t. 2. d. 31. n. 17. p. 82.

Eadem ſigna ante judicium, & finem mundi apparebunt, quæ in paſſione apparuerunt: & cur ita? t. 1. d. 9. n. 11. p. 191.

Areſcentibus hominibus præ timore. Homo timore undique exagitabitur, ſicut Attilius in vaſe clavis perforato. t. 1. d. 26. n. 23. p. 641.

Mala conſcientia ubique cruciabit. t. 1. d. 8. n. 24. p. 175.

Reſpicite, & levate capita veſtra. Sicut in triremibus

Dominica II. Adventus.

Dominica III. Adventus.

Corrigiam

Dominica IV. Adventus.

In Festo Nativitatis Christi.

In Festo S. Stephani Protomartyris.

In Festo S. Ioannis Apostoli.

In festo SS. Innocentium.

Pro-

Dominica III. post Epiphaniam.

Dominica IV. post Epiphaniam.

Dominica V. post Epiphaniam.

CAmpus hic à duobus seminatoribus seminatus; theatrum apparet, in quo divina bonitas cum diaboli malitia contendit. Licet quoque diaboli zizania evincere videatur, quia æquè ac bonum semen crescit: divina tamen bonitas tandem victrix evadit; quia non vult ut evellatur, sed tandem in manipulos ligata comburatur, unde apparet status præsentis vitæ, qui in principio quandoque bonus, in fine reperitur perversus. t. 1. d. 11. p. 260. n. 31.

Seminavit bonum semen. Cuncta à Deo creata bona sunt. t. 1. d. 26. n. 10. p. 635.

Cum autem dormirent homines. Tepiditas periculosa. t. 1. d. 18. n. 27. p. 440.

Venit inimicus homo. Diabolus numquam dormit, ideoque Draconi inter omnia animalia vigilantissimo assimulatus. t. 1. d. 16. nu. 26. p. 382. Quantus inimicus sit hominis? ibid. n. 18. & seq. p. 378.

Superseminavit zizania. Cur seminaverit zizania? t. 1. d. 16. n. 23. p. 381.

Vnde habet zizania? Magna, & difficilis interrogatio. t. 1. d. 14. n. 3. p. 320.

Deus non est auctor peccati. t. 1. d. 14. nu. 26. p. 336.

Quanta sit bonis afflictio malorum societas. t. 1. d. 19. n. 17. p. 459.

Vis imus, & colligimus ea? Angeli prompti ad castigationem nostram. tom. 1. d. 15. nu. 28. p. 358.

Alligate ea in fasciculos ad comburendum. Quandoque propter aliquos malos integer populus punitur. t. 1. d. 18. n. 29. p. 440.

Cur Deus non vult evelli zizania, sed comburi contra præcepta agriculturæ? t. 1. d. 11. n. 31. p. 260. Quia illibenter punit, ad ultimum expectat. t. 1. d. 14. n. 13. pag. 328. & t. 2. d. 30. n. 18. p. 58.

Dominica VI. post Epiphaniam.

CUncti homines excellentes evadere procurant; sed duos committunt errores; primò quòd non desiderent veram excellentiam; secundò quod non utantur debito modo: vera excellentia in virtute consistit. t. 1. d. 12. n. 13. & seq. p. 271. Modus ad illam perveniendi est humilitas. t. 1. d. 12. n. 25. & seq. p. 279. Hoc in præsenti Evangelio clarè docetur, cùm ex minimo grano Sinapis magna arbor excrescat.

Dixit Iesus turbis. Turbis, & pauperibus cælum offertur. t. 2. d. 44. n. 31. p. 414.

In agro suo. Quis sit campus in quo homo seminare debeat. t. 2. d. 33. n. 17. p. 130.

Volucres cæli. Angeli libenter adsunt bonis. t. 1. d. 15. n. 12. p. 349.

Simile est regnum cælorum fermento. In prima parabola de incremento intrinseco arboris agitur, in secunda de incremento extrinseco, de sapore fructuum aliis communicando. Primò siquidem perfectus quis esse debet, postea alios perfectos reddere. t. 2. d. 33. n. 31. p. 138.

Sine parabolis non loquebatur illis. Ad quem finem Christus hoc agebat. tom. 2. d. 45. num. 36. pag. 433.

Dominica Septuagesimæ.

IN tribus locis, quasi in tribus scenis hodiernum Evangelicum exhibetur, primus locus est forum; secundus vinea; tertius domus. In primo omnes otiosi; in secundo omnes laborantes; in tertio aliqui invidi, aliqui prosperi. Forum locus est ubi plurimi conversantur, quorum societas fugienda. t. 1. d. 23. nu. 37. p. 570. Per vineam solitudo intelligitur, quæ amanda. t. 1. d. 23. nu. 34. p. 57. Per domum status medius. t. 1. d. 11. nu. 21. p. 255. Vinea justorum via est. tom. 1. d. 19. p. 451. n. 5.

Simile est regnum cælorum Patri familias. Quàm bonus Pater-familias Deus? t. 1. d. 19. n. 8. & seq. p. 4:4.

Conducere operarios. Hoc nomine omnes homines intelligi possunt, cùm ad laborem sint nati. t. 1. d. 4. n. 24. p. 79. Labor nobilis & desiderandus. t. 1. d. 3. n. 23. p. 54.

Quid

immoderatum vivendi modum his diebus maximè debilitatus fuerit, ita ut de ipso dici possit: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis, usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Ut tanta infirmitas curetur, medicorum colligitur consilium. Propter cordis deliquium à Ioële pharmacum cordiale describitur: *Convertimini ad Deum in toto corde vestro.* Pro capitis dolore mirabilis unctio à Salvatore indicatur; *Unge caput tuum.* Vt totum corpus variis humoribus repletum purgetur; S. Ecclesia pulverem sumendū præscribit: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* His pharmacis sumptis, ab omnibus medicis diæta, seu ciborum temperantia infirmo præscribitur. Ioël ait: *In jejunio.* Salvator: *Cum jejunas.* Ecclesia: *Iejunemus.* Pro primo puncto vide t. 1. d. 8. n. 28. & seq. p. 179. & d. 18. n. 36. p. 445. pro secundo. d. 28. n. 33. p. 21. pro tertio. d. 5. n. 1. & seq. p. 88. & in Indice, Mors. *Cùm jejunatis.* Caro mortificanda. t. 1. d. 27. n. 20. Iejunium ciborum condimentum. tom. 2. d. 42. n. 19. p. 356. contra crapulam. d. 27. n. 20. & seq. & t. 2. d. 43. n. 35. p. 391.

Sicut hypocritæ. Hypocrisis fugienda. t. 1. d. 19. n. 37. p. 470.

Tristes. Iusti semper læti. t. 1. d. 19. n. 4. & seq. p. 450.

Deo in lætitia serviendum. t. 2. d. 29. n. 13. pag. 32.

Pater tuus qui videt in abscondito. Deum nil latet. t. 2. d. 33. n. 7. & seq. p. 125.

Nolite thesaurizare. Divites, servi & infelices sunt. t. 1. d. 26. n. 24. & 27. p. 643.

Modus veras divitias acquirendi. t. 1. d. 5. n. 34. p. 108.

Vbi est thesaurus vester &c. Insignis hujus rei probatio. t. 1. d. 20. n. 14. & seq. p. 482.

Memento homo. Mortis cogitatio quàm utilis sit. t. 1. d. 48. n. 17. p. 498.

Quanta sit miseria humana. t. 1. d. 17. n. 4. pag. 397.

Feria V. post cineres.

PErfectam amicitiæ legem, erga superiores, inferiores, & æquales rectè observavit Centurio. Cum Salvatore, cum servo, & cum Hebræis. Erga Salvatorem reverentiam, & fidem; erga servum commiserationem & charitatem; erga Pharisæos liberalitatem, & amorem. Illi siquidem dixerunt: *Diligit gentem nostram, & Synagogam ædificavit nobis.* Tribulatio est causa amicitiæ. t. 2. d. 46. n. 29. p. 454.

Inter Deum & hominem amicitia, & unio esse potest. t. 2. d. 46. n. 1. 2. p. 437. & d. 31. n. 32. & seq. p. 90. De fide, quâ ad Deum accedendum. t. 2. d. 43. n. 16. & seq. p. 380. infirmis compatiendum. t. 1. d. 7. n. 19. p. 146. De amore, quo proximo afflicto succurrere debeamus. t. 2. d. 46. per totum. p. 437.

Accessit ad eum Centurio. Per fidem accessit. t. 2. d. 43. n. 16. & seq. p. 380.

Rogans. Tribulationis effectus est rogatio. t. 2. d. 47. n. 12. & seq. p. 470.

Puer meus. Servi bene conservari debent. t. 1. d. 18. n. 12. p. 428.

Malè torquetur. Peccator, cujus hic servus, symbolum est, pessimè torquetur. t. 1. d. 8. per totum. & d. 8. n. 12. & seq. p. 168.

Dic tantùm verbo. Omnes infirmitates, & mala pœnæ, à Deo dependent. t. 1. d. 14. n. 21. & seq. p. 333.

Audiens Iesus miratus est. Admirandum sanè quod Deus miretur. t. 1. d. 12. n. 16. p. 273. Non miratur de bonis operibus Centurionis, cur potiùs admirandum fidelem non bene agere? t. 1. d. 43. n. 12. p. 379.

In Epistola de Rege infirmo, in Evangelio de servo infirmo, ut sciamus neminem à tribulatione liberum. t. 1. d. 3. per totum. pag. 42.

Feria VI. post Cineres.

QUandoque larvatus quis incedens inimicum se fingit amico, si tamen hic prudens esse velit, sub ficta persona amicum recognoscens, charè illum amplectitur. Pari modo Deus nobiscum agit, cùm sub inimicorum veste aut larvâ nobis se exhibet; unde nec illos persequi, nec odio habere debemus, sed Deum in eis latentem

Feria II. post Dom. I.

Feria III. post Dom. I.

Feria IV. post Dom. I.

& ſepulturam; ſed hoc inde naſci puto, quia nullum ſignum extra amorem dare voluit, cujus nullum evidentius indicium quàm pati pro dilecto. vide t. 2. d. 29 n. 2. p. 72.

Magiſter volumus. A propria voluntate, cunctæ tribulationes profluunt. t. 1. d. 6. n. 26. p. 128. & d. 27. n. 30.

Generatio mala & adultera. Gens Iudæorum adultera vocatur, quia à Deo ſuo receſſerat, & Dominus exemplo terræ quæ in reſurrectione illum productura erat & exemplo Ninivitarum, qui peccata ſua confeſſi erant, ad pœnitentiam hortatur. t. 1. d. 8. n. 13. p. 168. Synagoga inſuper adultera vocata, quia Ioannem ſponſum & Dominum ſuum agnoſcere volebat. t. 1. d. 12. n. 28. p. 281. & d. 27. n. 10. p. 659.

Signum quærit. Superflua quærendo cùm multa haberet quæ cognoſcere nollet.

Non ſic Ioſue qui cùm Solis lucem haberet, noluit Lunæ habere. t. 1. d. 24. n. 8. p. 578.

Ecce plus quàm Salomon hic. De ſapientia Chriſti. t. 2. d. 33. per totum. p. 121.

Viri Ninivitæ. Cur etiam infantes jejunare cogebant. t. 1. d. 18. n. 24. p. 437.

Quærens requiem. Dæmon animas noſtras zelare videtur. t. 2. d. 30. n. 2. p. 49.

Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Ut peccata fugiamus, finis illorum intuendus. t. 1. d. 8. n. 30. p. 180.

Quicumque fecerit voluntatem patris. Vide in indice, Obedientia.

Feria V. poſt Dom. I.

CHananæam inſigniter laudat, defectus mulierum gerit, ſed omnes ad bonum ordinati; mulieres libenter egrediuntur, & illa è finibus ſuis egreſſa erat, ſed ſanctè ad quærendum Chriſtum; libenter garriunt, & rationes ſuas dicunt, & illa quoque dominum orare, & ſe excuſare novit. t. 1. d. 1. n. 8. p. 5. Duro cerebro & obſtinato ſunt animo; illa etiam in petitione ſua perſeverans. Sunt curioſæ libenter audientes nova: illa quoque nova à Chriſto audire & legem novam amplecti deſiderat: hanc mulieres imitari deberent. t. 1. d. 25. per totum.

In Chananæa multæ reſplendent virtutes, quæ ſunt tribulationis effectus. t. 1. d. 6. n. 11. p. 120. & d. 43. & ſeq.

Ecce mulier à finibus illis egreſſa. Chananæa ut remedium tribulationibus ſuis acquirat, confines ſuos egreditur. Nos quoque ſi remedium peccatorum acquirere velimus, peccatorum occaſiones relinquere debemus. t. 1. d. 18. n. 36. p. 445. & d. 25. n. 38. p. 625.

Clamavit. Si afflictus ad orandum aptus. t. 2. d. 47. n. 4. & ſeq. p. 465.

Quàm potens ſit oratio afflicti, ad impetrandum poſtulata. ibid. n. 19. & ſeq. p. 474. & n. 22. p. 476.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Quomodo diabolus omnes tentat. t. 1. d. 16. per totum. p. 370.

Qui non reſpondit ei verbum. Cur Deus tribulationi noſtræ non videatur quandoque attendere. t. 2. d. 30. n. 30. p. 66.

Deus totus auris ut orationibus noſtris attendat. t. 1. d. 22. n. 42. p. 547.

Cur Deus ſubitò non exaudiat. t. 2. d. 31. n. 28. p. 88.

Etiam Domine nam & catelli. Gaudet Deus dum inſtanter pro miſericordia iteratis vicibus rogamus. t. 2. d. 37. n. 15. p. 229.

Magna eſt fides tua. Quàm difficulter Deo aliquid magnum apparet. t. 1 d. 12. n. 16. p. 273.

Feria VI. poſt Dom. I.

INter varia hujus piſcinæ myſteria, ſymbolum purgatorii appellari poteſt. Etenim ſi in illa jacebant infirmi; in hoc animæ à peccatorum infirmitatibus purgandæ. Si Angelus commovens aquam ſanabat, Angelus quoque è purgatorio animas liberat. Si illa quinque porticus habebat, in quibus infirmi jacebant: Quinque porticus ſenſuum noſtrorum ſunt occaſiones cur in purgatorio detineamur. Si ibi abſque adjutorio nullus ſanabatur; hîc abſque vivorum ſuffragiis multo tempore, eſt commorandum. Si in illa una ſola libe-

liberabatur; hîc illa sola liberatur, cui indulgentia aut aliud suffragium applicatur. Si ibi omnes salutem desiderabant: hîc tot sunt animę æternam salutem summè expectantes. t. 1. d. 5. per totum. & d. 27. n. 19.

Triginta & octo annos habens in infirmitate. Nulli anni computantur, nisi qui in tribulatione peraguntur, illi siquidem soli sunt nostri, t. 2. d. 49. n. 36. p. 534.

Omnes tot annos infirmitatis habemus, quot annos vitæ numeramus. t. 1. d. 4. nu. 17. p. 73.

Quanta miseria sit infirmitas? t. 1. d. 7. nu. 19. p. 146.

Vis sanus fieri? Saluti nostræ cooperari nos convenit. t. 2. d. 36. n. 39. p. 219.

Hominem non habeo. Solus Deus non derelinquit nos. t. 2. d. 45. n. 29. p. 438.

Tolle lectum tuum. Deus præcipiendo tantùm, paralytico fortitudinem faciendi tribuit; contrarium agit mundus, præcipit enim sed virtutem exequendi non tribuit. t. 1. d. 3. n. 5. p. 44.

Iam noli peccare. Vtrum peccatum occasio tribulationis sit vel non. t. 1. d. 18. per tot.

Non licet tibi &c. Deus non derelinquit opera sua, licèt homines obmurmurent. t. 2. d. 30. n. 15. p. 57.

Sabbatho post Dom. I.

PHilosophus, & Theologus similes sunt Esau, & Jacob: ille felicitatis prædam per creaturarum sylvas insequitur: hic eam à matre Ecclesia edoctam recipit. Non tamen sibi invicem omninò contrariantur: quod enim Philosophus de felicitate docet; à Theologo approbatur, qui in ea tamen longiùs, & feliciùs progreditur. t. 1. d. 17. n. 1. & seq. p. 396.

Assumpsit Iesus Petrum &c. Hos tres Apostolos majori favore à Salvatore excipi non inconveniens. t. 2. d. 35. n. 8. p. 176.

In montem excelsum seorsum. Solitudo quàm desiderabilis. t. 1. d. 23. n. 37. p. 570.

Bonum est nos hic esse. De cælesti patria id solùm affirmari potest. t. 1. d. 2. n. 32. p. 39.

Faciamus hîc tria tabernacula. Non dicit vocemus alios discipulos; in prosperitate siquidem soli nobis ipsis complacere studemus, amicorum autem non recordamur. t. 2. d. 46. n. 15. & seq. p. 446.

Tria tabernacula. Gloria cælestis domus vocatur. t. 2. d. 32. n. 32. p. 139.

Resplenduit facies ejus. Quàm potens sit pulchritudo ad cor humanum commonendum. t. 1. d. 25. n. 22. & seq.

Sicut Sol. Quia sponsus est Ecclesiæ quæ ut Luna à Sole illuminatur, & dirigitur. t. 2. d. 31. n. 17. p. 82.

Loquebantur de excessu. Amor excessus occasio. t. 2. d. 33. n. 1. & seq. p. 121.

Apparuerunt illis Moyses, & Elias. Cur hi duo præcipuè? t. 2. d. 38. n. 28. p. 262.

Dominica II. Quadragesimæ.

SAlvator noster hodie Apostolis suis, & Moysi & Eliæ, lautissimum præparat convivium, de quo fortè Isaias prædixit: *Faciet Dominus convivium in monte hoc*, Petrus adeò voluptati indulsit, ut ebrius fieret, quia *Nesciebat quid diceret*. Panis hujus mensæ est doctrina tribulationis. Locus longè à tribulatione remotus. t. 1. d. 1. n. 10. p. 7. d. 2. n. 32. p. 39.

Duxit illos in montem excelsum. In monte inter campos, & non in urbibus clausis hoc convivium fit, quia publicum est unusquisque intrare potest. t. 1. d. 21. nu. 32. p. 515. Pauci tamen per hos tres discipulos figurati eò vadunt. t. 2. d. 36. nu. 15. p. 204. Procurandum est ut simus ex dignioribus in paradiso. t. 2. d. 29. n. 36. & seq. p. 45.

Quanta aliquorum stoliditas qui æternæ felicitati renuntiant, ne hîc patiantur aliquantulum. t. 1. d. 17. n. 38. p. 419.

Resplenduit facies ejus sicut Sol. Potest dici illos lautissimè exceptos, & vulgari Proverbio comedisse in Apolline. t. 2. d. 34. num. 5. pag. 148.

Apparuerunt illis Moyses, & Elias. In hoc convivio societas lætitiam auger. t. 2. d. 29. num. 25. pag. 35.

Cur

Feria V. post Dom. II.

Feria VI. post Dom. II.

Feria II. post. Dom. III.

Feria III. post. Dom. III.

Feria IV. post Dom. III.

Feria V. post. Dom. III.

Feria VI. post Dom. III.

Sabbatho post. Dom. III.

Dominica IV. quadragesimæ.

Feria II. post. Dom. IV.

Feria III. post Dom. IV.

Feria IV. post Dom. IV.

Feria V. post Dom. IV.

Prophetę publicè prædicabant, juxta illud. *Sta in porta, & prædica ibi verbum Domini.* Videbatur hic defunctus intelligere, quia *Cœpit loqui.* Audiamus igitur quid nobis annunciabit, sed quid dicet? Quod Propheta Isaias dicebat: *Omnis caro fœnum.* t. 1. d. 3. n. 41. p. 63. & d. 4. n. 17. p. 75. d. 17. n. 4. p. 397.

David quoque pro eo omnes gentes invitat dicens. *Audite hæc omnes gentes.* t. 1. d. 1. n. 11. p. 81.

Ecce defunctus. An mors vitâ melior ob tribulationes advenientes. t. 1. d. 5. n. 1. & seq. p. 88.

Cur hora mortis incerta, & ab infirmitate præoccupata. t. 2. d. 30. n. 24. p. 62.

Mors cunctas nostras designationes disrumpit. t. 2. d. 44. n. 12. p. 403.

Noli flere. Lachrymæ viduarum quàm potentes apud Deum. t. 2. d. 47. n. 2. p. 464.

Adolescens. Iuvenes morti abblandiuntur. t. 1. d. 27. n. 11. p. 660.

Mors illorum unde derivetur. t. 1. d. 27. n. 20. p. 665.

Accepit omnes timor. Quàm necessarius omni tempore timor mortis, & Dei. t. 2. d. 29. n. 37. p. 45.

Feria VI. post Dom. IV.

IN præsenti evangelico discursu insignis comparatio inter amorem humanum & divinum consurgit, in persona Lazari, qui à sororibus & Salvatore æquè amabatur, humanus tamen amor divino cedere visus est. Primò in magnitudine & intentione, dicunt enim: *Ecce quem amas* non autem *quem amamus.* Licet enim sorores illum intimè diligerent, in præsentia tamen Salvatoris amor ille obscuratus mansit. Secundò in amoris perseverantia; Lazarus siquidem sepultus sororibus fœtet, nec eum discooperiri vellent; Christus tamen eum amare non desinit. Terriò in amoris potentia, quia sororum amor inefficax, sed Dei efficacissimus; quia amicum in morte non deserit, sed liberat. De horum amorum diversitate. t. 1. d. 14. n. 5. & seq. p. 322.

Erat quidam languēs Lazarus. Primò languēs quàm nominatus; antequam enim nomen in baptismo recipimus, peccati originalis infirmitate lāguemus. t. 1. d. 18. n. 24. p. 436

Ecce quem amas infirmatur. Deo infirmitates nostras intimare sufficit, & postea ipsi curam relinquere. t. 2. d. 33. n. 36. p. 141.

Ecce. Admirando clamant, quia difficile est à Deo amatum infirmari. t. 2. d. 29. n. 4. pag. 26.

Quem amas. Non dicunt amicus tuus, quia cum Deo non oportet nimiam exercere amicitiam. t. 2. d. 38. n. 34. p. 265.

Infirmitas hæc non est ad mortem; Ex illa tamen infirmitate moritur. Ex nimia tepiditate facillimè in peccatum mortale labimur. t. 1. d. 18. n. 27. p. 440.

Sed pro gloria Dei. Quomodo ex tribulatione nostra Dei gloria consurgat. t. 2. d. 28. per totum.

Mansit in eodem loco duobus diebus. Cur subitò eò non iverit? t. 2. d. 32. n. 23. p. 110.

Lazarus amicus noster. Quantum bonum Dei amicitia? t. 1. d. 6. n. 32. p. 131.

A Deo dilectus, pro amicis Sanctos & Angelos habet. t. 2. d. 40. n. 2. p. 296.

Dormit. Mors somnus est. t. 2. d. 38. nu. 14. p. 254.

An Dei amicitia, virtus nempe, sit tribulationis occasio? t. 1. d. 19. per tot. p. 448.

Licet boni, ut mali affligantur, magna tamen est inter eos diversitas. tom. 1. d. 20. per totum. p. 474.

Domine si fuisses hic. Dei præsentia omne malum abigit. t. 2. d. 34. n. 7. p. 149.

Vocavit Mariam. Non sine mysterio Maria vocatur. t. 1. d. 24. n. 20. p. 585.

Et lachrymatus est Iesus. Quia corde vulneratus erat; cùm lachrymæ sint sanguis cordis. t. 2. d. 47. n. 23. p. 476.

Miseratione Lazari commotus, quia ad hanc miseram vitam redire cogebatur, Christus pro eo lachrymatus est. t. 1. d. 17. n. 16. pag. 405.

Sabbatho Passionis.

SOl totus oculus, totus pes, totus manus; quia undique lucidus, oculus mun-

 di-

Dominica Passionis.

Feria II. post Dom. Passion.

Si quis sitit. Sitis sapientiæ quanta sit. t. 1. d. 10. n. 1. p. 218. Rerum mundanarum sitis inextinguibilis. t. 1. d. 26. n. 29. p. 644. d. 27. n. 30. p. 671. Sitis rerum delectabilium quàm potens sit. t. 2. d. 42. n. 1. p. 346.

Veniat ad me, & bibat. Mirabiles hujus aquæ ebibitæ effectus. t. 2. d. 42. n. 25. p. 360.

Cur aqua à Deo non maledicta? t. 1. d. 26. n. 36. p. 649. Ejusdem aquæ utilitas. ib. n. 4.

Aqua à Christo promissa, non simplex, elementaris, sed mineralis est. t. 1. d. 2. nu. 34. p. 21.

Cur sitientes ad verum aquæ vivæ fontem non accurrant? t. 1. d. 2. nu. 19. p. 32. & n. 29. p. 37.

Deliciæ mundanæ cisternæ dissipatæ. t. 1. d. 14. n. 9. p. 325.

Aqua à mundo porrecta, veneno infecta. t. 1. d. 17. num. 29. p. 416.

Feria III. post Dom. Passion.

PLurimi ad festa ascendunt, sed non æquè bonâ intentione; aliqui ex ambitione, aliqui ex curiositate. Christus quasi in occulto, non alia intentione, quàm ut voluntatem patris adimpleat. Unde de recta intentione quam in bonis operibus habere debemus, discurrere possumus, ut exemplo Christi occultè fiant, quod multum refert. t. 2. d. 28. n. 33. p. 21.

Non enim volebat in Iudæam ambulare. Ad quem finem persecutiones fugiendæ. t. 1. d. 10. n. 31. p. 237.

Manifesta teipsum mundo. Si gloriam mundi concupiscere liceat. t. 2. d. 41. n. 1. & seq. p. 321.

Volebant hi virtute aliorum honorari ut nobiles. ibid. n. 9. & seq. p. 326.

Parentes Salvatoris ambitionem suam communi usu excusant dicentes: *Nemo quippe quidquam in obscuro facit, sed quærit ipse palam esse.* In quo similis seniori ancillæ Senecæ, quæ propriam cæcitatem, domus obscuritati adscribebat. t. 1. d. 19. nu. 27. pag. 465.

Non potest mundus odisse vos, me autem odit. Cur boni à mundo afflicti? t. 1. d. 19. nu. 25. p. 464.

Ascendit ad diem festum. Afflictus patiens, non solùm ad templum conscendit, verùm etiam gratissimum Deo sacrificium offert. t. 2. d. 28. n. 19. p. 12.

Murmur erat. De linguæ custodia ne obmurmuret. t. 1. d. 1. n. 7. p. 4.

Feria IV. post Dom. Passion.

HOdiernum Evangelium plenum est mysteriis, & pulcherrimis materiis. De prædestinatione ejusque effectibus hîc agi solet: ratione cujus considerandum erit; prædestinationem ingens Dei donum esse, & ab ipso dependere. Reprobationem verò ex nobis ipsis originem sumere. Juxta dicta t. 1. d. 14. n. 15. p. 329. & d. 18. n. 13. & 14. p. 429.

Prædestinati in viris, reprobi in mulieribus figurati. t. 1. d. 25. n. 13. p. 510.

Tribulatio æternæ gloriæ pignus, & prædestinationis signum. t. 2. d. 31. n. 12. p. 79. & d. 44. n. 31. & seq. p. 414.

Tribulatio à reprobis sine fructu tolerata. t. 2. d. 49. n. 21. p. 526.

Devotio erga B. V. Mariam prædestinationis signum. t. 1. d. 24. n. 27. & seq. p. 590.

Amor quoque Salvatoris erga nos exprimitur, cùm in hoc Evangelio ad instar perfectissimi amantis se gerat, qui ante fores dilectæ suæ obambulare solet; sic Christus deambulabat in templo in porticu Salomonis, à quo paulò ante repulsus fuerat. Amans magis operibus, quàm verbis loquitur; ita Christus ait: *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Amans licèt nullum fructum sentiat, operam tamen suam exhibere non cessat. Sic Christus licet se nullum fructum in Judæis facere conspiciat, dicendo: *Non creditis quia non estis ex ovibus meis*; illis tamen prædicare non cessat. Amans in dilecta zelum excitare conatur; ita Christus dilectos suos excitat dicens: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Modestè excellentias suas exhibet, ut

ut ametur, sic Christus majestatem supremam ostendit dicens: *Ego & pater unum sumus*. Beneficia sua collata exhibet, & ingratitudinis arguit personam dilectam; ita Salvator ait: *Multa bona opera ostendi vobis &c.* Ad hoc propositum videre poteris. t. 2. d. 29. p. 25. & t. 2. d. 31. p. 71.

Facta sunt Encœnia. Id est dies dedicationis, aut renovationis templi; ad renovandum spiritum, tribulatio maximè juvat. t. 1. d. 10. n. 10. p. 224. & n. 17. p. 229.

Hiems erat. In hieme partes interiores calidiores; sic in Iudæorum frigiditate Salvator qui est cor nostrum, amabilior se exhibet. t. 2. d. 46. n. 16. p. 446.

Ambulabat Iesus in porticu. In exteriore nempe parte templi, quia Iudæi solam bonitatem externam habebant. t. 2. d. 47. n. 16. p. 472.

Circumdederunt eum Iudæi. Proprium impiorum est in circuitu esse. t. 2. d. 36. n. 14. p. 204.

David idem quoque ait: *Circumdederunt me sicut Apes*. t. 2. d. 42. n. 38. p. 368. d. 49. num. 15.

Quousque animam nostram tollis? Incertitudo gratiæ, & perseverantiæ quantam pœnam afferat bonis? t. 1. d. 5. n. 11. & seq. p. 95.

Dic nobis palam. Secreta divina veneranda, sed non curiosè investiganda. t. 1. d. 22. n. 39. p. 545.

Opera quæ ego facio &c. Fructus similes arbori producens. t. 2. d. 45. n. 3. p. 423.

Non peribunt in æternum. Boni quandoque perire videntur, sed à Deo sunt bene custoditi. t. 2. d. 35. n. 17. p. 181. & d. 41. nu. 38. p. 344.

Multa bona opera ostendi vobis. Vide in Indice rerum, Ingratitudo.

Feria V. post Dom. Passion.

APparet modò Maria Magdalena quasi stella Apocalypsis, cujus nomen Absynthium stella ob pulchritudinem; Absynthium propter culpam, & dolorem peccatorum. Præ humilitate ad pedes Iesu hæc concidit, & lachrymarum fontem emittit. t. 1. d. 3. n. 13. p. 49.

Dicamus quoque stellam crinitam fuisse, in cujus apparitione, desolationes regnorum, mortes principum, & pestes populorum timentur. Talis est lasciva mulier. t. 1. d. 25. n. 21.

Talis quoque dici potest Maria Magdalena, quæ *Erat in civitate peccatrix*. Licèt enim conversa non tamen crinibus suis mortem principum, prænuntiare desiit, cùm Salvator dixerit: *Ad sepeliendum me fecit.*

Posset etiam duabus faciebus depingi, ut olim fortuna, una nigra, alia candida, propter peccatum nempe, & pœnitentiam, ac remissionem. t. 1. d. 21. n. 9. p. 503.

Rogabat Iesum, ut manducaret cum illo. Magdalena dulciorem cibum illi exhibebat. t. 2. d. 36. n. 15. p. 204. & n. 28. p. 212.

Vt cognovit. Deus omni diligentiâ, & promptitudine quærendus. t. 2. d. 31. nu. 14. & 15. p. 81.

Attulit alabastrum unguenti. Non minùs diligens esse cupit in divino servitio, quàm in mundano fuerat. t. 1. d. 19. n. 35. p. 444.

Stans retrò. Post pedes Christi se ponebat, sciebat quippe Deum facillimè ex visu ad castigationẽ procedere. t. 2. d. 33. n. 33. p. 139

Secus pedes ejus. Hi enim ad puniendum tardi, ad commiserandum veloces. t. 2. d. 30. n. 20. p. 59.

Lacrymis cœpit rigare. De lachrymarum virtute, & cur Magdalena continuò plangeret. t. 1. d. 10. n. 16. & seq. p. 227. & t. 2. d. 45. n. 30. p. 439. & d. 47. n. 24. p. 476.

Cur dicatur rigasse, non lavisse pedes Christi. t. 2. d. 47. n. 26. p. 477.

An fletus debilitatis effectus fuerit. t. 2. d. 50. n. 21. p. 554.

Capillis capitis sui &c. Quantâ virtute capilli mulieris præditi. t. 1. d. 24. n. 5. p. 577.

Osculabatur pedes ejus. Per oscula cor tribuebat. t. 2. d. 40. n. 22. p. 308.

Hic si esset Propheta. Homines falsò judicãt, & temerariè reprehendunt. t. 2. d. 33. n. 20. p. 132.

Respondit Iesus. Nulla cordis cogitatio, aut murmuratio ipsũ latet. t. 2. d. 33. n. 18. p. 130

Duo

Feria VI. post Dom. Passion.

QUod diluvium generale cæli cataractis apertis, mundum cooperiret aquis, causa fuerunt gigantes, ex bonis quidem patribus, sed iniquis matribus generati. Quod autem sanctissimum Salvatoris corpus disrumperetur, & diluvio sanguinis mundus inundaret, causa est consilium Pharisæorum ex bono quidem intellectu, sed perversa voluntate procedens. t. 2. d. 28. n. 34. p. 21.

Sabbatho Palmarum.

SIcut aqua in puteis tantò magis frigesit, quantò magis Sol aërem vicinum calefacit. Ita Pharisæi, quātò magis à Salvatore miraculis & favoribus illustrabantur, & mundus incalescebat, tantò frigidiores, & obstinatiores evadebant. Juxta dictum Ieremiæ: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam.* De hoc vide t. 2. d. 46. n. 16. p. 446.

tantâ

Dominica Resurrectionis.

Feria II. Pascha.

Feria III. Pascha.

Dominica in albis.

Dominica II. post Pascha.

Dominica III. post Pascha.

Dominica infra octavam Ascensionis.

In Festo Pentecostes.

Feria II. Pentecostes.

Feria III. Pentecostes.

In Festo Sanctissimæ Trinitatis.

In Festo Corporis Christi.

Vestes

Dominica II. post Pentecosten.

Dominica III. post Pentecosten.

Dominica IV. post Pentecosten.

Dominica V. post Pentecosten.

Dominica VI. post Pentecosten.

Videns

Dominica X. post Pentecosten.

IN bellis mirabiles videntur casus, & inexpectati eventus, sicut cùm David occidit Goliath, ut dicitur. t. 1. d. 11. n. 1. pag. 242. Simile quid in hodierno apparet Evangelio. Pharisæus ille ut Goliath omnes provocabat dicens: *Non sum sicut cæteri homenum.* Armis undique succinctus. *Iejuno bis in sabbato.* promptus ad cõfligendum *Stans.* ut tenellus David per humilitatem, fuit publicanus, inermis, quia peccator, humilis, & abjectus *A longè stans* Petrâ confessionis, & doloris, *Percutiebat pectus suum.* Sicq; superbiam Goliath istius nempè Pharisæi dejecit, quia *Descendit justificatus ab illo.* De superbia Goliath vide t. 1. d. 26. n. 28. p. 643.

Dominica XI. post Pentecosten.

ADmirantur turbæ miracula à Christo facta, nos quoque admirari oportet, non tam potentiam, quàm bonitatem divinam. Cum tempore, & loco adeò importuno, utpote in itinere, & via publica, cum personis nullius meriti, tantam exhibeat misericordiam, & benignitatem vide t. 2. d. 37. n. 11. & seq. p. 227.

Bene

Dominica XII. post Pentecosten.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Dominica XIV. post Pentecosten.

ultimo loco collocare nos convenit, id est, magna humilitate accedere. t. 1. d. 9. n. 42. p. 211.

Ne fortè honoratior te. Non omnes æqualiter excipiendi. t. 2. d. 35. n. 8. p. 176.

Qui se humiliat &c. Humilitas scalæ ad gloriam. t. 1. d. 12. n. 24. p. 278.

Dominica XVII. post Pentecosten.

IUxta Isaiæ prædictionem, Salvatori nostro clavis David collata, quæ aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. In hodierno Evangelio id clarè patet, cùm Scripturæ Sacræ thesauros aperiens, majora præcepta cognoscere facit. Econtrà verò majora mysteria quæ in Psalmis Davidis continentur claudens, nullus Pharisæorum ea solvere potest. Quantum ad primum, ad amorem videlicet Dei, & proximi; vide t. 2. d. 45. per totum. p. 422. Quantum ad secundum. t. 1. d. 22. num. 39. p. 545.

Tota lex pendet, & Propheta. Christus omnes scientias, & cunctam legem in compendium reduxit. t. 2. d. 41. n. 22. p. 335.

Vnus ex eis legis Doctor. Scientia malitiæ conjuncta hominem pejorem reddit, & diabolo similem, cui proprium est tentare. t. 2. d. 28. n. 34. p. 21.

Tentans eum. Homines non minus quàm diaboli tentant. t. 1. d. 23. n. 12. p. 556.

Cujus filius est? Excellens interrogatio, cui S. Petrus solus respondere noverat. t. 2. d. 43. n. 10. p. 378.

Quomodo vocat eum Dominum? Christus in seipso humilitatem, & excellentiam recludebat; quia Deus & homo erat. t. 1. d. 23. n. 15. & seq. p. 558.

Dominica XVIII. post Pentecosten.

PLurimi potentiam, & Dominium suum æstimant. Quô ad tres fines uti solent, primò ad proprium commodum, secundò ad amicorum beneficium, tertiò ad inimicorum nocumentum. Christus potentissimus, sed potentiâ ad proprium commodum non utitur; cùm enim subitò se ultra mare transferre possit, navi transvehi desiderat. Non ad damnum inimicorum, quia maledictus vindicare recusat, sed solummodo ad beneficium aliorum, sanando paralyticum, & peccata ejus remittendo. De potentia divina vide t. 2. d. 32. per totum. p. 96.

Offerebant ei Paralyticum. Vt donum, & spectaculum gratissimum. t. 2. d. 30. n. 5. p. 51. & d. 41. n. 20. p. 334.

Videns Iesus fidem illorum. Quantum bonum sit fides? t. 2. d. 43. n. 5. & seq. p. 375.

Confide fili. Hoc insigni titulo eum appellat propter tribulationem. t. 1. d. 13. num. 5. p. 294.

Remittuntur tibi peccata tua. Felix nuntium, cui tribulatio inservit. t. 2. d. 37. nu. 25. p. 236.

Cùm vidisset cogitationes eorum. Nulla cogitatio Deum latet. t. 2. d. 33. n. 7. p. 125.

Hic blasphemat. Non desinit Christus bene operari licèt multi obmurmurent. t. 2. d. 30. n. 15. p. 57.

Vt autem sciatis. Salus corporis ad salutem animæ ordinata, ideoque Christus ab hac incipiebat. t. 2. d. 30. n. 10. p. 54.

Remittuntur tibi &c. A radice malorum, peccatis nempe incipit. t. 1, d. 18. n. 36. p. 445.

Dominica XIX. post Pentecosten.

SEntentiam illam; *Extrema gaudii luctus occupat*, in mundanis verificari, nulli mirum; sed in domo Dei idem fieri, extraneum satis videtur: Hodiernum tamen Evangelium illud declarat: illa autem inest diversitas, quod ibi ex natura rerum illud sequatur, hìc verò propter peccata hominum. De instabilitate lætitiæ mundanæ. Vide t. 1. d. 4. n. 10. p. 71.

Anima Salvatorem suum agnoscere, & cum illo ut Sol cum Luna agere debet. t. 2. d. 31. n. 17. p. 82. Quomodo sponsi antiquitus coronabantur. t. 2. d. 31, n. 31. p. 90.

Nolebant venire. Omne malum à voluntate nostra procedit. t. 1. d. 27. n. 30. p. 671.

Perdidit homicidas illos. Post iteratam miseri-

Misertus autem De misericordia divina. t. 2. d. 37. per totum. p. 221.

Egressus autem. A divina præsentia recedere multa mala infert. t. 1. d. 26. n. 24. p. 641.

Videntes conservi ejus. Angeli de bono suorum clientum gaudent. t. 2. d. 40. p. 295.

Quanta humana crudelitas. t. 1. d. 23. per totum. p. 548.

Tradidit eum tortoribus. Non dicit uxorem & filios tradidisse, illa siquidem comminatio tantùm fuit, & hîc agitur de pœnis æternis à diabolis infligendis. t. 2. d. 35. nu. 36. p. 191.

Quoadusque redderet &c. De justitia divina. t. 2. d. 38. p. 247.

Sic & pater meus. Exemplo castigationis aliorum addiscere debemus. t. 2. d. 38. n. 11. pag. 253.

Dominica XXII. post Pentecosten.

VT mare vitreum à S. Joanne in Apocalypsi visum hi Pharisæi sunt; quia *Impii quasi mare fervens.* Vitreum, propter insignem apparentiam externam. Igne mixtum, propter ardens desiderium Christo nocendi. Vitreum insuper, quia oculis divinis omnes eorum deceptiones apertæ. t. 2. d. 33. n. 20. p. 132.

Non est tibi cura de aliquo. Propter respectus humanos Deus nullo modo offendendus. t. 1. d. 23. n. 34. p. 568.

Cognitâ autem Iesus. Deus cunctas cogitationes cordis cognoscit. t. 2. d. 33. n. 7. p. 125.

Quid me tentatis? De tentationibus humanis. t. 1. d. 23. n. 12. & seq. p. 556.

Hypocrytæ. Cor humanum, quàm abscondi-tum. t. 2. d. 33. n. 9. p. 126.

Cujus est imago hæc? Ut pecunia imagine divinâ insignita debet esse anima nostra. t. 2. d. 29. n. 35. p. 44.

Ex imagine denarii optimè argumentabatur Salvator, debere esse Cæsaris, quia denarius libertate præditus non erat, sed in nobis illa consequentia non valet; sæpè enim aliud animo tegimus, quàm exteriori imagine exhibemus, ita ut de nobis dicere liceat, *Fallit imago.* t. 2. d. 33. num. 20. p. 132.

Quæ sunt Dei Deo. Sed nónne cuncta Dei sunt? Quantum ad dominium supremum, sed non excludit Dominium humanum. t. 2. d. 39. per totum. p. 271.

Dominica XXIII. post Pentecosten.

DEus in distributione gratiarum adeò est liberalis, ut non solùm gaudeat, quia eas exigimus, sed quia eas modo quodam sibi eripiamus. Mulier Chananæa occultè vestem ejus tangendo gratiam quasi furabatur, & Princeps, precando filiæ sanitatẽ impetravit. De liberalitate divina vide t. 2. d. 37. per totum. p. 221.

Princeps unus accessit. Tribulatio ad Deum inquirendum cogit. t. 2. d. 31. n. 14. p. 81.

Et adorabat eum. Tribulatio etiam Magnates humiliat. t. 2. d. 32. n. 34. p. 116. & d. 28. n. 32. p. 20.

Filia mea modò defuncta est. Deus claves vitæ, & mortis gerit. t. 1. d. 21. n. 31. p. 515.

Quia filia in domo Principis mortua erat, tota domus turbata erat, pari modo dum anima nostra peccato mortali obnoxia est. t. 1. d. 7. n. 28. p. 151.

Ecce mulier. Mulieres magis Salvatori addictæ, quàm viri. t. 1. d. 23. n. 29. p. 565.

Accessit retrò. Quia immunda erat, peccatum scilicet pudorem generat, sed pudorem salutarem. t. 2. d. 39. n. 14. p. 278.

Confide filia. Ante gratiam receptam, majori indigebat confidentia. t. 1. d. 11. nu. 15. p. 251.

Fides tua te salvam fecit. Cur fidei salus adscribitur? t. 2. d. 43. n. 19. p. 382.

Dominica XXIV. post Pentecosten.

CVm Christus prædicat tribulationem majorem quàm umquam futura sit, inquiri potest, qualis inter omnes tribulationes sit major? vide t. 1. d. 7. per tot. p. 135. & d. 8. per totum. Hujus tribulationis causa erit peccatum, per abominationem significatum. Illud quoque meritò desolatio dicitur, & ab illo omni modo fugiendum. t. 1. d. 7. n. 28. p. 151.

In Festis Sanctorum totius Anni.

JANVARIVS.

In Festo S. Antonii Abbatis.

In festo S. Sebastiani martyris.

In

In festo S. Agnettis Virginis.

In festo SS. Vincentii & Anastasii.

In conversione S. Pauli.

In festo S. Ioannis Chrysostomi.

In Festo S. Andreæ Corsini Ord. Carmelit.

FEBRVARIVS.

In Festo S. Ignatii martyris.

In Festo Purificationis B. V. M.

In Festo S. Agathæ Virg. & Mart.

Si

MARTIVS.

In Festo S. Thomæ Aquinatis.

In Festo S. Franciscæ Romanæ.

In Festo quadraginta Martyrum.

In Festo S. Gregorii Magni.

In Festo S. Iosephi.

In Festo S. Benedicti.

In Festo Annuntiationis B. V. M.

MAIVS.

In Festo SS. Philippi, & Iacobi.

In Festo S. Athanasii.

In Inventione S. Crucis.

In Festo S. Antonii de Padua Ord. Min.

In Festo S. Basilii.

In Festo Nativitatis S. Ioannis Bapt.

In Festo Apost. Petri & Pauli.

IVLIVS.

In Festo Visitationis B. V. Mariæ.

In Festo S. Michaëlis Archang.

In Festo S. Ieronymi.

OCTOBER.

In Festo S. Francisci Ord. Minor. fundatoris.

In Festo S. Theresæ Virg. Ord. Carmelit.

In Festo Sanctiss. Rosarii.

bus

In Festo S. Lucæ Evangelistæ.

In Festo Apostolorum Simonis & Iudæ.

NOVEMBER.

In Festo omnium Sanctorum.

In Commemoratione Fidelum Defunct.

DECEMBER.

In Festo S. Nicolai Episcopi.

In Festo S. Ambrosii Episcopi.

In Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

In Festis unius vel plurium Martyrum.

In Festis Confessorum Pontificum

In Festis Doctorum.

In Festis Confessorum non Pontificum.

In Festis Virginum.

Quo-

FINIS.

SERIES LOCORUM
S. SCRIPTURAE
Quæ in hoc secundo Tomo explicantur, aut elucidantur.

INDEX

INDEX RERVM

Omnium in hoc ſecundo Tomo contentarum, in quo ſingula ſuis locis & numeris adeò accuratè digeſta ſunt, ut facillimè reperiri poſsint.

D. Diſcurſum, P. Paginam, N. Numerum paragraphicum indicat.

A.

Vinum

Displi-

Cælum.

Christus.

Compati.

Quo-

Domi-

Iustifi-

Finis.

Fumus.

G

Gloria.

Gratitudo.

H

Homo.

Lachrymæ.

R

Rex.

S

Sacrificium.

Odium

In

V

Verona.

Z

Zelus, Zelotypia.

FINIS.

APPROBATIO.

DIscursus hos *Morales de Tribulatione*, duobus Tomis contentos, singulari ingenio, judicio atque eruditione ad normam Catholicæ fidei Italicè conscriptos, à *Perillustri ac Reverendiss. D. Domino Paulo Aresio Dertonensium Episcopo*, & Latinitate donatos à R. P. *Petro VVemmers strictioris observantiæ Carmelita*, dignos censui, qui ad utilitatem publicam, & ad usum Præconum verbi Dei, typis evulgentur. Actum 29. Decemb. 1650.

GVIL. BOLOGNINO *S. Theol L. Canon. & Lib. Censor Antuerp.*


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029648

